DE SPIRITIBVS CREATIS.

TRACTATVS TRES

Expoſitiui & Morales.

EX MENTE PROBATISSIMORVM
Authorum tùm veterum cùm recentiorum.

AVTHORE F. CLAVDIO LE PETIT,
Pariſienſi Doctore, & quondam Profeſſore Theologo, totius
Ordinis S. Franciſci Diffinitore Generali.

Tractatus II. qui eſt de Dæmonibus.

PARISIIS,
Apud FRANCISCVM PIOT, propè fontem Sancti Benedicti:
Et in officina eius apud Patres Franciſcanos
majoris Conuentus.

M. DC. XLI.

Cum Approbatione, & Priuilegio Regis.

INDEX CAPITVM ET SECTIONVM
Tractatus ſecundi, qui eſt de Dæmonibus.

CAPVT PRIMVM. *pag.1*

Sectio 1. ANGELI *mali fuère à Deo creati liberi ſicut boni, & proindè peccabiles.* pag.2
Sect. 2. *Quomodo nonnulli Angeli peccauerint, & à quo ad peccandum inducti fuerint.* 3
Sect. 3. *Quodnam fuerit Angelorum peccatum.* 6
Sect. 4. *Quinam fuerint actus inordinati amoris concupiſcentiæ in Angelo, & primò an Dei æqualitatem appetierit.* 10
Sect. 5. *An appetierit Angelus vnionem hypoſtaticam, & beatitudinem ſupernaturalem.* 15
Sect. 6. *De quibuſdam aliis Luciferi, & aliorum culpis in via, & poſt lapſum.* 20

CAPVT II. *pag.25*

De caſu Dæmonum, & eorum pœnis.

Sectio 1. DE *eiectione Luciferi & complicium diuerſorum Ordinum è cœlo Empyreo ob ſupradicta facinora.* pag.25
Sect. 2. *Vtrum ex diuerſis Ordinibus Dæmones corruerint, & an pauciores ſint quàm qui permanſerunt.* 29
Sect. 3. *De pœna Dæmonum, & primò circa eorum intellectum & voluntatem.* 31
Sect. 4. *De aliis Dæmonum pœnis videlicet damni, ſenſus, & aliis; atque pœnarum loco & duratione.* 33
Sect. 5. *De ipſo infernali igne, & quo pacto ab illo crucientur Dæmones.* 36
Sect. 6. *Dæmones anſam non habent de eorum damnatione conquerendi.* 40
Sect. 7. *Examinatur animaduerſionis in Angelos qui peccarunt diuina ſeueritas, & num diuinæ iuſtitiæ repugnet.* 41
Sect. 8. *Obiectionibus initio præcedētis ſectionis allatis reſpōdetur.* 46
Sect. 9. *Cur homo & non Angelus veniam poſt peccatum fuit conſequutus.* 51

Sect. 10. *Si Dæmones ob eorum ſuperbiam, &c. ita iuſtè tantis addicti ſunt pœnis, multò magis homines ſi eos imitentur.* 53
Sect. 11. *De prælatione Dæmonum.* 54
Sect. 12. *Dæmonis definitio, ſeu deſcriptio eius naturam & malitiam exprimens.* 59

CAPVT III. *pag 63*

Sectio 1. *De odio & inimicitia Dæmonis in Deum & Humanum Genus.* pag.63
Sect. 2. *Quare Deus ingentem Dæmonum multitudinem in hoc mundo in quo hominem creaturus erat, reliquerit.* 67
Sect. 3. *Quædam aliæ rationes cur Deus in mundo Dæmones reliquerit.* 74

CAPVT IV. *pag.77*

De quatuor præcipuis mali Angeli nominibus.

Sectio 1. *Vnicuique homini particulari atque etiam perſonis publicis, Prouinciis, &c. aſsignantur à ſupremo Dæmone tentatores Dæmones.* pag.80
Sect. 2. *Exponuntur de tentationibus Dæmonum quædam authoritates ſancti Iob, Apocalypſis & ſancti Pauli.* 83
Sect. 3. *De innumera Dæmonum tentantium multitudine.* 86
Sect. 4. *Exponuntur authoritates quædam Iſaïæ & Dauidis, de diligentia, vigilantia, & potentia Dæmonis ad nocendum.* 89

CAPVT V. *pag.93*

De tentationibus Dæmonum omni tempore ab initio ſæculi.

Sectio 1. *De primorum Parentum tentatione in ſtatu innocentiæ, & de noſtra illorum inſtar.* pag.93
Sect. 2. *Qui fieri potuit, vt Parentes noſtri qui erant ſapientia prædití, ſic decipi potuerint.* 97

CAPVT VI. *pag.100*

Quomodo Dæmon diuerſos homines tum in Legè naturæ, tum in Lege ſcripta tentauerit.

Sectio 1. *De tentationibus in Lege naturæ.* pag.100
Sect. 2. *De tentatione grauiſſima ſancti Iob.* 102
Sect. 3. *De tentationibus Dæmonum in Lege ſcripta.* 105

CAPVT VII. *pag.108*

De tentationibus Dæmonis in noua Lege.

Sectio I. *QVomodo Dæmon ab initio Chriſto inuiderit illumque interimere tentauerit.* pag.108
Sect. 2. *Dæmon tribus tentationibus Chriſtum in deſerto eſt aggreſſus.* 110
Sect. 3. *Gladio verbi Dei primæ tentationi occurrit Chriſtus.* 114
Sect. 4. *De ſecunda Chriſti tentatione à Dæmone.* 116
Sect. 5. *Allegat Dæmon malè Scripturam, vt Chriſtum ad ſe præcipitandum inducat, at aliam ad rem facientem adducit ipſe Chriſtus.* 120
Sect. 6. *De tertia Chriſti tentatione à Dæmone.* 124
Sect. 7. *Mendacem ſe exhibet Dæmon in promiſſis ſuis.* 129
Sect. 8. *Multa pollicetur Dæmon hominibus, vt illum adorent.* 134
Sect. 9. *Quamnam Dæmon à Chriſto exigebat adorationem, ad quam pariter homines inducit.* 135
Sect. 10. *Expellitur à Chriſto Sathanas.* 139
Sect. 11. *Sacræ Scripturæ armis Chriſtus Dæmonem fugauit, qui tamen ab eo non receſſit niſi ad tempus.* 143
Sect. 12. *Angeli Chriſto miniſtraturi accedunt.* 148

CAPVT VIII. *pag.150*

Sectio I. *COmmuniter Dæmon tentat homines in noua Lege, & de modo quo procedit.* pag.150
Sect. 2. *Acriùs ſanctiores inſequitur Diabolus quàm impios.* 152
Sect. 3. *Deus gladium malitiæ Dæmonis applicat, vt non nobis quantum vellet, noceat.* 156
Sect. 4. *Chriſtus & Angeli ſe piorum quos inſequitur Dæmon, protectores exhibent.* 159
Sect. 5. *Dæmon aſſiſtit morientibus.* 161

CAPVT IX. *pag.165*

De apparitionibus Dæmonum in corporibus aſſumptis, nec-non de eorum ſpectris & prodigiis.

Sectio I. *DÆmones corpora aſſumere poſſunt ad hominum perniciem, & vt illis noceant.* pag.165
Sect. 2. *Quid præſtent aut efficiant Dæmones in corporibus aſ-*

ſumptis. 168
Sect. 3. In diuerſis formis & figuris apparuerunt in corporibus aſſumptis Dæmones, & primò in humana forma. 170
Sect. 4. In variis aliis formis quàm humana apparuerunt Dæmones. 175

CAPVT X. pag. 177

Multa Belluarum nomina Dæmoni attribuuntur, & cur.

Sectio 1. DÆmoni auium quarumdam accommodantur nomina. pag. 178
Sect. 2. Dæmoni animalium terræ nonnulla accommodantur nomina, & primò commune nomen beſtiæ. 182
Sect. 3. Leonis & Pardi nomina Dæmoni conueniunt. 184
Sect. 4. Dæmon Tigridi, Lupo, Pardali, Onocentauro, & Tauro comparatur. 190
Sect. 5. Dæmon Behemoth, boui, & vitulo comparatur. 192
Sect. 6. Dæmon equo, mulo, aſino, hirco, cani, cerbero, lepori, muri, cato vel feli comparatur. 195
Sect. 7. Dæmon Vulpi, Harpyiæ, & Hyænæ comparatur. 199
Sect. 8. Dæmon Simiæ, Herinaceo, & Chamæleonti comparatur. 201
Sect. 9. Dæmoni quorundam reptilium aptantur nomina, & primò ſerpentis. 204
Sect. 10. Draconis nomen Dæmoni accommodatur. 206
Sect. 11. Dæmon crocodilo, aſpidi, & baſiliſco ſeu regulo comparatur. 210
Sect. 12. Dæmon Ceraſti, Scorpioni, Salamandræ, Lamiæ, & Syrtio comparatur. 213
Sect. 13. Dæmoni quorundam aquatilium, ſeu piſcium nomina conueniunt, vt videlicet commune nomen piſcis, ac etiam ceti ſeu balenæ aut leuiathan. 216

CAPVT XI. pag. 222

De aliis quibuſdam communioribus nominibus Dæmoni conuenientibus.

Sectio 1. NOmina Belial, Bel, Baal, Baalim, Beelzebub, Baalberith, Beelzephon, Beelphegor, Baalpeor, Moloch, Aſtaroth, & Dagon Dæmoni conueniunt. pag. 222
Sect. 2. Dæmon vocatur Zabulus, Aſmodæus, venator & piſcator. 227

Sect. 3. *Dæmon vocatur Abadon, Malleus vniuerſæ terræ, & Princeps mundi.* 231

Sect. 4. *Dæmon pirata nuncupatur, tortor & carnifex: impius, malus, nequiſſimus, malignus, & inimicus.* 233

CAPVT XII. *pag.236*

De armis ſpiritualibus & mediis nobis ad aſtutias, tentationes & ſuggeſtiones Dæmonum propulſandas, neceſſariis.

Sectio 1. *De aſſiſtentia ſpiritus ſancti, atque de ieiunio & oratione, ad diabolicas ſuggeſtiones & tentationes propulſandas.* pag.237.

Sect. 2. *Ad vitandas etiam Dæmonum tentationes & ſuggeſtiones, multùm proſunt Crux Chriſti, & eius vulnera.* 241

Sect. 3. *Sanctæ Reliquiæ, & res aliæ ſacratæ aut benedictæ præſentiſſimum ſunt aduerſus Dæmonum ſuggeſtiones & vexationes remedium, eoſque fugant.* 245

Sect. 4. *Miræ etiam virtutis contra Dæmones, & eorum ſuggeſtiones, & infeſtationes eſt ſacramentorum frequentatio, vt Confeſſionis & Euchariſtiæ.* 250

Sect. 5. *Aliud remedium aduersùs Dæmonum ſuggeſtiones eſt reſiſtentia & fuga.* 253

Sect. 6. *M[illegible] ad diab[illegible] tentationes repellendas remedium.* 256

Sect. 7. *Vt homo tentationes ad peccandum euitet, tentationum loca & occaſiones fugiat.* 258

Sect. 8. *Aliud remedium contra tentationes, eſt refugium ad Beatam Virginem, & Sanctorum patrocinium.* 261

CAPVT XIII. *pag.263*

De Dæmoniacis, ſeu Energumenis.

Sectio 1. *An fuerint aliquando & adhuc ſint aut poſſint eſſe Dæmoniaci, vel Energumeni id eſt intus vexati.* pag.264

Sect. 2. *Per quam hominis partem Dæmon ingreditur & egreditur, & quibus ſignis patet eius ingreſſus.* 268

Sect. 3. *Quænam ſint motiua ob quæ Dæmones humana corpora ingrediantur, & an ex tali ingreſſu lætitiam aut aliquod pœnarum leuamen percipiant.* 269

Sect. 4. *In quorum poteſtate ſitum ſit immittere Dæmones in huma-*

na corpora & efficere vt torqueantur, & primò an in poteſtate Dei, & ob quid. 271
Sect. 5. *An poßint viri iuſti, & magi immittere Dæmones in humana corpora, immò an ipſimet Dæmones poßint efficere vt alij illa quoque torqueant.* 275
Sect. 6. *Quorum ordinum ſint Dæmones qui homines poßident, & an in vno & eodem homine poßint multi intrare.* 278
Sect. 7. *Quæ mala Dæmoniaci patiantur, aut pati poßint à Dæmone, & cur Deus id permittat.* 280
Sect. 8. *Quæ ſint ſigna quibus dignoſcendi ſunt Dæmoniaci.* 285
Sect. 9. *De ſignis quæ maiorem certitudinem latentis Dæmonis in aliquo corpore humano pariunt.* 290
Sect. 10. *Exemplis præfatum ſignum poſtremum confirmatur, & alia quædam ſigna quibus Dæmon latens ſe prodit afferuntur.* 295

CAPVT XIV. *pag. 297*

De poteſtate curandi Dæmoniacos.

Sectio 1. AN *in Eccleſia ſit poteſtas coërcendi & abigendi Dæmones.* pag. 297
Sect. 2. *De diuerſis mediis quibus Dæmones ab Energumenis pelluntur, & primò de exorciſmo, nomine* IESV, *& Cruce.* 299
Sect. 3. *Oratione, ieiunio, vigiliis, flagellis, pœnitentiæ operibus & mortificationibus, potißimùm verò Miſſæ ſacrificio Dæmones expelluntur.* 304
Sect. 4. *Sanctorum reliquiis & aliis rebus ſacris Dæmones expelluntur.* 306
Sect. 5. *De efficacia exorciſmorum & rerum ſacrarum, & cur non ſemper ſuos effectus producant.* 309

FINIS.

TRACTATVS II.

QVI EST DE DÆMONIBVS.

CAPVT I.

POSTQVAM de Angelorum natura, & quibuſdam eorum proprietatibus diximus, nec-non de bonis Angelis ſpeciatim; ſupereſt vt de Angelis malis qui peccarunt & ceciderunt, nonnulla diſſeramus. Supponunt ergo primò Theologi illos exiſtere in rerum natura; conformiter ad ſcripturam, in qua multis in locis de illis mentio fit; vt in hoc tractatu pluriès liquidò conſtabit: & quoniam ſimul cum bonis ab initio in Cælo Empyreo fuerunt à Deo conditi, inde fit vt ipſa eorum exiſtentia iiſdem probetur rationibus, quibus bonorum exiſtentia probatur & confirmatur.

Et ipſa etiam congruentiæ ratio hoc videtur dictare; cùm enim ipſi ſint naturâ ſuâ Angeli, ſicut boni, debent eſſe ſecundùm eandem conditionem & naturam bonis conformes, licet ſint ex culpa difformes, quod eſt ex accidenti. Hâc ſuppoſitâ eorum exiſtentiâ, nulli dubium eſt quin incorporei & ſpirituales ſint, atque intellectu & voluntate polleant; vt de bonis etiam probauimus. Eſt itaque primò videndum quomodò liberi ſint in ſuis actionibus ab initio, & proindè peccare potuerint, & de facto peccauerint, quod duabus ſequentibus Sectionibus abſoluetur. Exiſtunt Dæmones in rerum natura.

SECTIO I.

Angeli mali fuêre à Deo creati liberi, ſicut boni, & proindè peccabiles.

Angeli mali fuêre creati liberi, & proinde peccabiles.

DVo ſunt in præſenti ſectione enucleanda. Quod ad primum ſpectat, nulli dubiũ eſt quin omnes Angeli & boni & mali fuerint à Deo conditi liberi, cùm ſint intellectuales, & proinde ad bonum & malum flexibiles, in eodem ſuæ creationis inſtanti. Et id docet S. Gregor. [a] *Ipſi quoque Angelici ſpiritus* (inquit) *mutabiles ex natura ſua ſunt conditi, quatenus aut ſuâ ſponte caderent aut ex arbitrio ſtarent.* Et S. Damaſcenus [b] docet Angelum eſſe voluntatis ac ſententiæ ratione mutabilem.

a Lib. 25. Moral. cap. 4.

b Lib. 2. de fide c. 3.

Rationè item id conſtat, quia creatura intellectualis & rationalis ſemper manet libera & indifferens ſuaptè naturâ ab bonum & malum, preſuppoſita ex parte intellectus ſufficiente obiecti propoſitione ſeu cognitione: atqui Angeli in primo ſuæ creationis inſtanti, & quandiu fuerunt viatores ante boni vel mali elicitionem, clariſſimo donabantur intellectu, qui quidem ſufficienter obiectum repreſentabat: ergo, &c. Et ſic in eis facultas erat, ſe vel conuertendi ad Deum per humilitatem & gratitudinem; vel per ingratitudinem ab eo auertendi, atque ad ſeipſos conuertendi per ſuperbiam.

Quod verò ad ſecundam partem ſpectat; dicimus Angelos ita à Deo conditos, & libero arbitrio donatos, abſolutè loquendo potuiſſe peccare; & de facto conſtat aliquos peccaſſe: vnde ait S. Ioannes in Euangelio, *Diabolus mendax eſt, & pater mendacij:* at mendacium eſt peccatum; & in priori ſua Epiſtola, *Qui facit peccatum, ex Diabolo eſt; quoniam ab initio Diabolus peccat.* Et Sanctus Iob, *In Angelis ſuis reperit prauitatem.*

Ioan. 8.

1. Ioan. 3.

Iob 4.

Ratione patet: quia (vt dictum eſt) cùm Angeli liberi ſint ab initio ſuæ creationis; ſequitur exinde illos liberè potuiſſe preſtare quod diuina lex eis preſcribebat, vel etiam omittere, & proindè peccare potuiſſe. An autem potuerint naturaliter peccare contra finem naturalem & proprijs viribus cognitum, atque etiam circa ſupernaturalem, ad Scholaſticos remittimus, qui pro maiori parte affirmatiuè reſpondent, ob eorum liberam voluntatem.

SECTIO II.

Quomodo nonnulli Angeli peccauerint, & à quo ad peccandum inducti fuerint.

PRo huius quęſtionis reſolutione, eſt aduertendum Deo Opt. Max. mox vt Angelos creauit, multiſque gratiarum ornamentis decorauit, placuiſſe, illorum priùs erga ſe fidem tentare atque experiri, quàm eos in ſuam ſocietatem firmam cooptaret & aſcriberet, aut in ſua beatitudine ſolidaret: & ea ratione pactum cum eis inijt, vt ſi certo definitoque ſpatio, eum tanquam ſupremum Dominum colerent & venerarentur, atque vt parentem amarent & prędicarent, elapſo illo ſpatio in ſtatum longè beatiſſimum transferrentur, omnis periculi immunes, atque expertes: quòd ſi ſuâ libertate abuſi, tot eis impertita dona nihili haberent, & à ſuo conditore eiuſque mandatis, nimia temeritate deſciſcerent, illis omnibus bonis ſpoliati, & ab eius beatiſſimo conſpectu pulſi, ęternis ſupplicijs implicarentur. Non obſtante autem inito hoc pacto inter Deum & Angelos, Lucifer omnium turmarum Angelicarum Anteſignanus & Princeps eminentiſſimus, de primo ordine primæ Hierarchiæ, priorem in eadem tenens locum, & qui ob eius præclaras animi dotes & ornamenta, quibus eum condiderat Deus, neminem illorum agnoſcebat parem, tale pactum nihili ducens, infœlix & ingratus, rotam ſuæ pulchritudinis Pauonis more, inordinatiùs circumſpiciens & admirans, eſt eò elatus vt Deo parem ambiret dignitatem, gloriam, pulchritudinem & maieſtatem; atque vſurpare Dei æqualitatem tentaret, omnibuſque ſuperbè imperaret ſicut Deus, & nulli ſubeſſet; vt poſtea latiùs oſtendemus, dum, quodnam fuerit eius & aliorum Angelorum peccatum dicemus. Et nunc venit audiendus Sanctus Gregorius. *Leuiatham*, inquit, *diuinæ celſitudinis culmen aſpiciens, ius peruerſæ libertatis appetiit, vt & præeſſet cæteris, & nulli ſubeſſet*; ſicque ingratiſſimè à ſuo conditore defecit, & nimiùm ſibi complacens, quamuis Deum tantorum bonorum & perfectionum quibus erat ornatus, pro ſublimi ſua cognitione non ignorauerit, attamen, ſicut de Philoſophis prodit Apoſtolus, *Non ſicut Deum glorificauit*, ſed (quantum de ſpirituali creatura dici poteſt) *euanuit in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eius.* Et, vt habet Ezechiel, *Eleuatum eſt cor eius in decore ſuo.* Hoc autem

Deus ab initio pactum inijt cum Angelis, & quodnam.

Lucifer tentauit Dei vſurpare æqualitatem, & nulli ſubeſſe.

Greg. lib. 34. Moral. c. 14. & 17.

Ad Rom. c. 1.

Ezech.

nefandiſſimum crimen; hæc ſumma erga ſuum conditorem ingratitudo, minùs lamentabilis eſſet, ſi tantùm vnum, videlicet ipſum Luciferum qui quaſi ita reliquis antecellit, vt ſtella Lucifer ſtellis, tantæ coniurationis contra Deum perculiſſet; at proh dolor, ipſe omnium impijſſimus tanquam omnium ſupremus, illudmet obiectum quod valde bonum & commodum atque ad gloriam ſuam maximè conueniens agnoſcebat, alijs etiam Angelis propoſuit veluti ipſis quoque conuenientiſſimum; qui vt ait Hugo de Sancto Victore in eandem malitiam conſenſerunt. Quomodo autem id fieri potuerit oſtendit Tamarit Tract. de Angelis. Et nota (inquit) potuiſſe inferiores Angelos videre prauam Luciferi determinationem, & non actu conſiderare moralem deordinationem eius: nam cùm eſſent intenti ad exemplum & ſuggeſtionem eius, conſiderarunt vehementer motiuum eius, & ſuæ naturæ decorem, & exaltationem, non conferentes appetitum illius cum recta ratione, & conſequenter eius moralem maliciam non ponderantes, neque conſiderantes, ſicut ipſemet Lucifer priùs conſiderauit de tali obiecto, & effectu ſibi obiectiuè propoſito, & potuit attendere ad commodum vel incommodum eius, & non ad malitiam ipſius; idem ergo alijs propoſuit, & alij eodem modo rem apprehendere, & conſentire potuerunt, hæc autem propoſitio & ſuaſio facta eſt eis à Lucifero per locutionem, quâ quidem eis manifeſtabat, & oſtendebat rationes quæ ipſum mouerant; quod colligitur ex illo S. Michaëlis: *Quis ſicut Deus?* quæ eſt reſponſio ad perſuaſionem Luciferi. Itaque ipſe impijſſimus Angelus, non modò ſeipſum à Dei opificis ſui obedientia ſubtraxit, & ei totis viribus aduerſari conatus eſt, verumetiam alios naturæ ſuæ complices ſpiritus tentauit ad defectionem, & ſuis ſuaſionibus & iniquis conſilijs à diuino penitùs ſeruitio auertit, eoſque tandem ad idem peccati genus pertraxit: itaut peccauerunt aſpicientes ad id quod volebat ipſe Lucifer, & exinde aſpicientes ad commodũ ſuum & nimis appetentes propriam voluntatem, abſque vlla tamen coactione; vnde S. Hieron. in illud Iſayæ: *Tu terram tuam perdidiſti: tu populum tuum occidiſti*, de Lucifero interpretatur, qui cæteris quaſi ſibi ſubiectis, perditionis ac æternæ mortis cauſa extitit, dum eis perſuaſit vnumquemque illorum, futurum tanquam Deum ſummum & ſupremum, nulli ſubiectum, & proindè ſibi obuenturam ſummam dignitatem & honorem maximum, ſi ei crederent, & à ſuis partibus ſtarent, certum eſt tamen ipſum reliquis grauius peccaſſe. Et hoc eſt quod habetur in Apocal, *Draco magnus cauda ſua trahebat tertiam partem ſtellarum cæli*, hoc eſt Angelorum, quamuis nonnulli doceant tot de ſingulis ordinibus tantum cecidiſſe,

Qu. 39. de Angelis. Quomodo alij Angeli viderunt Luciferi determinationem.

Lucifer alios quoſdam Angelos ad peccandum pertraxit.

S. Hieron. in c. 14. Iſayæ.

Apoc. 12.

quot vnum poterant conſtituere chorum, multis conſtantem legionibus, quarum quæque ſex mille ſexcentos ſexaginta ſex, continet Angelos. Quicquid ſit, magna Angelorum multitudo ſic à Lucifero decepta, ad eum ſuo ſpreto conditore deſciuit, & ob id à Dei gratia & ab altiſſimo illo perfectionis ſtatu in quo condita fuerat, cum Anteſignano illo ſuo, in profundum malorum directa, illicò cecidit. Et id à S. Auguſt. confirmatur: *Voluerunt*, inquit, *Angeli non eſſe ſub poteſtate Dei, nec habere à quo regerentur.*

S. Aug. lib. 12. de Ciuit. Dei cap. 13.

Sed ſi quæras an potuerit Angelus in primo inſtanti ſui eſſe peccate: Reſpondet affirmatiuè Scotus, nec non Gabriel Vaſques, Suares, &c. Et ratio eſt, quia ſimul cum productione rei poteſt eſſe eius operatio, in eodem enim inſtanti quo creatum fuit corpus luminoſum, aërem illuminauit. Deinde Angelus eſt res permanens & intellectualis, res autem huiuſmodi in eodem inſtanti quo productæ ſunt operari poſſunt, ſufficit enim voluntatem priùs liberam naturâ, & indifferentem eſſe vt operari poſſit, nec indiget prioritate temporis ſed naturæ ſolùm. Confirmatur, nam ſi ex Caietano Angeli in primo inſtanti mereri potuerint, neſcio quo pacto negari poteſt illos potuiſſe peccare, nam licet non poſſit Angelus ſimul eſſe in gratia, & peccare; nihilominus quantum eſt ex ſe, ſi in pura natura relinqueretur, poſſet peccare circa legem naturalem. Poteſt etiam hæc ſententia confirmari hac ratione; Eadem libertas quæ ſufficit ad meritum, ſufficiens eſt quoque ad demeritum, ſed Angelo liberum fuit in primo inſtanti mereri; ergo & demereri. Confirmatur denuò, quia in primo inſtanti in quo homo peruenit ad vſum rationis, poteſt mortaliter peccare, vt ſupponere videtur Sanctus Thomas: ergo & Angelus in primo ſuæ creationis inſtanti, quia coincidit primum inſtans vſus rationis cum primo inſtanti creationis. Denique confirmatur, quia in infante ſimul eſt natura & peccatum originale, & nihilominus natura eſt à Deo, & peccatum ab alia cauſa nempè à primo parente: ergo eadem ratione poteſt eſſe natura Angeli à Deo, & peccatum à ſola voluntate ipſius Angeli. Sed antequam de pœnis delatis malis illis Angelis nonnihil dicamus, eſt priùs videndum quodnam fuerit ipſorum peccatum, cuius ſpeciei, & num plura commiſerint.

In 2. diſt. 5. qu. 2.

Potuit Angelus in primo inſtanti ſui eſſe peccare.

1. 2 qu. 89. art. 6.

SECTIO III.

Quodnam fuerit Angelorum peccatum.

Angeli quomodo peccarunt, & homines ad peccatum inducunt.

CERTVM eſt primò Angelos non potuiſſe peccare, vllo genere peccati circa voluptates corporeas, aut alia quæ verſantur circa obiecta ſenſibilia, quia cùm ſpirituales ſint & incorporei, non poſſunt rebus corporalibus affici, nec ad illas inclinationem habere naturalem: quoad reatum tamen aduertunt nonnulli, nullam eſſe peccati ſpeciem quæ non cadat in Dæmones, ſiquidem meritò dicitur aliquis reus peccati quando inducit alterum ad peccandum; iuxta id quod habet Apoſtolus: *Non ſolùm agentes ſed etiam conſentientes digni ſunt morte*; atqui nullum eſt peccati genus quod Dæmones hominibus non ſuggerant; & in tali caſu licet actus peccati non ſit formaliter in ipſis Angelis malis, nec eo afficiantur per ſe, ſeu ſecundùm ſuam naturam, malitia tamen & reatus culpæ eſt in illis formaliter. Cùm itaque eorum peccatum, ſolum obiectum ſpirituale habuerit, conformiter ad eorum naturam, hîc videndum eſt quodnam illud fuerit. Doctores Scholàſtici in duas abeunt ſententias; quidam enim vt S. Thomas & eius ſequaces, communiter docent primum eorum peccatum fuiſſe ſuperbiam; & id probant quibuſdam ſacræ ſcripturæ & SS. Patrum teſtimonijs, quibus poſtea ſatisfaciemus.

Rom. 1.

1. p. q. 63. art. 2.

Scot. in 2. diſt. 6. & in reportatis q. 2. Faber diſput. 32.

Nobis ergo dicendum eſt cum Scoto, Fauentino, & alijs Scoti diſcipulis, primum Angeli peccatum non fuiſſe ſuperbiam, ſed illud potiùs reduci ad luxuriam ſpiritualem, è qua tamen originem duxit ipſa ſuperbia; & eam quoque ſententiam tenet Zumel in S. Thomam.

Primum Angeli peccatum fuit luxuria ſpiritualis.

Zum. ad quæſt. 63. S. Thomæ art. 3. q. 2. concl. 3.

Pro huius aſſertionis intelligentia notant Scotiſtæ in actibus voluntatis duplicem eſſe amorem, videlicet amicitiæ, & concupiſcentiæ: amor amicitiæ, ille eſt quo nos ipſos diligimus, vel aliquam aliam perſonam propter ſeipſam, abſque vlla relatione ad aliquid aliud extra nos vel illam perſonam quam diligimus: amor autem concupiſcentiæ, verſatur circa bonum quod nobis vel alteri volumus; vnde primus ille amor vocatur ab Ariſtotele amor ſubſtantiæ, & alter dicitur amor accidentium; illud ergo quod amatur; vel eſt ſubſiſtens vt ſubſtantia, & ſic amatur propter ſe; vel eſt accidens vt verbi gratiâ ſcientia, pulchritudo, diuitiæ, &c. & ſic amatur in ordine ad aliud: primum itaque amatur amore amicitiæ, & aliud

Amor duplex amicitiæ & concupiſcentiæ.

2. de anima.

amore concupiſcentiæ, qui quidem duo amores ſunt diſtincti formaliter, tanquam duæ formalitates diuerſæ, cùm ex Ariſtotele, *actus diſtinguantur per obiecta.* Eſt autem ordo inter hos actus, nam amor amicitiæ præcedit amorem concupiſcentiæ, non enim mihi aut alteri concupiſco bonum, niſi quia me priùs vel illum amore amicitiæ diligo; ſicque ſecundus ille amor à primo dependet, iuxta etiam id quod habet Ariſtoteles: *Amicabilia ad alterum, procedunt ex amicabilibus ad ſeipſum.* Iſte etiam ordo ſeruatur tam in actibus inordinatis quàm in ordinatis, nam voluntas pro ſua libertate poteſt omne ens & bonum amore amicitiæ proſequi, inordinatè vel ordinatè; ſimiliter & amore concupiſcentiæ: inordinatè quis amaret ſeipſum, ſi potiùs vellet ſeipſum eſſe quàm Deum. *2. de anima.*

Ex his principijs probat Scotus ſuam ſententiam. Primum peccatum Angeli, fuit nimius & inordinatus amor amicitiæ quo ſeipſum dilexit, hoc eſt nimia quædam ſuiipſius complacentia, ex S. Auguſtino, quâ primario captus fuit; certum eſt enim primum actum ſiue ordinatum, ſiue inordinatum voluntatis ſimpliciter eſſe amorem amicitiæ, & non concupiſcentiæ: at verò obiectum talis amoris amicitiæ in Angelo qui peccauit, non fuit Deus, nam in amore Dei etiam intenſiſſimo nequit eſſe peccatum, cùm enim ſit infinitè amabilis, non poteſt immoderatè & cum exceſſu diligi; neque etiam talis amoris obiectum fuit proximus, videlicet alij Angeli, vel aliquæ perſonæ creatæ, tum quia inclinatio naturalis magis inclinat ad amorem ſui quàm proximi, tum etiam quia ipſe Angelus nihil creatum aliud à ſe ita cognouit ſicut ſe: ergo primus actus inordinatus in eo fuit amor ille amicitiæ ſuiipſius. Et confirmatur primò, priùs enim quis diligit ſe, & in ordine ad ſe, quàm in ordine ad alterum; & per conſequens primum Angeli peccatum non fuit ſuperbia. Confirmatur ſecundò, quia nemo poteſt appetere excellentiam ſuam immoderatam, niſi priùs immoderatè ſe diligat, & ſicut alterum diligere immoderato amore non eſt ſuperbia, ita neque inordinatè ſe amare tali amore: ex quo conſtat amorem concupiſcentiæ non eſſe primum peccatum, ſed ſecundum ſecutum ad primum; & id etiam colligere facilè eſt ex S. Auguſtino qui hæc habet, *Duo amores* (inquit) *duas fecerunt ciuitates; amor Dei vſque ad contemptum ſui, ædificauit ciuitatem Dei; & amor ſui vſque ad contemptum Dei, ædificauit ciuitatem Diaboli.* Et idem alibi ait, *peruerſus ſui amor priuat ſanctâ ſocietate turgidum ſpiritum*; vnde ſubdit Scotus, ex hoc amore amicitiæ inordinato quo ſe dilexit Angelus, ortum fuiſſe amorem etiam concupiſcentiæ inordinatum, quo ſibi exceſſiuè concupiuit aliquod bonum à ſe diſtinctum & ſibi commodum, vltra modum *9. Ethic.* *Lib. 14. de Ciuit. Dei cap. vlt.* *Lib. 11. de Gen. ad litt. cap. 14.*

debitum; hunc autem fuiſſe præſertim amorem beatitudinis, tanquam alicuius boni valde delectabilis, vt ex S. Anſelmo colligimus. De huiuſmodi autem concupiſcentia in ſequentibus dicemus.

Lib. de caſu Diaboli.

Concludendum itaque, quòd cùm primum Angeli peccatum non conſiſtat niſi in amore amicitiæ ſui ipſius, atque bonitatis ſuæ ſubſtantialis, & ſic non poſſit eſſe ſuperbia quæ dicit relationem excellentiæ, cum arrogantia ſuper alios, vel cum reſpectu ad alios vltra debitam menſuram, & non reſpectu ſuæ excellentiæ tantùm, quia complacentia ſiue amor ſui non reſpicit alios: ſupereſt vt illud ad luxuriam reducamus, quæ de facto in deordinato ſui amore & complacentia primariò conſiſtit; non quidem prout luxuria ſtrictè poteſt accipi pro immoderato actu voluptatum carnalium, qui non habet locum in Angelis, ſed pro immoderato appetitu cuiuſcumque delectationis, quia ad luxuriam generaliter dictam pertinet omnis immoderatus appetitus cuiuſcumque boni delectabilis, inquantùm delectabile eſt. Confirmatur primò maioris explicationis gratiâ; quia peccatum ſuperbiæ ex ratione ſua formali, ita eſt appetitus inordinatus propriæ excellentiæ, vt feratur in excellentiam non abſolutè, ſed relatè ad alios, quibus aliquis antecellere cupit, atqui Angelus immoderatè ſe amando amore amicitiæ, non potuit appetere primario illo amore excellentiam relatè ad alios, cùm neceſſe ſit quòd priùs præcedat aliquis actus quo ſe inordinatè diligat, qui quidem actus poſtea ſit radix & origo ſuperbiæ; ergo tunc non peccauit peccato ſuperbiæ propriè, ſed luxuriæ, eo modo quo ſuprà expoſitum eſt. Confirmari poteſt ſecundò, quia omnes Doctores dicunt peccatum contrahi per auerſionem à Deo, & conuerſionem ad creaturam: ſed ad nullam ſimplicem creaturam conuerti potuit niſi ad ſeipſum: ergo nimio ſui amore primùm delapſus eſt.

Multæ ſunt autem S. Thomæ & ſuorum ſequacium obiectiones tum ex ſcripturis, tum ex SS. Patribus depromptæ, quibus nunc eſt reſpondendum.

Obijcitur ergo primò id quod habetur apud Eccleſiaſticum, *Initium omnis peccati ſuperbia*, & apud Tobiam; *ſuperbiam nunquam in tuo ſenſu, aut in tuo verbo dominari permittas; in ipſa enim initium ſumpſit omnis perditio*; ergo ſuperbia fuit primum peccatum. Reſpondent nonnulli primò, hæc verba ſolùm referri ad peccata hominum, quorum primum ſuperbia fuit. Secundò reſpondent, ibi ſermonem inſtitui de peccato ſuperbiæ, cui annexus eſt gradus arrogantiæ & imperij reſpectu aliorum, vt patet ex contextu ipſo Tobiæ, *ſuperbiam nunquam in tuo ſenſu aut in tuo verbo dominari permittas*,

Eccleſiaſt. 10. Tob. 4.

quod quidem

quod quidē dominandi verbū connotat inferiores quibus dominari cum arrogantia quis poteſt: ſi igitur ſermo ſit de Angelo, dicendum eſt eius peccatum dupliciter conſiderari: primò abſolutè & reſpectu ſui, & ſic primùm eius peccatum fuit nimius amor amicitiæ ſui vſque ad contemptum Dei: ſecundò relatè & factâ comparatione cum alijs inferioribus Angelis, & ſic primùm peccatum eius, fuit ſuperbia, in nimio gradu arrogantiæ. Et per hoc reſpondetur ad omnes authoritates Patrum dicentium, primum Angeli peccatum fuiſſe ſuperbiam, non enim loquuntur abſolutè ſed relatè, vt dum S. Hieronymus in Eſaïam [a] exponens verba S. Pauli [b] qui neophyto non vult eſſe conferendum Epiſcopatum, *ne in ſuperbiam elatus, in iudicium incidat Diaboli*, ſuperaddit, *ne propter hoc damnetur ſicut & ob eandem Diabolus damnatus eſt*: Dum etiam S. Chryſoſtomus in eadem Eſaïæ verba, ait: *Angelus per ſuperbiam factus eſt Diabolus.* Eodem etiam modo explicatur illud Iob, *omne ſublime videt, ipſe eſt Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ*, nam illud, *ſuper*, dicit relationem ad alios filios ſuperbiæ. Et præterea locus iſte ad litteram non intelligitur de Angelo ſed de Behemoth ceto grandi, qui vt transferunt ſeptuaginta, *Rex eſt omnium quæ ſunt in aquis*: ſicut per Luciferum illum qui apud Eſaïam dicebat: *Conſcendam in cælum, & ero ſimilis altiſſimo*, intelligitur vno ſenſu Rex Babylonis, licèt altero intelligatur Diabolus: & veluti per illum Cherubinum de quo apud Ezechielem dicitur, *eleuatum eſt cor tuum in decore tuo*, intelligunt SS. Patres, Principem Tyri ad litteram, & Diabolum ſolùm figuratè & per accommodationem. Quando itaque ſcriptura & ſancti Patres loquuntur de Angeli peccato, benè dicunt illud eſſe ſuperbiam; an autem fuerit primum peccatum de hoc eſt controuerſia.

SS. Patres cùm dicunt primum Angeli peccatum fuiſſe ſuperbiā, quomodo intelligi debeant.

a In cap. 14. Eſaia.
b 1. ad Timoth. 3.

Iob. 41.

Eſay. 14.

Ezech. 28.

Non deſunt quamplures obiectiones S. Thomæ, Caietani, & aliorum aduerſus ſupra allatam Scoti & ſequacium ſententiam, ſed facillimè ex præfatis fundamentis ſolui poſſunt: & dicendo primum Angeli peccatum fuiſſe ſuperbiam laxato vocabulo, ſed non propriè, iuxta illud Sancti Auguſtini, *malæ voluntatis initium quid potuit eſſe niſi ſuperbia?* Et probat ex eo quod habetur apud Eccleſiaſticum loco citato, *Initium omnis peccati ſuperbia*: At propriè loquendo fuit luxuria ſpiritualis vt dictum eſt.

Lib. 14 de Ciuit. Dei cap. 13.

SECTIO IIII.

Quinam fuerint actus inordinati amoris concupiſcentiæ in Angelo, & primò an Dei æqualitatem appetierit.

POSTQVAM præcedenti ſectione diximus primum Angeli peccatum fuiſſe inordinatum amorem amicitiæ ſuiipſius, qui iure à Scoto luxuria ſpiritualis nuncupatur; nunc eſt dicendum de alio actu inordinato amoris concupiſcentiæ eiuſdem, & qui ſequitur amorem inordinatum amicitiæ.

Quidam volunt primum illum actum inordinatum conſtitiſſe in ſuperba appetitione æqualitatis cum Deo; ſed inter illos controuerſia eſt, an illam appetierit in natura vel ſecundùm naturam, an tantùm ſecundùm aliquam ſimilitudinem. S. Thomas & Caietanus atque alij recentiores Thomiſtæ, quibuſdam rationibus poſtea examinandis fulti, tenent Angelum non potuiſſe Dei æqualitatem appetere ſecundùm naturam, ſed ſolùm ſecundùm ſimilitudinem. *Appetijt* (inquit S. Thomas *eſſe vt Deus per aſsimilationem*; quod poteſt dupliciter contingere: vel quantum ad ea in quibus creatura nata eſt Deo aſſimilari, vt in determinato gradu iuſtitiæ, miſericordiæ, & cęterarum perfectionum; ſicque eam aliquis appetens non peccat; modò id fiat debito ordine, videlicet vt à Deo non à ſe illam habeat; alio modo quis poteſt appetere eſſe ſimilis Deo quantum ad ea quæ ſibi conuenire non poſſunt, & in quibus non eſt natus eſſe Deo ſimilis; & hoc modo Dęmon illam Dei ſimilitudinem appetijt, vt potentiam creandi cælum & terram &c. & voluit tantam habere virtutem & eminentiam ſoli Deo conuenientem, non ex gratia ſed ex virtute propria, quanquam ſit omni creaturæ indebita.

1. p. q. 63. art. 3.

Angelus appetijt Dei æqualitatem & quomodo.

Nihilominus ſit prima aſſertio.

Angelus peccare potuit appetendo Dei æqualitatem ſecundùm naturam. Ita docent Scotus, [a] Rada, [b] & Faber Fauentinus [c], & ex Thomiſtis Suares, Vaſques, Granados, & multi alij. Pro cuius concluſionis intelligentia, notandum eſt cum Scoto & alijs citatis, duplicem eſſe voluntatis actum; alium ſimplicem, ſeu volitionem efficacem & abſolutam; alium conditionatum, ſeu volitionem complacentiæ & inefficacem. Volitio efficax, illa eſt qua aliquis volen-

a *In 2. diſt. 6. q. 1.*
b *2. p. controu. 11. art. 4.*
c *Diſputat. 31*

Angelus potuit appetere Dei æqualitatem ſecundùm naturam inefficaci volitione.

do rem aliquam, proſequitur illam adhibendo media ad illam obtinendam requiſita, hâc volitione vult infirmus ſanitatem, ſperans ſe in priſtinam valetudinem reſtitui poſſe, quia adhibet media ad ſanitatem conducentia: Volitio verò complacentiæ & inefficax, eſt illa qua quiſpiam bene aliquid vult, & in illo ſibi complacet, abſque ordine tamen ad executionem; ſpem etenim illud conſequendi cùm minimè habeat, & ex hypotheſi repræſentet illud impoſſibile, ideo non adhibet media, ad eius conſecutionem neceſſaria; hâc volitione ſanitatem optat infirmus deſperans tamen de ea, quia etiamſi in ea ſibi complaceat, non tamen quærit remedia, propterea quòd nihil ſibi profutura arbitratur; prior volitio declaratur per verbum *volo* pręſentis indicatiui, & non poteſt eſſe ad impoſſibile cognitum impoſſibile, quia electio efficax ſequitur notitiam practicam dirigentem ad opus; at notitia practica non dirigit ad impoſſibile, & nullus ſyllogizat practicè de impoſſibili: poſterior verò deſignatur per optatiuum *vellem*, vnde ab alijs dicitur velleitas, *& poteſt eſſe reſpectu impoſſibilium*, vt vult Ariſtoteles. Et probatur, quia damnati cùm Deum odio habeant, iuxta illud *ſuperbia illorum aſcendit ſemper*, cupiunt illum non eſſe; iuxta id quod habet Philoſophus, *odiens vult oditum non eſſe*, quamuis id ſit impoſſibile, & cognitum vt tale, quia apprehenditur ſuppoſitâ conditionali tanquam conueniens & vtile, ad id quod ſimpliciter & ſecundùm ſe eſt poſſibile & conueniens (inquit Rada) nempe ad carentiam miſeriæ vel pœnæ.

3. Ethic. cap. 38. *Pſal. 73.* *2. Rhetor.*

His ergo ſuppoſitis & intellectis, reſolutio Scoti & ſequacium eſt Angelum non potuiſſe per ſe Dei æqualitatem per naturam appetere, volitione ſimplici & efficaci, cùm id cognoſcat eſſe ei ſimpliciter impoſſibile, bene tamen inefficaci & conditionata, ſcilicet ſi illud eſſet ſibi poſſibile; & ratio eſt quia potuit cócupiſcere omne bonũ ſibi concupiſcibile, ſed æqualitas Dei eſt bonũ quoddã concupiſcibile ſecundùm ſe; ergo potuit illam concupiſcere volitione ſaltem inefficaci & conditionatâ. Et probatur auctoritate S. Auguſtini, *voluntas poteſt vti fruendu & frui vtendu*; ergo poteſt ſe amare vt ſummum bonum fruibile, vel poteſt frui ſeipſâ, at non poteſt frui niſi ſummo bono; ergo poteſt ſibi concupiſcere tantum bonum quantum eſt in ſummo bono videlicet Deo, vt ſit obiectum fruitionis: at hoc eſt appetere Dei æqualitatem; ergo &c. & talis voluntas ſufficit ad meritum vel ad demeritum, quia tali actu poteſt voluntas conſentire pleno conſenſu, & tantum bonum optare tanto deſiderio quanto vellet & concupiſceret, ſi eſſet ſibi poſſibile illud adipiſci; at hoc ſufficit ad peccatum & demeritum.

Lib. 83. quæſt. q. 30.

Confirmatur ex S. Thoma, quia Angelus peccauit appetens bea-

titudinem ſupernaturalem ex proprijs viribus, vt ſequenti ſectione oſtendemus, quod eſt impoſſibile ſimpliciter; ergo & potuit peccare appetens æqualitatem Dei, quanquam inefficaci volitione: vnde ſufficit quòd res in ſimplici apprehenſione apprehendatur vt bona, tunc enim appeti poteſt, ſiue ſit poſſibilis ſiue non, vt patet de eo qui appetit montem aureum, vel fingit aliquod obiectum ſibi delectabilius, vt poſſe volare, videre omnia, &c. Iſta autem impoſſibilia ſunt, & tamen illa poteſt appetere; ergo etiamſi æqualitas Dei ſit Angelo impoſſibilis, eam tamen poteſt ſaltem inefficaci volitione vt dictum eſt appetere, & ſic peccare. Sed dicet quis plenum conſenſum & deliberationem ad peccatum mortale requiri, in volitione autem inefficaci, talem conſenſum non reperiri. Reſpondemus ſufficere ad peccatum mortale quòd ratio attendat quid agat, & nullo modo dubitet de malitia ſufficiente ad peccatum: ſed ita eſt quòd Angelus potuit hanc æqualitatem ſine errore apprehendere, cùm ante peccatum nullus error eſſet in eius intellectu; & proinde malitiam ad peccatum ſufficientem cognoſcere potuit, ſicque peccare: veluti exempli causâ, ſi quis odio habeat Deum & in ſeipſo velit Deum non eſſe, licèt ſatis cognoſcat hoc non poſſe executioni mandare, eo ipſo tamen quod vult ſi eſſet poſſibile, graue peccatum mortale committit: ſicut etiam, ſi quis concupiſceret mortem ſui inimici, & iudicaret eſſe ei impoſſibile illum occidere, & tamen ſi poſſet illum occideret, in illo deſiderio ſibi nimiùm complacens, peccaret etiam mortaliter, & nihilominus eius voluntas eſſet inefficax; ita in præſenti caſu de Angelo Dei æqualitatem appetente, eſt dicendum; vnde nota quòd ſicut circa impoſſibile poteſt eſſe meritum, ita poteſt eſſe peccatum: & hinc communiter adducitur illud S. Auguſtini cum Deo loquentis & dicentis, *ſi ego poſſem eſſe Deus mallem te quàm me eſſe Deum*: hic autem actus qui eſt meritorius verſatur circa impoſſibile, eſtque ſimplicis complacentiæ & velleitatis. Ita ergo iudicandum de ſimili actu peccaminoſo in quo eſt demeritum.

Angelus Dei inæqualitatem appetendo, quanquã inefficaci volitione peccauit.

At in fauorem prioris ſententiæ multa obijciuntur.

Obijcitur primò; Sicut intellectus intelligens ſummum verum non errat, ita voluntas volens ſummum bonum non peccat: ſed æqualitas Dei eſt ſummum bonum; ergo Angelus illam appetens non peccat. Reſpondeo intellectum de facto intelligentem ſummum verum non errare, modò intelligat illud eſſe in eo cui poteſt competere, aliàs erraret, ſi rationem ſummi boni in ente finito cui competere non poteſt intelligeret; ſic etiã voluntas amando ſummũ bonum & volendo ſummã bonitatem eſſe in Deo cui competit non peccat, ſed volendo ſibi eam, ſummum omnium ſacrilegiorum committit.

Obijcitur ſecundò; Angelus appetendo Dei æqualitatem, non peccauit ex ignorantia, neque ex paſſione, cùm his caruerit ante peccatum vt patet: ergo peccauit ex electione, ſed ex Ariſtotele loco ſupra citato, impoſſibilium non eſt electio: ergo nullomodo peccauit. Reſpondet Scotus, electionem quandoque ſumi pro actu efficaci voluntatis ſequente plenam apprehenſionem obiecti ab intellectu, cum medijs ad illud conſequendum: & aliquando pro actu inefficaci eiuſdem voluntatis ſequente quidem plenam obiecti apprehenſionem, ſed abſque eo quòd media ad illud conſequendum quærat: ſi ergo priori modo ſumatur electio, non poteſt eſſe impoſſibilium, quia impoſſibile vt impoſſibile iudicatur, ſicut eſt Dei æqualitas, non poteſt efficaciter appeti, nullus enim conſiliatur de impoſſibilibus, nec præcipit intellectui practico ad inquirendum media ad illa, ſicque Angelus ex tali electione & volitione efficaci non peccauit, cùm de facto circà ipſam Dei æqualitatem nullam efficacem habuerit volitionem & electionem: ſi verò ſecundo modo conſideretur electio, poteſt eſſe impoſſibilium, & ſic cùm Angelus circa illam Dei æqualitatem potuerit inefficacem habere volitionem & electionem, etiam peccare potuit. Aliqui alio modo auctoritati Ariſtotelis breuiùs reſpondent, videlicet electionem quæ ſequitur concluſionem ſyllogiſmi practici non eſſe impoſſibilium, ſed eam quæ ſequitur ſolam intellectus apprehenſionem.

Obijcitur tertiò; Nullus poteſt appetere æqualitatem Dei ſine errore, nam æqualitas cum Deo dicit implicationem, & implicatorium nequit cognoſci ſine errore; ſed in Angelo non fuit error ante peccatum, cùm error ſit pœna peccati: ergo neque potuit appetere Dei æqualitatem. Reſpondet Scotus Angelum ſimplici apprehenſione potuiſſe apprehendere æqualitatem Dei, in qua apprehenſione non eſt error, ſicut poteſt intellectus apprehendere coruum & albedinem, & poſtea voluntas vnum cum alio appetere. Id clariùs exponunt aliqui, error intellectus non conſiſtit in ſimplici apprehenſione terminorum, ſed in compoſitione & diuiſione, in quibus eſt veritas aut falſitas, ſiue in ſecunda operatione intellectus: apprehenſio autem illa æqualitatis Angeli ad Deum, pertinet ad primam operationem intellectus, ſcilicet ad ſimplicem apprehenſionem terminorum; ideò in tali apprehenſione non eſt error.

In ſimplici apprehenſione Angeli non fuit error.

Obijcitur quartò; Illud non poteſt concupiſci quod implicat contradictionem, nam huiuſmodi non habet rationem entis; ſed Angelum eſſe Deo æqualem implicat contradictionem, & non habet rationem entis: ergo non eſt volibile nec poteſt concupiſci etiam inefficaciter. Reſpondeo totum illud coniunctim & copulatiuè ſum-

ptum (Angelus eſt Deo æqualis) de facto non eſſe ens propriè loquendo, & contradictionem vel potiùs impoſſibilitatem includere; ſicque non eſſe volibile & per conſequens appetibile; attamen ratione ſuarum partium ſcilicet Angeli & æqualitatis Dei, habere rationem entis, & cadere ſub obiecto voluntatis: nam quemadmodum ſufficit ad hoc vt intellectus componat & comparet quodcumque ſimplex, cuicumque ſimplici etiam impoſſibili, vt vtrumque ſimplex apprehendatur per ſe & abſolutè ab intellectu: vt verbi gratia, homo & equus: ſic ad hoc vt voluntas (quæ eſt potentia collatiua) optet aliquid impoſſibile, ſufficit vt partes diuiſiuè & ſeparatim ſumptæ, ſint entia appetibilia, vel quòd voluntas velit vnam partem in ordine ad alteram: & per conſequens nihil vetat quominùs Angelus volitione ſaltem inefficaci & conditionatâ, poſſit Dei æqualitatem appetere eo modo quo ſupra expoſitum eſt.

Obijcitur quintò; Vnicuique rei naturale deſiderium ineſt conſeruandi ſuum eſſe: ſed Angelum fieri Deo æqualem importat Angelum non eſſe Angelum: ergo non potuit optare vt transferretur ſeu migraret in aliam naturam. Reſpondemus ex Scoto primò nullum de facto velle non eſſe voluntate ordinatâ, bene tamen inordinatâ, vt damnati deſiderarent potiùs non eſſe quàm eſſe in tantis pœnis: ſecundò, cùm dicitur Angelum appetere eſſe Dei, eſt appetere non eſſe, reſpondemus cum diſtinctione id verum eſſe conſequenter, interpretatiuè & implicitè, non verò antecedenter, formaliter & explicitè: poteſt autem voluntas velle conſequenter ſe non eſſe, licet tunc intellectus non aduertat quid ipſa velit, vt peccans mortaliter vult aliquid in quo non vult ſubeſſe Deo, quia illud obiectum non vult quod quidem Deus vult, velle autem non ſubeſſe Deo, eſt ex conſequenti velle non eſſe, cùm non poſſit eſſe creatura niſi Deo ſubiecta. Nota etiam minorem poſſe planè negari, aliquis enim poteſt velle antecedens, & nolle conſequens, quando hoc non eſt de conceptu formali illius; vt aliquis poteſt velle Epiſcopatum non curando de Sacerdotio, licèt enim Epiſcopatus includat Sacerdotium, ſunt tamen duæ res: hoc autem maximè fit, quando ignoratur habitudo neceſſaria inter antecedens & conſequens, vel circa eam actu non negotiatur intellectus: in propoſito Angelum velle eſſe Deum, non eſt formaliter & ſimpliciter volitio ſui non eſſe, licèt ad illam neceſſariò ſequatur (inquit Fauentinus) ideò ſicut intellectus ſeiungit vnum ab altero, ita voluntas poteſt ſeiungere in volendo vnum ab altero.

Nullus vult non eſſe, niſi inordinata voluntate, & quaſi conſequenter.

Si quæ aliæ adferantur obiectiones, ex ſupra adductis fundamentis & reſponſionibus ſolui poterunt.

Secunda aſſertio, licèt probabile ſit de facto Angelum peccaſſe, appetendo Dei æqualitatem ſecundùm naturam (inquit Tamarit) nullum tamen ad hoc aſſerendum firmum habemus fundamentum; illud enim quod magis vrgere videtur, apud Eſaiam habetur: *Similis ero altiſsimo*, ſed iam ſupra monuimus id de Rege Babylonis ad litteram intelligi, & ſolùm figuratè ac hyperbolicè de Angelo ad magnam ſignificandam ſuperbiam, non poteſt ideò ex illo loco colligi, an Angelus Dei æqualitatem ſecundùm naturam, aut tantùm ſecundùm ſimilitudinem vel aſſimilationem appetierit: omnia pariter alia teſtimonia de æqualitate aliqua per ſimilitudinem exponi poſſunt; quòd tamen ſit probabile ipſum Angelum Dei appetiuiſſe, vel ſaltem potuiſſe appetere æqualitatem ſecundùm naturam, probatur ex Sancto Gregorio Nazianzeno, qui ita videtur ſentire, in Oratione enim de ſeipſo contra eos qui dicebant ipſum cathedram Conſtantinopolitanam affectare, ita ſcribit: *Hæc* (ſcilicet inuidia) *Luciferum obſcurauit ob mentis elationem prolapſum, indignum enim atque intolerabile dicebat, ſe cùm diuinus eſſet, non Deum quoque exiſtimari*. Et idem Sanctus de Dæmone loquendo illud met expreſsè docet, *dum*, inquit, *Deus eſſe cupit, tetrâ caligine totus obrutus eſt*. Et Gloſſa exponens verba Pſalmiſtæ, *Quæ non rapui tunc exoluebam*, ait Diabolū primoſque noſtros parentes peccaſſe, volentes rapere diuinitatem. Non deſunt alij Doctores qui idem ſentiunt.

De Angelis qu. 33. *Eſa. 14.* Angelum appetiuiſſe Dei æqualitatem ſecundùm naturam, eſt probabile. *Orat. 27. num. 8.* *In Carm 6.* *Pſalm. 68.*

SECTIO V.

An appetierit Angelus vnionem hypoſtaticam, & beatitudinem ſupernaturalem.

INter alios actus inordinatos amoris concupiſcentiæ in Angelo, multi docent, actum appetitus vnionis hypoſtaticæ cum Verbo Diuino, & beatitudinis ſupernaturalis annumerari debere. Et quod ad primum ſpectat, Sanctus Thomas, Molina, Granados, & quidam alij fuerunt huius ſententiæ, & illam eſſe probabilem reputat Suares qui plures citat, tam Patres quam Scholaſticos: & idem ſentit Lorca, docetque propoſitam fuiſſe Angelo perſonam Verbi Incarnati tanquam ſupremum Dominum, cui ipſe & omnes creaturæ ſubeſſent, & præ ſuperbia & inuidia reprobauit talem diuinam ordinationem, quam apprehendere tunc potuit eſſe contra ſuum honorem & prærogatiuam, & ægrè tulit quòd inferior creatura illi præferretur,

An Angelus appetierit vnionem hypoſtaticam. *Suares lib. 7. cap. 13.*

affectauitque excellentiam illam, hoc eſt vnionem naturæ ſuæ cum Verbo diuino, cum omnibus proprietatibus quæ ad illam conſequuntur, tanquam ſibi naturâ humanâ longè ſublimiori, debitam.

Probatur hæc ſententia ex eo quod habet Sanctus Paulus ad Hebreos: *Cùm iterùm introducit primogenitum in orbem terræ dicit, & adorent eum omnes Angeli Dei.* Ponderant illam dictionem *iterùm*, ſupra nominati Doctores, ſignificat enim Deum Patrem aliàs propoſuiſſe Chriſtum Angelis adorandum, quando videlicet illis ab initio reuelauit myſterium Incarnationis: & quia tunc Lucifer atque eius ſequaces in illa prima introductione, noluerunt ipſum Chriſtum Deum & hominem adorare, & ſe illi ſubijcere, ideò dicunt illi Patres, ſuperbè eos vnionem illam hypoſtaticam inordinato affectu appetiuiſſe, homini inuidentes quòd tali honore donandus eſſet. Et hinc eſt ortum in cœlo prælium illud magnum, in quo Sanctus Michaël, & boni Angeli ſui ſequaces: *Vicerunt in ſanguine Agni*, vt in Apocalypſi habetur. Fauet Rupertus, ad ea verba Sancti Ioannis: *Homicida erat ab initio*, quia cùm ei, & alijs Angelis reuelatum fuit Verbum diuinum naturam humanam aſſumpturum, tantâ fuit affectus inuidiâ, vt ſi tunc illam deſtruere potuiſſet, id pręſtitiſſet; ita multi etiam docent, & inter reliquos Sanctus Bernardus, qui in hęc Ionæ verba: *Propter me orta eſt hæc tempeſtas*, exponens illud de Verbo Dei, dicit quòd Lucifer præuidit rationalem creaturam aſſumendam in vnitate perſonæ Filij Dei, vnde vidit & inuidit; ex quo deducit Alexander Alenſis inuidiam fuiſſe caſus Diaboli cauſam. Notant tamen nonnulli poſſe aliquem affectu moderato & ſecundùm rectam rationem, deſiderare vnionem hypoſtaticam ſuę naturæ cum Deo, non inuidiæ cauſa, & vt alijs pręeſſet, ſed vt arctiori modo ſanctitatis & impeccabilitatis, cum Deo iungeretur; ſi tamen talem dignitatem appeteret, aut contra pręceptum poſitiuum, aut ex affectu vt alijs antecelleret, etiamſi præceptum non eſſet vetans talem appetitum, eſſet quidem peccatum ſuperbiæ, cùm ſuperbia ſit appetitus inordinatus propriæ excellētiæ: & ſi fieret cum contemptu pręcepti, ex intentione expreſſa tranſgrediendi illud, eſſet etiam peccatum inobedientię.

Hebr. 1.
Apoc. 12.
Ioan. 8.
S Bernard. in 2. Iona.
3. part. qu. 2. membro 13.
Peccatum ſuperbiæ quid.

Porrò, etiamſi graues Authores hanc ſententiā teneant, quòd Dęmon inuidens homini, perſonalem cum Verbo vnionem ſuperbè appetierit; alij tamen iudicant id non potuiſſe; ſed quicquid ſit de tali impoſſibilitate quam non ita iudico, omiſſis alijs rationibus reijcitur à Scoto, & quibuſdam alijs ſuis ſequacibus, inter quos videatur Faber Fauentinus qui in medium quaſdam Scoti rationes adducit, & exponit

2. Sent. qu. 2.
Diſp. 32.

exponit ſupra allata Sancti Pauli verba. Inter alias autem rationes iſta eſt ſummoperè aduertenda, quòd ſi Angelus vnionem hypoſtaticam appetijt, nonniſi ad maius commodum id præſtitit, quia videlicet ad illam vnionem ſequitur maior beatitudo ſupernaturalis, & ita primò beatitudinem illam amore inordinato concupiſcentiæ appetijt; & eſt quod pro ſecunda huius ſectionis parte eſt reſoluendum.

Communis itaque eſt Scholaſticorum ſententia, Angelum peccaſſe immoderato affectu beatitudinis ſupernaturalis. Ita Scotus [a], S. Thomas [b], Thomas de Argentina, Caietanus, Durandus, Richardus; & multi alij.

Peccauit Angelus immoderatè appetendo beatitudinem ſupernaturalem.

a in 2. diſt. 6. qu. 2.
b 1. p. qu. 63. art. 3.

Pro declaratione huius ſententiæ, eſt notandum cum Scoto loco citato & alibi, quòd ſecundùm Sanctum Anſelmum duplex eſt affectio in voluntate, vna commodi, altera iuſtitiæ. Affectio commodi eſt inclinatio naturalis voluntatis ac ſi non eſſet libera, quâ inclinatione ſolùm tendit in ſuum commodum, & nequit non tendere in illud: Affectio iuſtitiæ eſt, quâ tendit in aliquod vt eſt iuſtum, id eſt vt regulatum per iuſtitiam ſiue innatam, ſiue infuſam, ſiue moralem: voluntas enim habet quandam regulam inſitam à natura, vt velit quod iuſtum eſt: & hæc affectio eſt moderatrix affectionis commodi tam quoad obiectum quàm quoad circunſtantias. Hoc ſuppoſito, probatur hæc ſententia eiuſdem Scoti & citatorum hâc ratione.

Anſel. de caſu Diaboli c. 4
Duplex affectio, commodi & iuſtitiæ, & quid ſint.

Primus actus concupiſcentiæ inordinatus Angeli, vel proceſſit ex affectione iuſtitiæ, vel ex affectione commodi; non primum, quia tunc non eſſet peccatum; ergo ſecundum: at verò maius commodum quod poteſt appetere voluntas deſtituta affectione iuſtitiæ, & quæ eius regulam non ſequitur, eſt beatitudo ſupernaturalis; & certum eſt Angeli voluntatem, illam iuſtitiæ regulam non fuiſſe ſecutam, & eius appetitum fuiſſe inordinatum: ergo ille primò hanc appetijt beatitudinem amore concupiſcentiæ.

Confirmatur, quia quod primò actu illo immoderato appetijt, eſt maximum delectabile, non enim quod incommodum & triſte eſt, appetitur; at beatitudo ſupernaturalis eſt exceſſiuè delectabilis & procul omnem abijcit triſtitiam: ergo primum peccatum concupiſcentiæ Angeli fuit inordinatus appetitus illius beatitudinis ſupernaturalis; vel ſaltem fuit ſecundùm, ſi vt volunt aliqui, primum concupiſcentiæ peccatum fuerit ſuperba appetitio æqualitatis cum Deo. Confirmatur; quia ſi potentiæ ſenſitiuæ vt potentia appetitiua guſtus, tactus, &c. maximè appetant obiecta delectabilia & ſibi conuenientiſſima, etiam pluriès contra regulam iuſtitiæ, multò magis

potentiæ ſpirituales, vt intellectus & voluntas Angeli, quæ longè ſenſitiuis illis potentijs perfectiores ſunt.

Item ſic probatur. Primum peccatum in concupiſcendo fuit aliquod velle, aut ergo Angelus concupiuit aliquid amore honeſti, vel vtilis, vel delectabilis; non primum, quia tunc non peccaſſet: nec ſecundum, quia amor vtilis non eſt primus amor, nullus enim priùs cõcupiſcit vtile quàm id ad quod eſt vtile: ergo peccauit cõcupiſcendo aliquid exceſſiuè tanquam delectabile ſummum: ſummum autem delectabile eſt ipſa beatitudo: igitur videtur Dæmon peccaſſe, illam inordinatè appetendo.

13. de Trinit. cap. 5. At Scotus contra ſuam & ſupra citatorum ſententiam, objicit Beatitudo naturaliter ab omnibus appetitur, ſecundùm Auguſt. ſed appetitus naturalis cùm à Deo ſit, eſt rectus: ergo voluntas conſona huic appetitui, recta erit, & per conſequens in illa non erit peccatum. Confirmatur; quia ipſa beatitudo eſt maximè amabilis, imò ad illam aſpirare tenemur: ergo amor circa illam nequit eſſe peccaminoſus, Reſpondet Scotus, quando voluntas vt libera ſequitur appetitum naturalem, cum omnibus requiſitis circunſtantijs, ſecundùm regulam iuſtitiæ, tunc voluntas eſt recta; ſi verò deficit aliqua circunſtantia, vt in Angelo defecit, tunc non eſt recta; potuit ergo Angelus inter alia, inſolenter appetens beatitudinem ſupernaturalem, & non ſecundùm modum à Deo præſcriptum, tripliciter peccare. Primò, quia potuit appetere beatitudinem maiori conatu & intenſiori modo quàm par eſſet & ſibi conueniret, vel eam plus appetendo inquantum erat ſibi bona & commoda, quàm amando illam in ſe, inquantum videlicet eſt tale bonum in ſe perfectum, aut plùs deſiderando bonum ſibi ipſi quàm Deo. Secundò, potuit peccare volendo beatitudinem ſtatim & citiùs quàm ſibi conueniret, ægrè ferens multùm, quòd ei citò non conferretur, cùm tamen Deus non decreuiſſet eam dare niſi poſt morulas viæ. Et hunc modum valdè probabilem iudicat Suares, quia potuit, inquit, Angelus appetere beatitudinem cum affectu celeriùs illam obtinendi, quàm ſecundùm regulam rationis, ac diuinæ prouidentiæ poſſit; quamuis enim in naturali beatitudine hic exceſſus locum non habuerit, quia illa fuit conjuncta cum natura; alia ratio eſt de beatitudine ſupernaturali, quæ non ſtatim fuit collata, nec in primo inſtanti, nec in ſecundo; potuit ergo Lucifer in illomet ſecundo inſtanti cùm ſe ad claram Dei viſionem non ſtatim eleuari conſpiceret, illam tanquam ſibi debitam affectare, eiuſque dilationem indignè ferre: hunc autem affectum concipere potuit ſine errore, iudicando ſolùm excellentiam illius beatitudinis eſſe ſibi

Angelus appetendo inordinatè beatitudinē ſupernaturalem potuit tripliciter peccare.

conuenientiſſimam, & dilationem eius eſſe ſibi diſconuenientem, & non conſentaneam perfectioni ſuæ naturæ & meritis, quæ in primo inſtanti iam habuerat, non conſiderando an eſſet priùs neceſſaria perſeuerantia, per pleniorem magiſque deliberatam in Deum conuerſionem. Tertiò, potuit peccare ipſe Angelus volendo beatitudinem illam ſupernaturalem habere ſine meritis, & propriis viribus naturalibus, non verò ex auxilio diuino, quod erat cōtra id quod Deus decreuerat: & ſic interpretari poteſt S. Auguſt. cùm dicit quod Lucifer appetiuit gloriam ſine meritis, vtique auctis & confirmatis in 2. inſtanti; lege ipſum. *12. de Ciuit. Dei. c. 1.*

His igitur modis, vel aliquo horum, veriſimile eſt Luciferum deliquiſſe, & complices illius. Quidam addunt, in his omnibus ſatis eluceſcere tanti facinoris in Dæmonibus grauitatem & intolerandam enormitatem, quòd ad exiguum tempus noluerint humilem Deo famulatum quem facilè poterant, reddere, etiam propoſito tanto pro hoc famulatu præmio, quantum eſt Deus ipſe, eiuſque beatifica viſio: imò quòd voluerint illam illicò, & ſine mora habere, vel per naturæ vires, vel gratuitò; & tamen nunquam pro tantis beneficijs ei gratias agere intendebant. Et hinc quidam Doctores aiunt, Luciferum appetendo vnionem hypoſtaticam (ſi ita ſit quòd illam appetierit) atque beatitudinem ſupernaturalem, in his Dei æqualitatem appetiuiſſe: in hypoſtatica quidem vnione quatenus ſuppoſitum fuiſſet idem naturæ diuinæ & Angelicæ, ſicut nunc eſt diuinæ & humanæ: in beatitudine verò, quaſi illam haberet à ſe & per ſe ſicuti Deus.

Sed obijcies, *Nullus intellectus errat circa prima principia*, ex Ariſtotele [a]: ergo neque voluntas circa vltimum finem: probatur conſequentia ex eodem Ariſtotele [b], *Sicut principium in ſpeculabilibus, ita finis in agibilibus.* Reſpondet Scotus, quòd ſicut actus intellectus conſiderando principium in ſe, non poteſt eſſe falſus, ita voluntatis actus amando finem in ſe non poteſt eſſe malus; tamen ſicut actus intellectus poteſt eſſe falſus attribuendo primam veritatem creaturæ, ita actus voluntatis poteſt eſſe malus, concupiſcendo bonitatem cuiuſdam finis diuerſi ab vltimo fine, nam hoc eſt frui vtendis, & ita vterque Ariſtotelis textus explicatus manet.

a 2. Met. tex 3.
b 2. Phyſic. Litt. k.

SECTIO VI.

De quibuſdam alijs Luciferi & aliorum culpis, in via & poſt lapſum.

SVPRADICTÆ Luciferi culpæ videlicet immoderato amori ſui, quem luxuriam ſpiritualem vocat Scotus, & ſuperbiæ, appetendo tum Dei æqualitatem & ſimilitudinem, & iuxta quoſdam vnionem hypoſtaticam Verbi; tum beatitudinem ſupernaturalem vltra menſuram vel modum debitum, vel tandem ſupernaturalis poteſtatis excellentiam ſuper creaturas, multa alia peccata in quæ prorupit, adiuncta fuêre, quibus non ſolùm fuit ipſe Lucifer fœdatus & conſpurcatus, verumetiam reliqui inferiores, qui eius perſuaſioni attendentes conſenſerunt: eſt enim communis Doctorum ſententia, iſtos inferiores, iiſdem peccatis quibus Lucifer peccauit fuiſſe irretitos, niſi aliquod illorum peccatorum eis repugnet, quamuis tamen aliàs dixerimus Luciferi peccata fuiſſe grauiora.

Lucifer & eius complices multis peccatis fœdati ſunt, & quibus.

Primò ergo in Lucifero fuit arrogantia ex ſuperbia nata, & cuius eſt ſpecies; ait enim Sanctus Thomas cum Iſidoro, de ſuperbia naſcitur arrogantia, non è conuerſo. Vndè præclarè admodum dicit Theodoretus: *Præter appetitum inordinatum excellentiæ* (qui ſuperbia eſt) *arrogantiam habuit*, fuit ergo non ſolùm ſuperbus, ſed etiam arrogans.

2. 2. qu. 162. art. 4. *De diuinis decret. l. 5.*

Illi etiam tribuitur iactantia, ſeu voluntas iactandi ſe apud alios, vt eos exaltationis ſuæ coöperatores efficeret: & hoc facinus ſequitur quoque ex eius ſuperbia; nam (vt ait idem Iſidorus) niſi præceſſerit occulta elatio mentis, non ſequitur apertè iactantia laudis.

Nulli etiam dubium eſt quin maxima in eo fuerit ambitio, quæ eſt etiam vitium ſuperbiæ annexum, & ſpecies eius: vnde Sanctus Ignatius docet Luciferum decôrem ſuum amiſiſſe per auaritiam & ambitionem, vbi auaritiæ nomine, metaphoricè ſuperbiam intelligit: nam ſicut auaritia eſt nimia diuitiarum concupiſcentia, ita ſuperbia eſt nimius excellentiæ appetitus, vt perbellè & copioſè expoſuit Sanctus Ambroſius. In eo etiam fuit maxima ambitio quòd inordinatiſſimè appetiuit honorem, & ſolus omnium princeps eſſe voluit; eſt enim ambitio immoderata cupiditas honoris, inquit Sanctus Thomas: in eo quoque fuit maxima præſumptio orta etiam ex ſuperbia, ſicut ambitio, inquantùm præſumpſit Dei æqualitatem &

In Epiſt. 8. ad Philipp. *Epiſt. 53.* *2. 2. qu. 131.*

ſimilitudinem appetere, & ſibi ſi potuiſſet, idque proprijs naturæ viribus, vendicare, & habere gloriam ſine meritis: pręſumptio enim propriè loquendo, cōſiſtit in tendentia ad aliquod bonum inordinatè & vltra debitam regulam ac menſuram: at verò Lucifer hoc modo tendebat ad Dei ęqualitatem & ſupernaturalem beatitudinem, vt ſupra dictum eſt, quod verè crimen eſt læſæ Maieſtatis Diuinæ; & per conſequens præſumptionis vitio non carebat. Deinde ſicut ſuperbia humilitati opponitur, ita etiam præſumptio quæ ab illa originem trahit: conſtat igitur Luciferum hoc præſumptionis vitio humilitati oppoſito laboraſſe, dùm ex nimia ſui æſtimatione voluit omni naturæ creatæ pręferri; immò & Deo ipſi, ſi poſſibile ei fuiſſet: & hinc pariter illi propriè, & ſine metaphora attribuitur inanis ſeu vana gloria, vt ſentit Sanctus Thomas, qui inter peccata inanis gloriæ quæ mortalia interdum ſunt ex parte materiæ, ponit peccatum Luciferi, prout illis verbis Ezechielis declaratur: *Eleuatum eſt cor tuum, & dixiſti Deus ego ſum:* dicitur autem vana ſeu inanis gloria, quoniam vbicumque falſa eſt & abſque fundamento; & tamen non deſinit grauiſſimum eſſe peccatum, quia honori & gloriæ diuinæ maximè contrarium eſt. Notant autem aliqui hunc actum inanis ſeu vanæ gloriæ in Angelo, non fuiſſe realiter diſtinctum à ſuperbo appetitu propriæ excellentiæ, & proindè Luciferum gloriam illam vanam ab illo reſultantem, vno impetu & actu ſimul cum illo potuiſſe appetere: inde etiam colligitur appetiuiſſe Luciferum, vt honor Deo ſoli debitus, ſibi quoque formaliter & actu ab alijs Angelis tribueretur, quod abſque idololatriæ crimine præſtare non poterant: ſicut nunc Ethnici à quibus cum ſuis ſequacibus colitur, non poſſunt hoc idololatriæ crimine non fœdari: & non mirum ſi ab his adorari concupiſcat, cùm ab ipſomet Chriſto adorationem etiam ſupremam impiè & ambitioſè nimis expetierit, vt refert Sanctus Matthæus: *Hæc omnia tibi dabo* (inquiebat) *ſi cadens adoraueris me*, ſed de his fuſiùs hoc Tractatu dicendum erit. Alexander Alenſis dicit Dęmonem auaritiæ peccato etiam fuiſſe fędatum, non quod pecunias aut alias temporales diuitias appetierit, tùm quia nondum erant, tùm quia hæc temporalia & materialia ei vſui non ſint; ſed quoniam honoris & gloriæ nimium cupidus fuerit, & vltrà ordinem debitum ſurripere gloriam Dei voluerit tanquam fur & latro: vnde cùm Chriſtus dicit: *Quendam hominem deſcendentem ab Hieruſalem in Hierico incidiſſe in latrones*, per latrones intelligunt Dęmones, Sancti Patres: itaque auaritia illā fuit ſpiritualis tantùm, & ideò tantò maior tantòq; deteſtabilior, quantò magis inordinatè bonum pręſtantius quo indignus erat Dęmon ipſe, appetijt.

[Margin notes: 2.2. qu. 132. art. 5. — Ezech. 28. — Vana gloria quid. — Matth. 4. — *Alex. Alenſ.* 2. p. q. 98. membro 2. — Dæmon fuit auaritiæ peccato fœdatus, & quomodo. — Luc. 10.]

Lucifer inuidus fuit, cur & quomodo.

a *in 2. diſt. 5. & 6.*

b *Lib 11. de Gen. ad litt. c 14. & 15.*

Quid inuidia & odium

Certum eſt quoque Luciferum, verum ac proprium inuidiæ peccatum poſt ſuperbiam commiſiſſe. Ita communiter Theologi [a], & tradunt frequenter SS. Patres, vt S. Aug. [b] qui ait inuidiam Angeli ſecutam eſſe ex ſuperbia, & non è conuerſo: hæc igitur ſunt illius verba. *Hæc inuidia ſequitur ſuperbiam non præcedit, non enim cauſa ſuperbiendi eſt inuidentia, ſed cauſa inuidendi ſuperbia*: quod poſtea explicat, *cum* inquit, *ſuperbia ſit amor excellentiæ propriæ; inuidiæ verò ſit odium fœlicitatis alienæ, quid inde naſcatur ſatis in promptu eſt, amando enim quiſque excellentiam ſuam, vel paribus inuidet quòd ei coæquentur, vel inferioribus ne ſibi coæquentur, vel ſuperioribus quòd eis non coæquetur*. Et tandem concludit, *ſuperbiendo igitur inuidus, non inuidendo quiſque ſuperbus efficitur.* Quibus verbis apertè oſtendit inuidiam Diaboli ex eius ſuperbia natam fuiſſe; nam communiter loquendo, alteri inuidere nihil aliud eſt quàm de illius bono triſtari, quatenus illud bonum videtur propriæ & ſingulari excellentiæ aliqua ratione obeſſe; at ſuperbia (vt dictum eſt) eſt appetitio quædam inordinata propriæ excellentiæ, cùm videlicet aliquid appetitur ab intellectuali creatura excedens id quod ſibi debetur, iuxta præfixum ei modum à diuina prouidentia; quando ergo quis animaduertit bonum aliquod in altero, propriæ ſuæ excellentiæ aliquo modo obeſſe, de hoc triſtatur; & quid eſt illa triſtitia niſi inuidia? poſſumus itaque de malorum Angelorum inuidia ita philoſophari. His ſuffragatur S. Bernardus, *Lucifer ergo* (inquit) *in ſtatu viæ, & etiam ante hominis creationem, ſimul cum ſuperbia inuidiam concepit.* Et S. Anſelmus apertè docet, Luciferum Deo ipſi inuidiſſe. *Agnoſcens* (ait) *ipſum eſſe Deum & conditorem ſuum, contra conſcientiam inuidit illi, & voluit ſe Deo parificare.* Et idem S. Bern. vt præcedenti ſectione notatum eſt, docet ipſum malum Angelum talem concepiſſe inuidiam, ex eo quòd filius Dei non eſſet eius naturam in vnione hypoſtatica aſſumpturus, ſed humanam quanquam inferiorem, vt illam de facto in temporis plenitudine ſibi vniuit, non verò Angelicam, iuxta id quod habet S. Paulus, *non Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ.*

Serm. 17. in Cantic.

S. Anſelm.

Hebr. 2.

At alij volunt, & rectè admodùm, ipſius Dæmonis inuidiam in eo conſtitiſſe, quòd hominem præuideret ad Dei imaginem & ſimilitudinem creandum, beatitudiniſque æternæ capacem fore, & illam quandoque conſecuturum; hoc (inquam) admodum moleſtè tulit, & ob id poſtea tentauit primos parentes noſtros in Paradiſo terreſtri, & ad idem ſuperbiæ peccatum & rebellionem, quam contra ſuummet creatorem commiſerat, induxit, dicens: *Eritis ſicut dij, ſcientes bonum & malum.* Et eſt quod dicit ſapiens, *inuidiâ Diaboli*

Geneſ. 3.

Sap. 2.

mors intrauit in orbem terrarum. Et ratio ex S. Auguſt. ſupra citatò elicita hoc ſuadet. Ille quippe cenſetur eſſe inuidus qui de proſperitate ſeu fœlicitate aliena dolet, quatenùs vel verè obeſt, vel obeſſe creditur propriè; at certum eſt Dæmonem pro eo tempore quo primo loco peccauit, moleſtè tuliſſe fœlicitatem hominis, & quidem quòd crederet illam ſibi obeſſe, cùm homo ipſe eſſet inferioris naturæ, & mox cogitaſſe de perdendis quibuſuis hominibus; vnde homini recèns creato per mulierem inſidiatus eſt, & illum peccato mortique ſubiecit, eaque ratione dicitur: *homicida ab initio,* ita vt homicidium quod ipſo homine creato perpetrare intendebat, fuerit vna ex circunſtantijs primæ eius culpæ, quæ ſuperbia fuit, ex qua orta eſt inuidia. *Ioan. 8.*

Ex tali inuidia in malis Angelis, ſecutum eſt odium erga Deum; quia inter filias inuidiæ prima eſt odium, vt docent SS. Greg. [a] & Thomas [b]. Et ita hoc odium tribuunt Lucifero multi Theologi, præſertim Hugo de S. Victore [c] dicens. *Quando Angeli ſancti in ſecunda mora per amorem ad Deum conuertebantur, Lucifer per odium ab illo diſceſſit,* & maximè quòd Deus illum & ſuos ſequaces obligaret ad ſe ipſos humiliter ei ſubijciendos, vt beatitudinem ſupernaturalem conſequerentur, & quia videbant ſe non poſſe aſſequi quod appetebant Deo manente, ideo tunc voluerunt Deum non eſſe: & hoc peccatum maximum fuit; ſicut enim formaliter nullus actus eſt melior quàm diligere Deum, ita nullus eſt pejor quàm illum odio habere. Dicere itaque poſſumus quòd quemadmodum Deus charitas eſt, vt ait S. Ioannes, ita Dæmon eſt ipſamet inuidia, ipſummet odium, & qui manet in inuidia & odio, manet in Diabolo, & Diabolus in eo, ſicque videtur quaſi Dæmon incarnatus. De tali autem odio Dæmonum erga Deum, habet Pſaltes Regius, *Superbia eorum qui te oderunt aſcendit ſemper.* Et licèt reſpectu Dei hoc odium fuerit tantùm virtuale, cùm ex Scoto non poſſit Deus odio haberi formaliter; attamen reſpectu Chriſti, vel generis humani cui Lucifer directè inuidebat, probabile eſt odium illud Dæmonis fuiſſe formale, ei omne malùm & eius deſtructionem & totalem ruinam deſiderando; & in hunc ſenſum declarat S. Hieronymus & multi alij, illud S. Ioannis, *Ille homicida erat ab initio;* nam quod in effectu exequi cœpit in Paradiſo Terreſtri, in affectu habuit in cælo, cùm primùm homini inuidere cœpit. Et hinc ex tali Dæmonis erga homines odio (inquiunt multi) nata eſt in eo iniuſtitia, quaquidem eorum vitam & bona perdere voluit ſi potuiſſet.

Odium Dæmonis erga Deum.

a Lib. 31. moral. cap. 31.
b 1 2. q 63. art. 5. ad 3.
c In ſumm. ſent. tract. 2. cap. 3.

1. Ioan. 4.

Pſalm. 73.

Ioan. 8.

Dæmonis iniuſtitia.

Ex eodem odio Dei, eſt quoque orta in Dæmonibus ira, inquantùm voluerunt & continuò volunt tanquam Tigrides & feræ crude-

Dæmonum ira.

ſiſſimæ ſe vindicare de iniuria quam ſibi eſſe illatam exiſtimant, inquantùm Deo volente detinentur in igne, & perpetuò abſque vlla liberationis ſpe; de tanta ira habet S. Ioannes in Apocalypſi, *væ terræ & mari quia deſcendit ad vos Diabolus habens iram magnã, &c.*

Apoc 12.

Dæmonũ inobedientia.

Deinde ex odio in Deum, eſt nata in ipſiſmet Dæmonibus inobedientia, qua expreſſè repugnarunt præcepto diuino, nec ei ex odio in eum concepto ſe ſubijcere voluerunt, iudicantes id eſſe propriæ eorum excellentiæ contrarium.

Blaſphemia & infidelitas Dæmonum.

Prçter illa peccata, poſſunt nonnulla alia formaliter in ipſis Angelis malis reperiri, vt blaſphemia, nec-non infidelitatis peccatum: nam docent aliqui, in ſtatu viæ illos forſitan iudicium contrarium de rebus fidei tuliſſe, ex nimia elatione & ſuperbia, ſicut nunc tale infidelitatis peccatum dici poteſt in eis remanere, non quidem per poſitiuum diſſenſum, cum iudicare poſſint rem à Deo dictam, eſſe credibilem, vt habet Sanctus Iacobus: *Dæmones credunt & contremiſcunt,* credunt (inquam) non ſupernaturali fide, nullum ſiquidem ſupernaturalem actum elicere queunt; ſed ideò infideles potiſſimùm dici poſſunt, quia vix dantur inter homines aliqui infideles & hæretici, qui diſcredant articulis fidei, & ijs omnibus quæ ab Eccleſia proponuntur credenda, qui non ſint ab aliquo vel aliquibus Dçmonibus, moti atque inducti.

Iacobi 1.

In Dæmonibus eſſe impatientiam, quomodo intelligendum.

Sunt qui notant, & non ſine ratione, Luciferum & alios ſuos complices, ſaltem nunc poſt eorum caſum, ob dolores & triſtitias quas in ſuorum ſcelerum pœnam ſubeunt, vitio etiam impatienriæ fœdari: quemadmodum enim hi qui forti & conſtanti animo pœnas aliquas ſubeunt, meritò patientiæ virtute donari dicuntur; ita qui ægrè ferunt nimis illas ſubire, & potiùs ad vindictam ſe accingunt, verè impatientes dici debent; tales autem ſunt Dçmones, ſicque impatientiæ capaces ſunt; & licèt illa vt dicit ſenſibilem paſſionem, in eis propriè loquendo locum haud habeat, nulli tamen dubium eſt, quin eis inſit prout dicit appetitum vindictæ. Diximus notanter (nunc poſt eorum caſum) quia ex antedictis, impatientia ſupponit triſtitiam vel dolorem; in Lucifero autem & complicibus nulla triſtitia vel dolor in ſtatu viæ & ante eorum lapſum eſſe potuit, propterea quòd tunc nullum extrinſecum malum illatum eſt vnde triſtari poſſent & dolere; ergo in tali ſtatu viæ non potuerunt hoc crimine fœdari, ſed nunc ſolùm illis ineſſe poteſt, ob tot pœnas quas ſubeunt; quamuis tamen aliqui cenſuerint impatientiam illam ſolùm eſſe in eis metaphoricam.

Hçc ſunt potiſſima Dçmonum peccata, & quorum obiecta maximè ſunt ſpiritalia, nam reliqua quatuor peccata capitalia, nempe

auaritia,

auaritia, luxuria carnalis, gula, & acedia, quorum obiecta maximè ſunt corporea, nequeunt eſſe formaliter in Angelis vt dictum eſt; cùm ſint immateriales, & incorporei; & illa peccata, ſaltem tria priora verſentur circà materiam ſenſibilem, nempe circà diuitias, & voluptates corporeas. Quod ſpectat ad acediam, tametſi verſetur circà ſpiritualia, (eſt enim tædium quoddam de operibus ſpiritualibus) tamen per ſe requirit corporis concomitantiam, bona enim ſpiritualia & diuina quæ à nobis participantur, ex ſe non cauſant tædium vel triſtitiam, ſed ſolùm ratione laboris & adiunctæ difficultatis, quæ iuxtà S. Thomam oritur ex corpore, quo cùm careant Angeli, non poſſunt hoc acediæ vitio laborare. Non poſſunt Dæmones acediæ vitio laborare. *Quæſt. 63. art. 2. ad 2.*

CAPVT II.

De caſu Dæmonum & eorum pœnis.

SECTIO I.

De eiectione Luciferi, & complicium diuerſorum ordinum è Cælo Empyreo, ob ſuprà dicta facinora.

DEVS prępotens, cuius voluntati nullus reſiſtere poteſt, tantam Angelorum Apoſtatarum rebellionem & ſummam ingratitudinem conſpiciens, extemplò reliquæ militiæ ſuæ, & Angelorum agminibus in officio ſuo remanentibus, poteſtatem dedit inſurgendi in illos perduelles; & ſicut ſi Regi alicui magno, maximum & grauiſſimum bellum eſſet gerendum contra aliquem ſui Regni Apoſtatam & perduellem, & ille Rex tali bello pręeſſe nollet, aliquem magnum Principem ad hunc effectum inſtitueret: ita Deus Rex ille omnium potentiſſimus, bellum maximum & grauiſſimum habens gerendum contra cæleſtis ſui Regni Apoſtatam & perduellem Luciferum, & nolens illud per ſeipſum gerere, cùm id quaſi ſuæ infinitæ maieſtati indecens videretur ad ſingulare certamen cum ſua creatura deſcendere; S. Michaëlem feruentiſſimo diuini honoris zelo accenſum, ad hunc effectum in ſuæ militiæ cæleſtis Principem, loco ipſius tyranni & rebellis Luciferi, euexit & inſtituit: cui certatim omnes alij boni Angeli ſponte, & mirâ animorum coniunctione ad-

fuerunt, iuſtiſſimiſque conſilijs humillimè acquieuerunt; vt cùm eo aduerſùs ſuperbum illum Luciferum & ſuos ſequaces dimicarent fortiſſimè; eo modo quo bellum gerere ſolent ſpiritus immateriales, videlicet non armorum motibus, ſed per intellectum & voluntatem, atque ſuam (vt aliqui aiunt) potentiam executiuam: & in tali conflictu, *boni malos vicerunt in ſanguine agni*: itaut ipſi rebelles qui ambitioſè vſque ad Dei Thronum volare ſtuduerant, diuino timore exanimes & deuicti, iuſtè & cum omni ignominia, à proprijs ſuis ſedibus deiecti ſint in perpetuum puniendi, deque luce in tenebras, de ſtatu innocentiæ in culpam, atque de fœlicitate viæ in miſeriam ſempiternam ceciderint: vt de tam miſerabili caſu loquens Chriſtus, ait: *videbam Sathanam ſicut fulgur de cælo cadentem.* Quemadmodum enim de cæli ſublimitate fulgur cernitur velut in momento, in ictu oculi, ad terræ partes inferiores magno cum impetu deijci: ſic Luciferum & complices, idem Chriſtus qui S. Michaëlis miniſterio, exercebat aduerſus eos iudicium, vidit de ſublimi cœlorum altitudine proijci, itaut maior pars in tartarum diuino vrgente numine, cum ipſo Lucifero fuerit detruſa; alia verò in aërem caliginoſum ex media & infima aëris regione conſtantem, ſecundùm occultum diuinæ ſapientiæ conſilium ſit deturbata, ad nouiſſimum vſque magni iudicij diem, donec eorum ruinæ iuxtà Pſalmiſtæ vocem, penitùs adimpleantur, & perfectè omnia diuinis pedibus ſubijciantur. Aliqui porrò notant illos quodammodò gaudere, dum permittuntur in hoc aëre verſari, tum quia aliquid in eo libertatis habent ad vagandum per varias prouincias, ad concitandum ventos, tonitrua, tempeſtates, ſterilitatem, morbos, peſtes &c. tum quia facultatem habent homines tentandi & affligendi; & hinc verſantur non ſolùm in aëre Deo permittente, vnde ab Apoſtolo, *ſpiritualis nequitiæ dicuntur in cæleſtibus*, verumetiam in aqua, terra, montibus, cauernis, ſyluis, deſertis, vbi olim ipſi ſe Faunos & Satyros vocabant: vbicumque homines verſantur, ibi exiſtunt & Dæmones, qui eos inſtar apum circunſtant, vt venerandus quidam ſenex Deo reuelante cognouit. In ſubterraneis cauitatibus quò aeri fames penetrat, plures adeſſe Dæmones eſt compertiſſimum, vbi maximè fodiuntur metalla ac gemmæ eruuntur. Olaus magnus ſex horum ſpirituum genera habitare in mineris metallicis tradit, at ea non enumerata ſunt verò ab ijs qui aliquid noſſe de Dæmonibus profitentur, hiſce immundis ſpiritibus, qui per hunc orbem aëremque diuagantur, certa conceſſa nomina: qui enim per ſuperius aliquantulùm aëris ſpatium diſcurrunt, barbaro nomine *leliury*, hoc eſt ignei appellantur, qui verò vagantur per aërem contiguum & proximum nobis, *aërij* dicuntur.

Apoc. 12.

Lucifer & cõplices ſpiritus è cælo à S. Michaële & ſuis deiecti ſunt, & in quæ loca.

Luc. 10.

Pſal. 109.

Epheſ. 6.

Degentis Septentr. cap 10.

quî certis quibuſdam in locis huius terræ verſantur, *terreſtres* vocantur; ſicut degentes in aqua *aquei* ſeu *aquatici* multis ſæpè in inaquis vitam eripientes; alij illos *Neptunos* vocant. Sub terra latitantes *ſubterranei ac lucifugi* nuncupantur. Dicemus autem in Capite de Dæmoniacis Sect. 2. eorum gaudium in illis locis ſi quod ſit, eſſe admodum leue & momentaneum, quia illis in maius tormentum & dolorem cedit. Quamuis verò innumera ſit ipſorum Dæmonum multitudo in aëre caliginoſo, & alijs ſupra-dictis locis, ad hominum exercitium; attamen Bellarminus, Suares & nonnulli alij, ex doctrina Sancti Auguſtini & aliorum Patrum, docent omnes Dæmones qui ſunt in infernum detruſi, ab eo indiſcriminatim exire ad tentandum, raró tamen; illucque retrudi ex prouidentia Dei: vnde Sanctus Cyrillus Alexandrinus appellat Sathanam tortem ex igne euulſum, quia ex igne infernali ſunt emiſſi illi maligni ſpiritus, qui in aëre & alijs ſupra-dictis locis verſantur; & hinc docent multi, illos gehennæ ignem ſecum ferre; non enim veriſimiliter, aliunde eum tulerunt quàm ab inferno in quem fuerant præcipitati. Dum dicimus autem eos ab illo gehennæ loco ad exercitium noſtrum exire, & illuc retrudi, vnicum excipimus Principem ipſum Luciferum, qui poſt tentationem Chriſti, vel ſaltem poſt eius mortem, ita mancipatus eſt inferno, vt indè exire ei numquam permittatur, vſque ad tempora Antichriſti, vt ſatis probabiliter probat Suarez, cap. 17. num. 9. & ex cap. 20. Apoc. ita Viegas & Ribera docent.

Bellarm. tom. 1. de beat. Sanctorum c. 6.

Dæmones ab inferno egrediuntur quandoque ad tentãdum, & illuc retruduntur.

In ad hort. ad Geneſ.

Lucifer inferno eſt mãcipatus vſque ad tempora Antichriſti.

Aduerte autem ipſos miſeros Dæmones non potuiſſe conijcere quòd ira Dei, & iuſtitia tantum creſceret, quòd illos omnes perdere vellet damnatione æternâ, ſed ſaltem parceret multitudini; ſicque experti ſunt amorem & miſericordiam Dei infinitam, compati cum iuſtitia infinita, omnemque pulchritudinem & excellentiam creatam, quaſi nihil eſſe apud Deum, præſertim quando diuinæ Maieſtati ſe opponit, ſicut ſe ei obſtinatâ ſuperbiâ oppoſuit primus ipſe Lucifer, quî noluit ſe corrigere, veritate, monitione, & reprehenſione Sancti Michaëlis, reputans id eſſe ſuâ dignitate & excellentiâ indignum; maluitque cum Angelis ſuis aduersùs illum & alios bonos Angelos pugnare, licet in ſuum damnum, cùm vt dictum eſt, remanſerit victus, & è cælo proiectus. Et hoc eſt quod de illo prælio & victoria obtenta à Michaële & bonis Angelis, habet S. Ioannes in ſua Apoc. *Factum eſt prælium magnum in cælo, Michaël & Angeli eius præliabantur cum Dracone, & Draco pugnabat & Angeli eius, & non præualuerunt, neque locus inuentus eſt eorum ampliùs in cælo; & proiectus eſt Draco ille magnus, ſerpens antiquus, qui vocatur Diabolus & Sathanas, qui ſeducit vniuerſum orbem, & proiectus eſt*

Lucifer mãſit obſtinatus atque etiam alij Dæmones.

Apoc. 12.

Prælium in cælo factum, eſt duplici modo intelligendum.

in terram, & Angeli eius cum eo miſſi ſunt. Et quanquam hic locus vulgò rectèque de Diabolicis certaminibus aduerſus Eccleſiam, Antichriſti pręſertim temporibus, ineundis, intelligi ac explicari valeant ſoleantque à multis; quoniam quæ in Apocalypſi traduntur, propheticæ quædam ſunt prædictiones earum rerum, quæ militanti Eccleſiæ ſuperuenturæ erant: nihilominus idem locus de memoratis quoque Angelorum prælijs initio mundi geſtis, non incongruè accipi poſſe videtur, quemadmodum exponit Hugo Cardinalis, nec obſcurè adeò Arethas à Ribera ibidem citatus, indicat. *Quòd* (inquit) *cùm Michaël dux exercitus, non tulerit Diaboli ſuperbiam, & bellicâ virtute illum à ſua in cælo conuerſatione, iam olim abiecerit; rurſum in aduentu Antichriſti pro Sanctis pugnabit.* Sic ferè Arethas. Quem ſi quis interroget (inquit Auguſtinus Torniellus) vbi iam acceperit, quòd Michaël de cæleſti conuerſatione Diabolum expulerit, certè non niſi de eodem Apocalypſis libro, id ſe ſumpſiſſe fateri cogetur. Ergo quæ ibi traduntur, non tantùm de futuris Angelorum prælijs, cum Sancto Michaële aduersùs Antichriſtum futurum & ſuos ſequaces, ſed de illo prælio in cælo, & de quo hîc loquimur, rectè poſſunt debentque intelligi. Itaque ſicut ex dicto libro ipſe colligit, Michaëlem cum Angelis eius aduersùs Luciferum ſuoſque Angelos conflixiſſe, ita etiam explicari poſſunt de dicto conflictu aduerſùs eundem Dæmonem, qui ſub finem mundi per Antichriſtum & ſuos ſequaces, eſt in errorem inducturus multos, qui in fide ſtabiles eſſe videbantur. Et ſic eiuſmodi & alia ibidē tradita, ad vtrumque ſenſum ſine vllo errore accommodari poterunt, præſertim cùm magna ſimilitudo eſſe videatur inter ea quæ priùs in cæleſti regno Dei, ac poſtea in terreſtri, quod eſt Eccleſia, ſunt geſta, & conſtet ſcripturæ ſacræ proprium eſſe ac peculiare, vt in vnaquaque narratione, ſit plurimorum ſenſuum, eorumdemque pariter veriſſimorum, fœcundiſſima.

Hugo in 12. Apoc.

Annal. tom. 1.

Lucifer cur Draco magnus vocetur.

Porrò in ſuprà allegato Apocalypſis loco, Lucifer, Draco magnus atque ſerpens antiquus vocatur, vt nobis innoteſcat ipſum & ſuos ſequaces in horrenda monſtra, & fœdiſſimos Dęmones eſſe per peccatum deformatos, nullum enim animal immanius, nullum tetrius & quod magis exhorteſcant & fugiant homines, quàm draco: & hæc ingens deformitas maximè ex eo oritur, quòd ſint illâ gratiâ quam à Deo acceperant priuati, & proindè reſipiſcere, & crimen pœnitendo corrigere nequeant, poſtquā in illoſque ad terminum perſeuerarunt; & ratio eſſe poteſt, quoniam eorum mens practica, vt vocant, diuinarum rerum intelligentiâ deſtituta eſt, quâ ad benè agendum & ſibi diuinam conciliandam gratiam incitentur,

vt Sectione 3. fuſiùs dicemus: De hominibus autem contrarium videmus, qui ob eorum voluntatem tam ante, quàm poſt electionem mutationi obnoxiam, poſt varia commiſſa peccata, poſſunt Dei inſtigante gratiâ ad pœnitentiam excitari, atque veniam & gratiam conſequi: & maius pœnitendi ſpatium illis conceſſit quàm Angelis, tum quia naturâ fragiles ſunt, tum ob difficultatem quam habent cognoſcendi ea quæ agere tenentur, ad hoc vt ad gratiam peruenire queant.

SECTIO II.

Vtrùm ex diuerſis Ordinibus Dæmones corruerint: & an pauciores ſint, quàm qui permanſerunt.

DVÆ ſunt hac in Sectione partes breuì explanandæ. Quantum ad priorem ſpectat, reſponſio eſt affirmatiua. Probatur primò, quia ad inſtaurandam Angelicorum Ordinum ruinam, ex Sanctorum Patrum doctrina, videntur eſſe conditi homines, quorum aliqui per donum gratiæ mereri poſſunt tantam gloriam, vt ad ſingulos illorum Ordinum gradus euehantur, vt in Tractatu de Angelis diximus, Cap. VI. Sect. 6. Ergo oportet Dæmones ex ſingulis Ordinibus eſſe collapſos, aliàs dicendum non eſſet ad ſingulos Ordines reſtaurandos, quoſdam eleuari & aſſumi. Et ad hoc propoſitum exponi poſſunt Beatiſſimæ Virginis verba in ſuo Cantico: *Depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles.* Ex diuerſis Ordinibus Dæmones corruerunt. Luc. 1.

Probatur ſecundò, ex eo quod habet Apoſtolus in Epiſtola ad Epheſios: *Nos colluctationem habere aduerſùs Principes & Poteſtates,* &c. Et ad Romanos; *Certus ſum,* inquit, *quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes,* &c. *neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei:* Vbi dubio-procul loquitur de malis Angelis, quia certum eſt bonos nunquam à Dei charitate nos ſeparare. His authoritatibus iam habemus, de Angelis, Principatibus, Poteſtatibus & Virtutibus nonnullos corruiſſe; quod autem potiſſimùm ad primum Ordinem videlicet Seraphinorum ſpectat, fermè omnes Doctores aſſerunt Luciferum rebellionis authorem primum, ex illo ordine extitiſſe, vt ex lib. Iob colligimus: *Ipſe eſt initium viarum Dei.* Et ex Ezechiele Propheta: *Tu ſignaculum ſimilitudinis Dei,* &c. *in medio lapidum ignitorum ambulaſti,* id eſt Seraphinorum, qui dicuntur lapides propter conſtantiam, quia Epheſ. vltimo. Rom. 8. Iob. 40. Ezech. 28.

iuxta nominis illorum etymologiam & ſignificationem in Dei amore perſtiterunt: & ita ſatis manifeſtè apparet, fuiſſe illorum ſicut & cæterorum Angelorum caput, vt Sectione xi. dicemus, & colligitur ex hoc eodem Textu: *Omnis lapis pretioſus operimentum tuum:* vbi nouem ſpecies lapidum pretioſorum, hoc eſt nouem ordinum Angelorum quorum erat caput, enumerantur: at verò certiſſimum eſt, & nemo vnquam dubitauit de ipſius Luciferi lapſu; nam de eo ipſemet Christus loquitur ſub nomine Sathanæ, vt iam Sectione præcedente dictum eſt: *Videbam Sathanam ſicut, &c.* Quod

Luc. 10. ergo de illo primi ordinis Angelo cęteris pręſtantiore, & aliis aliorum ordinum Angelis diximus, idem de aliis iudicandum, cùm verò in Canone *hi duo de conſecratione, diſtinct. primâ,* legimus decimum ordinem Angelorum cecidiſſe, qui reſtaurandus eſt ex hominibus, non verò cecidiſſe ex nouem ordinibus; ſenſus eſt iuxta Gloſſam ibi, & Magiſtrum *in ſecundò,* omnes Angelos qui ceciderunt ex nouem ordinibus, quaſi in vnum ordinem peccantium redactos, dici decimum ordinem conſtituiſſe, non verò negatur ex omnibus ordinibus

In 1.d.6.q.1. art.1. aliquos peccaſſe & cecidiſſe. Hìc autem ſedulò aduerte cum S. Bonauentura & aliis, nullos ex malis Angelis nunc retinere nomina Seraphin & Thronorum, cùm (vt alibi conſtat) eorum ſignificatio ipſis haud conuenire poſſit; at benè Cherubin, Virtutum, Principatuum, &c. quia ſolùm indicant ſcientiam, poteſtatem, &c. quæ illis ſicut & bonis tribuuntur: & hinc Lucifer poſt lapſum non Seraph ſed Cherub dictus eſt.

Quod autem ad poſteriorem Sectionis partem attinet; veriſimile

S.Thom 1.p.q. 63.art.9. eſt iuxta S. Thomam & omnes Theologos, pauciores fuiſſe eos qui peccauerunt, quàm eos qui in bono perſtiterunt; vt ex Apoc. libro clarè colligitur, ibi enim legimus Draconem traxiſſe ſecum tertiam partem ſtellarum duntaxat, vt alibi oſtendimus. Et deinde id docet

1.p.q.63.art.9. S. Thomas, quia (inquit) peccatum eſt contra naturalem inclinationem, ea autem quæ contra naturam fiunt, vt in paucioribus accidunt; natura enim conſequitur ſuum effectum, vel ſemper vel vt in pluribus: quare conſentaneum fuit, vt ex Angelis pauciores peccarent, plures verò in bono perſeuerarent.

Objiciet autem quis, plures eſſe homines qui peccant, quàm qui iuſtè viuunt; at faciemus ſatis, dicendo homines qui peccant, ad malum induci ex quadam inclinatione ad bonum ſenſibile, quod eſt hominibus magis notum, & ſæpius cum bono rationis pugnat, quod in Angelis locum non habet. Cæterùm quantus ſit numerus bonorum Angelorum qui remanſerunt & beati ſunt, vel quo exceſſu ſuperet multitudinem Dęmonum, certò definiri non poteſt.

SECTIO III.

De pœnâ Dæmonum, & primò circà eorum intellectum, & voluntatem.

Pœnæ Dæmonum diuerſæ.

DIVINÆ iuſtitiæ æquitas maximè exigit, iuxtà delictorum menſuram fore plagarum modum; & ideò cùm mali Angeli tot criminibus ſuprà allatis fœdati ſint, æquiſſimum eſt vt ſecundùm illorum menſuram pœnas luant; illæ autem pœnæ non ſolùm in ſupplicijs & tormentis conſiſtunt, verùm etiam in quibuſdam defectibus vel priuationibus circà intellectum & voluntatem. Quod igitur ad intellectum pertinet, docent S. Dionyſius [a] & S. Thomas [b] intellectum Angelicum retinere illam eandem cognitionem naturalem poſt peccatum quam habuit ante; vnde Lucifer ipſe, poſt lapſum appellatur adhuc Cherubim à ſcientia & cognitione, ſicut Seraphim ab ardore & igne charitatis nuncupantur, & ita (vt aiunt alij) cognitione veſpertinâ intelligunt naturalia præſentia, cognitione experimentali ab antiquo tempore edocti; plurima etiam naturalia futura per aliqua ſigna cognoſcunt, ſicut Medici in pulſu, vrinâ, & alijs accidentibus cognoſcunt mortem, aut vitam prædicunt: itidem & Aſtrologi ex motibus plura auſpicantur; ſed Dæmones meliùs vt plùs experientiâ edocti id aſſequuntur. Et tandem ex reuelatione ſuperiorum mentium ſeu per inſpirationem, multa ſciunt Dæmones, prout fatetur Magiſter authoritate S. Auguſtini fretus; nam ſic ordinauit ſapientia diuina, vt per eos quanquam illius & ſuorum ſanctorum inimicos, eius voluntas adimpleatur, quodque ſuæ iuſtitiæ adminiſtratores & executores ſint; & proptereà neceſſe eſt quandoque aliqua ſibi reuelari, quò diuinum adimpleant mandatum. Excipiuntur tamen humani conſilij ſecreta, quæ eis tanquam hoſtibus hominum capitalibus abſconduntur; Deus quippe ſolus cordium arcana cognoſcit & ſcrutatur, vt iam ſuprà tractando de Angelis diximus. Quòd ſi aliquandò quædam ſecreta cordium illis innoteſcant, eaque prædicent, illa ſolùm per aliqua ſigna externa & coniecturaliter cognoſcunt, vt docet Sanctus Auguſtinus. Cognitio itaque rerum naturalium remanſit in Dæmonibus poſt peccatum; ſed non eſt ita de ſupernaturali cognitione aſſerendum: vnde docet Sanctus Thomas cognitionem illam rerum ſupernaturalium in ſui peccati pœnam, aut eſſe in eis imminutam, aut certè

[a] *De diuinis nominibus cap. 4.*

[b] *1. part. q. 64 art. 1. Ezech. 28.*

Quænam ſit Dæmonum cognitio.

Lib. 11 ſuper Geneſ.

Cognitio naturalis remanſit in Dæmo-

nibus, at ſupernaturalis imminuta fuit.

omninò extinctam, meliùs tamen dicendum eſt, eſſe tantùm imminutam, ſicque eſſe nuncupandam impropriam, imperfectam, & ſecundùm quid.

Art. 1. ſupradicta quæſt.

Quòd autem eorum cognitio naturalis eadem prorsùs ſit in illis, ac ante peccatum, probatur ex eadem doctrina Sancti Thomæ, quia naturalia remanſerunt illæſa in ipſis Dæmonibus, & ſic eandem retinent naturalem cognitionem quam anteà. Deindè quia illud omne quod naturaliter intelligunt Angeli, per ſpecies concreatas intelligunt, vt communior eſt opinio, & quidem vnico intuitu: ſpecies autem iſtæ ſe habent nunc in Angelis eodem planè modo quo ante peccatum: ergo, &c. Aliqui alij dicunt illam eſſe obnubilatam per culpam, & proindè illos ſæpè falli & fallere.

Quòd verò etiam in eis remanſerit cognitio quædam rerum ſupernaturalium, & myſteriorum quorumdam fidei poſt peccatum, imminuta tamen, imperfecta, impropriè dicta, & ſecundùm quid, conſtat ex eo quòd illi longè faciliori ratione, intelligant ſcripturas & obiecta ſupernaturalia, quàm faciat vllus planè mortalium ſaltem à poſteriori, ſeu per effectus, vt exempli gratiâ, illas quæ myſterium Incarnationis Chriſti, Paſſionis, Mortis, Deſcenſus ad inferos Reſurrectionis, Aſcenſionis, &c. concernunt. Deindè multa adhuc ſupernaturalia, ex bonorum Angelorum reuelatione cognoſcere poſſunt; & denique poſſunt meminiſſe illius cognitionis quam olim in via per fidem habuerunt. Sed tota illa cognitio, vt dictum eſt, eſt ſolùm impropriè, & ſecundùm quid ſupernaturalis, & reſpectu obiecti, non autem ſimpliciter, & quoad aſſenſum, cùm gratiæ auxilio & habitu infuſo careant; ſicut ferè res ſe habet in hæreticis, quorum fides eſt humana quoad aſſenſum, quamuis ſupernaturalis ratione obiecti, quoniam eſt de re ſupernaturali.

Pœna Dæmonum circa voluntatem quænam ſit.

Quod verò ad pœnam Dæmonum circà voluntatem, vel ex parte voluntatis ſpectat, ipſa conſiſtit in excæcatione, deprauatione, obduratione & obſtinatione in malò, quò fit vt primò non poſſint conteri & dolere de peccatis, neque ab illis reſipiſcere, nam reſipiſcere à peccatis dicit diſpoſitionem ad gratiam iuſtificantem obtinendam, ex communi doctrina: imò ſunt qui dicant perfectam reſipiſcentiam eſſe diſpoſitionem, ad quam infallibiliter ſubſequitur gratia iuſtificans: at Dæmones non poſſunt iuſtificari à peccatis commiſſis, quia ſunt extra viam; & eorum lapſus ſe habet vt mors in hominibus, quæ nox eſt in qua nemò poteſt operari: ergo neque etiam à peccatis commiſſis poſſunt reſipiſcere.

Dæmones non poſſunt reſipiſcere à peccatis.

Ioan. 9.

Dæmones non poſſunt

Secundò non poſſunt vllum bonum opus exercere, niſi potentiâ quâdam remotâ, hoc eſt obduratione è medio ſublatâ, quod nunquam

quam contingit quia Deus ordinariè loquendo non vult cum eis concurrere ad vllam bonam actionem, nec per gratiam propriè dictam, nec per communem influxum generalem; id eſt neque vt author gratiæ neque vt author naturæ, quia cùm terminum attigerint, vtroque auxilio indigni ſunt; at verò illo duplici auxilio ſeu influxu ſublato, impoſſibile eſt vt creatura aliquid benè operetur, etiam moraliter & ſecundùm naturalem honeſtatem, & hæc eſt communis opinio Doctorum. Adde quòd attentè conſiderantes & ponderantes omnia quæ ſuâ culpâ amiſerunt, ab omni bono ſicut à diuina voluntate diuertuntur; deinde ſemper ſunt in actuali odio Dei propter acerbiſſima tormenta quæ patiuntur in igne, qui perpetuò ſæuit, & abſque vlla intermiſſione, aut vllo quietis momento: & quod tales horrendos cruciatus auget, eſt quia norunt illos eſſe æternos, nec certum finem vnquam habituros; quo etiam fit vt in tam miſero ſtatu, omni Dei auxilio deſtituti, erumpant in perpetuos actus blaſphemiæ & deſperationis; & ob hanc cauſam eorum voluntas perpetuò cupiditate & deſiderio ardet vlciſcendæ iniuriæ, quam mente turbati, magnam iudicant ſe à Deo accepiſſe: & hoc ſenſu S. Greg. [a] hęc Iobi verba interpretatur, *vbi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat*. Itemque Suares & nonnulli alij, rectè monent illam Dæmonum attentionem ad pœnarum ſuarum æternitatem, non eſſe liberam, ſed neceſſariam, quia alioquin Dęmones poſſent ab ea ſe auocare, eamque ſuſpendere, vnde & dolor minueretur, quia Deus quoque ſimul etiam concurrit, facitque vt attentio hoc modo fixa & immobilis ſemper remaneat, vnde ſicut nullam pœnarum imminutionem ſunt accepturi, nec vnquam in priſtinum ſuum ſtatum reſtituentur, ita continuò affectabunt peccare, & homines tentare & perdere ſi poſſint. Quęnam autem mora inter eorum creationem & lapſum interceſſerit, dictum eſt in Tractatu de Angelis, Cap. 4. Sect. 6. vbi etiam agitur de mora inter creationem bonorum Angelorum & eorum beatitudinem ſupernaturalem.

aliquod bonum opus exercere.

[a] *Lib. 9. Mor. c. 39. alias 48.*

Suares lib. 8. de Angelis cap. 11.

SECTIO IIII.

De alijs Dæmonum pœnis, videlicet damni, ſenſus, & alijs; atque pœnarum loco & duratione.

CVM mens & voluntas Dęmonum in eo ſtatu ſit, quem paulò antè deſcripſimus, illud profectò conſequens eſt, eos ad diui-

nam faciem contemplandam habiles eſſe non poſſe, quod ſupremum eſt malorum omnium, in quæ intellectualis creatura incurrere poſſit; ſicut vicè verſâ viſioni & fruitioni ſummi boni, par & æquale nihil omninò dici aut fingi poteſt: & hęc pœna quę in tali carentia viſionis & fruitionis beatificæ conſiſtit, à Theologis pœna damni nuncupatur, quia magnum damnum adfert, vt etiam hâc voce, damni, ſignificatur; & hæc pœna communis eſt omnibus damnatis. Alia eſt eorum pœna, videlicet ſenſus, ſeu accidentalis, quę conſiſtit in priuatione cuiuſcumque alterius boni præter viſionem beatificã, atque in dolore ſeu cruciatu, quem ab igne infernali, ſeu etiam aliunde percipiunt. Latè autem hîc ſentiendi vocabulum ſumitur, vt non ſolùm ad animalium appetitum ſenſibilem ſe extendat, ſed etiam ad appetitum rationalem ſeu intellectualem, & voluntatem creatam; in Dæmonibus autem hic appetitus omnium conſenſu admittitur, ſicut etiam in animabus ſeparatis, & hinc fit vt nullius delectationis & gaudij ſint capaces. Quòd autem detur vtraque pœna, docet Chriſtus apud S. Matthæum, in extremo ſiquidem iudicio, dicet reprobis, *diſcedite à me*, ecce pœna damni, *maledicti in ignem æternum*, ecce pœna ſenſus. Hæc porrò duplex pœna correſpondet duplici inordinationi quę eſt in peccato mortali; nam per peccatum mortale auertimur à Deo, & conuertimur ad creaturam; itaque pœna damni correſpondet auerſioni à Deo, & propterea conſiſtit in carentia ipſius Dei; pœna ſenſus, correſpondet conuerſioni ad creaturam, & ideo infligitur à creatura; qui enim inordinatè appetit res creatas, dignus eſt vt ab ijs crucietur; & quoniam Dęmones, ſuo conditore ſpreto, ab eo ſe auerterunt, vt ad creaturas ſe conuerterent, hoc eſt ad Luciferum & ſeipſos, ſe ſe nimiùm & inordinatè diligentes, & ſibi ipſis ac propriæ excellentiæ complacentes, libertatem ſuam, pulchritudinem, nobilitatem, cæteraque Dei dona intemperanter diligentes, & in ſumma res creatas ſuo creatori prę ferentes, meritò ex diuinæ iuſtitiæ decreto, à creatura hoc eſt ab igne cruciantur in perpetuum, ſicut eorum ſcelera perpetuò manent; *ſuperbia* enim *eorum aſcendit ſemper*, vt ait Pſaltes Regius. Et ſic Deus res creatas vſurpat ad eorum ſuperbiæ cornua confringenda, ad horribilem deformitatem inducendam, & eos ſempiterno carcere concludendos.

Pœna duplex damni & ſenſus.

Matth. 25.

Pſalm. 73.

Porrò docent Theologi locum illum corporeum, vbi ſunt recluſi & torquentur, eſſe ſubterraneum & tenebroſum, tanquam deteſtabilem, moleſtiſſimum, arctiſſimumque carcerem, ſordidam cloacam, & fœtidiſſimam vniuerſi orbis terrarũ ſentinam, vbi alligantur inuiti: & proindè vulgò infernũ nuncupari. De huiuſmodi loco Sap. loquitur, *talia dixerunt in inferno hi qui peccauerunt*; hunc inferni lo-

Infernus eſt deteſtabilis carcer ſubterraneus.

Cap. 5.

cum circuit purgatorij locus, & hunc lymbus vbi ſunt pueri decedentes cum originali peccato, & tandem hunc lymbum circuit Abrahæ ſinus, aliàs lymbus Patrum dictus, in quo fuerunt Patres ante Chriſti mortem, propter totius naturæ reatum nondum ſolutum, qui locus modò vacuus eſt; & omnia iſta loca vocantur infernus, nihilominùs per Antonomaſiam locus damnatorum vocatur infernus, quia eſt in terræ centro & in loco viliſſimo & abiectiſſimo, & à luce Solis & terra habitabili remotiſſimo, ſicut locus beatorum eſt ſublimis & perfectiſſimus. Et hæc doctrina communis eſt, & paſſim eam tenent Eccleſiæ Patres. De his autem locis fuſiùs dicemus in 3. Tractatu Cap. 15. Sectione 1. Porrò hoc in damnatorum inferno, recepti ſunt omnes Dæmones vel aliquando recipientur, hoc eſt poſt iudicium; nam aliqui eorum adhuc ſunt vel in aëre caliginoſo, vel in alijs orbis partibus, vt ſuprà dictum eſt, ad exercitium & impugnationem hominum, vt patet ex Epiſtola ad Epheſ. & ex prima Epiſtola S. Petri: qui etiamſi continuò ignem eos cruciantem, quaſi ſuę naturę impreſſum inuiſibiliter ſecum deferant, inſtar febricitantis qui vbicumque exiſtat, feruorem vel frigus inſiti ſibi languoris euitare nequit, vt docet Beda; vel mediâ aliquâ qualitate torqueantur, vt volunt alij; ſiue etiam ignis ille agat, in diſtans, cum ſit inſtrumentum ſupernaturale Dei omnipotentis, vt cùm Scoto multi tenent, vehementer tamen infernalem illum locum exhorreſcunt, & non mediocre tormentum eſt eis in illo relegari & quaſi incarcerari, maximè verò cùm ibi nullas mortalibus inferre moleſtias poſſint: rogabant enim olim nonnulli eorum Chriſtum, ne ſe humanis corporibus exactos, in abyſſum relegaret atque detruderet; ô infœliciſſimus ipſorum dæmonum ſtatus! quocumque nunc loco exiſtant; vrget ſiquidem immortalis ille vermis accuſantis mordentiſque conſcientiæ, qui inſtar eſt ſtimuli, in eorum ſicut & animarum damnatarum corde fixi, illud perpetuò fodicantis, tamque dirâ laceratione cruciantis, vt vitandi eius cauſâ, infœlix Iudas, ad probroſum laqueum vltrò confugerit. Vrget quoque ſera & infructuoſa pœnitentia, quòd tanto tamque ſummo bono amorem proprium, & cuncta quæ ex liberaliſſima Dei manu, iuxtà ſuam naturam acceperant, antetulerint, & proinde tantis ſint pœnis implicati: vrget denique cogitatio perpetuò præſentium malorum, ac futurorum imminens, quæ è memoria nunquam poſſunt excutere, vt exinde leuamen eis aliquod euenire poſſit.

Diuerſa loca in corde terræ inferni nomen retinent.

S. Paulus ad Epheſ. 2. & 6. & 1. Petri 5.

In cap. 3. Epiſt: S. Iacobi.

Cur Dæmones infernum exhorreſcant.

Luc. 8.

SECTIO V.

De ipſo infernali igne, & quo pacto ab illo cruciêntur Dæmones.

QVOD autem vero igne crucientur ipſi Dæmones, diuinâ fide certum eſt: id enim conſtat ex ſuprà allatis Christi verbis, *diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo & Angelis eius*, nec (haud dubiè) ad aliud paratus quàm ad eorum cruciatum; quòd etiam expreſſè docent vnanimi conſenſu Patres, & Theologi omnes, hunc Matthæi locum eodem quo nos ſenſu intelligentes, præcipuè verò S. Greg. in ſuis Dialog. *Anima* (inquit) *non ſolùm videndo, ſed etiam experiendo, incendium patitur*. Confirmatur ex eodem S. Matthęo antea, vbi expreſſè de gehenna ignis loquitur, & apud S. Lucam aiebat diues Epulo, *crucior in hac flamma*. Ita in Apoc. *Diabolus miſſus eſt in ſtagnum ignis, vbi beſtia & pſeudo-Propheta cruciabuntur die ac nocte, in ſæcula ſæculorum*; quia ignis ille eſt inextinguibilis, & ſine pabulo ſubſiſtit, ſicut ignis qui eſt in propria ſua ſphęra; & hoc colligitur ex Propheta Iſaia, *ignis eorum non extinguetur*. Dubitant tamen nonnulli an ignis ille ſit corporeus, & materialis, an ſolùm metaphoricus, ſed reſponſio eſt ex omnibus Theologis, eſſe verùm ignem corporeum & eiuſdem ſpeciei cum noſtro, licèt quibuſdam qualitatibus differat, & materiam ſulphuream aut aliã nobis ignotam includat, ad majus ſupplicium damnatorum, vt quòd minùs luceat, aut omninò nihil, vt docet S. Baſilius, dum ait ipſum ignem habere quidem vim vrendi, ſed lumine & ſplendore carere. Quòd autem ſit corporeus, poteſt ex allato loco S. Matthæi colligi; nam ille ignis paratus eſt non ſolùm Diabolo, &c. ſed etiam reprobis hominibus corpore & anima conſtantibus poſt iudicium, quos proinde alloquitur Chriſtus; ſi ergò ab ipſo igne ſecundùm corpus crucientur, nulli dubium eſt quin ſit verè corporeus. Subſcribunt Patres, S. Aug. [a] *Adhærebunt ergo ſpiritus Dæmonum, imò ſpiritus Dæmones, licèt incorporei corporeis ignibus cruciandi*; & S. Greg [b]. *ſic fit vt res corporea incorporeum exurat, dum ex igne viſibili ardor & dolor inuiſibilis trahitur, & per ignem corporeum mens incorporea etiam corporeâ flammâ cruciatur.* Quid his verbis clarius? Ita etiam præclarè loquuntur Clemens Alexandrinus [c] & Proſper Aquitanicus [d]. Nota porrò vltrà allatam dupli-

Matth. 25. *S. Greg. lib. 4. Dialog. c. 30.* *Matth. c. 18.* *Luc. 16.* *Apoc. 20.*

Ignis inferni qualis. *Iſai. cap. vlt.*

Ignis inferni eſt corporeus & materialis, non metaphoricus.

In Pſal. 33. *Matth. 25.*

a *Lib. 10. de Ciuit. Dei cap. 10.* b *Lib. 4. Dialogorum c. 29.* c *Lib. 5. ſtrom.* d *Lib. 3. de vita contemplatiua.*

ſtem illam Dęmonum pœnam, damni, & ſenſus, illos pœnis quibuſdam interdùm puniri, quas accidentarias nominant, verbi gratiâ dolent, & vehementer anguntur atque diſcruciantur, cùm ipſi ex hominum corporibus, Dei virtute inuiti egredi coguntur; ſicut cùm quis adhibitâ quâdam vi, inuitus de loco in quem ſe conjecerat extrahitur. Hinc Theophylactus quem ſequi videtur Cajetanus, ait, *Tormentum & cruciatum putant Dæmones ſi non permittantur lædere homines*; & id clarè conſtat ex querimonia eorumdem de Chriſto, quòd cogeret eos egredi à corporibus quibuſdam humanis: *Quid nobis & tibi Ieſu Fili Dei? veniſti huc ante tempus torquere nos?* hoc eſt ante diem iudicij nos ſpoliare poteſtate in homines. Porrò hæ pœnæ accidentariæ non omnes perpetuæ ſunt, ſed pro varijs rerum euentibus & accedunt & recedunt. Eſt & alia Dęmonum pœna, nimirùm detruſio in infernum, quæ nondum omnibus impoſita eſt, ſed ad extremum iudicij diem irroganda.

Pœnæ Dæmonum accidentariæ quænam ſint.

Matth 8.

Quo pacto autem ipſo infernali igne crucientur Dæmones, non omnes conueniunt; aliqui enim, vt Doctor noſter Subtilis, & nonnulli alij, exiſtimant cruciari tantùm moraliter, quia detinentur contrà propriam voluntatem in igne illo infernali definitiuè, & ab eo nunquam ſeparantur, quocumque ſe moueant voluntate ſuâ, vel iuſſu Dei, ſiue ſint in inferno, ſiue in aëre, vel alibi, & concipiunt atque apprehendunt illum perpetuò, vt obiectum diſconueniens & nociuum, cognoſcentes determinationem diuinam eſſe, vt perpetuò illi alligentur, in eoque effectiuè ex voluntate, decreto, & ſententia diuina detineantur, & intensè illum conſiderent: & ideò determinationem illam diuinam ſicut & ignem odio habent, & de tali alligatione valdè triſtantur, quia vellent omne obiectum delectabile ſibi, & conſiderare nunc hoc, nunc illud ex ſuperbia ſua, contrà voluntatem Dei, & non poſſunt applicare intelligentiam ſuam ad libitū ſuæ voluntatis, & ſciunt quia hoc Deus impedit, nec tamen poſſunt ſe de eo vindicare, & iſtud eſt ſummum eorum ſupplicium; non habere vnde ab illo igne cui ſic addicti ſunt, ſe diuertant. Et hoc eſt forſitan quod docere voluit S. Auguſt. *Torquentur* (inquit) *Dæmones ab igne corporeo, cæterùm miris modis*, id eſt nobis ignotis: & rectè ſanè quia ignis ille cui ſic alligantur, & à quo detinentur formaliter, illos effectiuè ſaltem inſtrumentaliter cruciat & affligit, vt obiectum immutans, ſicut Deus principaliter; nam ſi ipſe ignis obiectum ſit triſtabile illoſque verè contriſtet, nonne triſtari eſt reipſa cruciari? & quod talem cruciatum auget, eſt quod norunt in eo detineri & alligari in perpetuum, qua cogitatione illius miſerrimi ſui ſtatus, in qua veriſimile eſt eos perpetuò verſari, cum ſumma deſpe-

Scotus in 4. diſt. 44. quæſt. 2

De modo quo Dęmones ab igne cruciantur, ſiue Phyſicè, ſiue moraliter, diſcutitur.

Lib. 21. de Ciuit. Dei cap. 10

ratione & afflictione coniuncta, non niſi ſummam impatientiam & acerbiſſimum Dei odium, in illis parere poteſt. Probat Scotus hanc detentionem & S. Greg. [a] *Si viuentis hominis ſpiritus incorporeus tenetur in corpore, cur poſt mortem incorporeus ſpiritus corporeo igne non detinetur?* Idem habet S. Auguſt. [b] hac alligatione cruciari animas vt Dæmones: & fauet Scriptura dit enim S. Petrus [c] *Deus Angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos, in tartarum tradidit cruciandos*, & S. Iudas in ſua Epiſtola Catholica [d] dicit Dęmones vinculis æternis ſub caligine reſeruari.

[a] Lib. 4. Dialog. cap 30.
[b] Lib. citato de Ciuit. Dei
[c] 2. Petri 2.
[d] S. Iudas.

Pater Alarcon Societatis Ieſu, & quidam alij qui tenent cum Doctore Subtili ignem inferni cruciare Dęmones moraliter, docent id fieri ex diuina inſtitutione, & voluntate producente aliquid phyſicum, ad prçſentiam realem talis ignis ſeu vnionis ad ipſum, & dicunt cauſalitatem moralem tantùm, non phyſicam requiri, ad ſaluandum dogma catholicum de vero cruciatu ignis, & paſſim maiorem non poſtulant cauſalitatem loca ſcripturæ & Patrum. Et probatur à ſimili de Sacramentis, de quibus & ſcriptura, & Concilia, & Patres prædicant, quòd efficiant gratiā, realiterque illam cauſent, realiter ſanctificent, realiter tollant & remittant peccata, atque mundent animam; vt apud S. Ioan. *quorum remiſeritis peccata, &c.* & alibi de Euchariſtia, *caro mea verè eſt cibus, &c.* vbi Patres dicunt de carne Chriſti quòd verè cibet animam, & de ſanguine quòd verè potet; & de baptiſmo ſæpè dicitur quòd lauet animam, tergat maculas peccatorum; & de confirmatione, quòd vngat verè animam, & conſolidet ad pugnam; & ſimilia paſſim reperiuntur; quę omnia ſecundùm doctrinam communem Doctoris ſubtilis & multorum aliorum, quam cùm eodem Alarco veriorem puto, intelliguntur abſque cauſa phyſica, quā Sacramenta aliquid producant in anima, verificantur enim per cauſalitatem moralem realem, quia Deus ad præſentiam aquę, verborum, & lotionis externæ, ex inſtitutione Chriſti producit phyſicè gratiam in anima; ergo ſimiliter dicetur ignis inferni cruciare Dæmones, & in illis cauſare triſtitiam per ſolam cauſalitatem moralem abſque phyſica, quia Deus ad præſentiam illius ignis, cauſat tormentum & dolorem in Dæmonibus, ex inſtitutione & decreto diuino in pœnam ſui peccati, & etiam ille ignis eſt cauſa moralis cuiuſcumque alterius doloris & triſtitiæ, quam habent de Deo amiſſo, coguntur enim à Deo cognoſcere ſe amiſiſſe viſionem beatificam, & nunquam illam habituros, ſe eſſe gratiā, gloriā, & cunctis ſupernaturalibus beneficijs priuatos, & in perpetuum damnatos, & in ſe remanere omnes habitus prauos, & peccata antiqua, & recentia; quę etiamſi ſummum dolorem & triſtitiam eis cauſent, non

Ioan. 20.
Ioan. 6.

tamen pœnitentiam, quæ includat propoſitum non peccandi, nam ſuperbia eorum aſcendit ſemper. Igitur iſta omnia continuò conſiderantes, ſicut & reliqua infinita mala quibus ſunt immerſi, impenſè affliguntur, cruciantur, dolent, ac triſtantur; cuius conſiderationis & triſtitiæ eſt etiam cauſa moralis ignis inferni, vt vnitus illis, vel illos alligatos tenens. Et idem cum proportione eſt dicendum de animabus Purgatorij, & de animabus damnatorum antequam vrantur, & crucientur cum proprio corpore, quod illis poſt finem ſæculi continget. Et hæc pro explicatione mentis Doctoris ſubtilis.

Alij Doctores communiter docent, Dæmones phyſicè igni inferorum alligari, & in eo cruciari per realem & phyſicam efficientiam, & non per ſolam imaginationem, & apprehenſionem falſam, aut actionem intentionalem, quia Deus vt cauſa principalis, & ignis vt inſtrumentalis, producunt & imprimunt in ipſis Dæmonibus, ſpiritualem & doloriferam qualitatem aliquam diſſonam & diſconuenientem naturaliter ſubſtantiæ damnatorum, nullâ prærequiſitâ ex parte ſubiecti, in quo huiuſmodi qualitas recipitur, diſpoſitione mediâ, quâ conſurgit in illis ſummus dolor. Qualis autem ſit ipſa qualitas, concipere non poſſumus, non enim ſenſibilis eſt, cùm ſpiritus eâ non ſint capaces: & eſt quod ordinariè dicunt Doctores, illum ignem aſſumi à Deo, velut inſtrumentum ſuæ diuinæ iuſtitię ac omnipotentiæ, quo apud inferos peccata dæmonum vlciſcitur, quemadmodum aſſumit Sacramenta vt diuinę ſuæ miſericordiæ inſtrumenta, ad animarum noſtrarum iuſtificationem: qualitas autem illa non eſt propriè ſupernaturalis, niſi ſecundùm modum; nec propriè naturalis, quia naturale quodlibet perficit ſubiectum in quo recipitur, vel certè aptum natum eſt perficere: qualitas autem illa obeſt & nocet Dæmonibus, eoſque deformes reddit, quia ſicut datur qualitas, quę naturâ ſuâ reddit Angelum vel animam pulcherrimam, vltra eius naturam: ita aliqua datur, quæ fœdum & deforme reddat ſubiectum cui ineſt, vt ſunt Dæmones, quorum proindè eſt ſummè contriſtatiua.

Quidam moderni hanc ignis actiuitatem in Dæmones, & animas ſeparatas, ſic explicant. Si (inquiunt) ignis humani corporis interuentu, naturaliter poteſt animam calore ſuo diuexare, quidni poſſit idem ignis tanquam omnipotentis Dei manus inſtrumentum, eandem animam ſeparatam torquere, vel Dæmonem quamuis corpore deſtitutum? neque enim Deus mediâ aliquâ re indiget ad agendum, poteſtque facilè eius vel defectum vel actionem supplere: ſi ergò Deus vim natiuam ignis excitare poteſt ad exurendum, ſiue ſine corpore ſiue cum corpore, eandem vtique excitare poterit vim ad vrendum Dæmonem, licèt perfectiori naturâ ſpiritali prędi-

ratione & afflictione coniuncta, non niſi ſummam impatientiam & acerbiſſimum Dei odium, in illis parere poteſt. Probat Scotus hanc detentionem & S. Greg. [a] *Si viuentis hominis ſpiritus incorporeus tenetur in corpore, cur poſt mortem incorporeus ſpiritus corporeo igne non detinetur?* Idem habet S. Auguſt. [b] hac alligatione cruciari animas vt Dæmones: & fauet Scriptura dit enim S. Petrus [c] *Deus Angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos, in tartarum tradidit cruciandos,* & S. Iudas in ſua Epiſtola Catholica [d] dicit Dęmones vinculis æternis ſub caligine reſeruari.

a Lib. 4. Dialog. cap 30.
b Lib. citato de Ciuit. Dei
c 2. Petri 2.
d S. Iudæ.

Pater Alarcon Societatis Ieſu, & quidam alij qui tenent cum Doctore Subtili ignem inferni cruciare Dęmones moraliter, docent id fieri ex diuina inſtitutione, & voluntate producente aliquid phyſicum, ad pręſentiam realem talis ignis ſeu vnionis ad ipſum, & dicunt cauſalitatem moralem tantùm, non phyſicam requiri, ad ſaluandum dogma catholicum de vero cruciatu ignis, & paſſim maiorem non poſtulant cauſalitatem loca ſcripturæ & Patrum. Et probatur à ſimili de Sacramentis, de quibus & ſcriptura, & Concilia, & Patres prædicant, quòd efficiant gratiã, realiterque illam cauſent, realiter ſanctificent, realiter tollant & remittant peccata, atque mundent animam; vt apud S. Ioan. *quorum remiſeritis peccata, &c.* & alibi de Euchariſtia, *caro mea verè eſt cibus, &c.* vbi Patres dicunt de carne Chriſti quòd verè cibet animam, & de ſanguine quòd verè potet; & de baptiſmo ſæpè dicitur quòd lauet animam, tergat maculas peccatorum; & de confirmatione, quòd vngat verè animam, & conſolidet ad pugnam; & ſimilia paſſim reperiuntur; quę omnia ſecundùm doctrinam communem Doctoris ſubtilis & multorum aliorum, quam cùm eodem Alarco veriorem puto, intelliguntur abſque cauſa phyſica, quâ Sacramenta aliquid producant in anima, verificantur enim per cauſalitatem moralem realem, quia Deus ad præſentiam aquę, verborum, & lotionis externæ, ex inſtitutione Chriſti producit phyſicè gratiam in anima; ergo ſimiliter dicetur ignis inferni cruciare Dæmones, & in illis cauſare triſtitiam per ſolam cauſalitatem moralem abſque phyſica, quia Deus ad præſentiam illius ignis, cauſat tormentum & dolorem in Dæmonibus, ex inſtitutione & decreto diuino in pœnam ſui peccati, & etiam ille ignis eſt cauſa moralis cuiuſcumque alterius doloris & triſtitiæ, quam habent de Deo amiſſo, coguntur enim à Deo cognoſcere ſe amiſiſſe viſionem beatificam, & nunquam illam habituros, ſe eſſe gratiâ, gloriâ, & cunctis ſupernaturalibus beneficijs priuatos, & in perpetuum damnatos, & in ſe remanere omnes habitus prauos, & peccata antiqua, & recentia; quę etiamſi ſummum dolorem & triſtitiam eis cauſent, non

Ioan. 20.
Ioan. 6.

tamen pœnitentiam, quæ includat propoſitum non peccandi, nam ſuperbia eorum aſcendit ſemper. Igitur iſta omnia continuò conſiderantes, ſicut & reliqua infinita mala quibus ſunt immerſi, impenſè affliguntur, cruciantur, dolent, ac triſtantur; cuius conſiderationis & triſtitiæ eſt etiam cauſa moralis ignis inferni, vt vnitus illis, vel illos alligatos tenens. Et idem cum proportione eſt dicendum de animabus Purgatorij, & de animabus damnatorum antequam vrantur, & crucientur cum proprio corpore, quod illis poſt finem ſæculi continget. Et hæc pro explicatione mentis Doctoris ſubtilis.

Alij Doctores communiter docent, Dæmones phyſicè igni inferorum alligari, & in eo cruciari per realem & phyſicam efficientiam, & non per ſolam imaginationem, & apprehenſionem falſam, aut actionem intentionalem, quia Deus vt cauſa principalis, & ignis vt inſtrumentalis, producunt & imprimunt in ipſis Dæmonibus, ſpiritualem & doloriferam qualitatem aliquam diſſonam & diſconuenientem naturaliter ſubſtantiæ damnatorum, nullâ præręquiſitâ ex parte ſubiecti, in quo huiuſmodi qualitas recipitur, diſpoſitione mediâ, quâ conſurgit in illis ſummus dolor. Qualis autem ſit ipſa qualitas, concipere non poſſumus, non enim ſenſibilis eſt, cùm ſpiritus eâ non ſint capaces: & eſt quod ordinariè dicunt Doctores, illum ignem aſſumi à Deo, velut inſtrumentum ſuæ diuinæ iuſtitię ac omnipotentiæ, quo apud inferos peccata dæmonum vlciſcitur, quemadmodum aſſumit Sacramenta vt diuinę ſuæ miſericordiæ inſtrumenta, ad animarum noſtrarum iuſtificationem: qualitas autem illa non eſt propriè ſupernaturalis, niſi ſecundùm modum; nec propriè naturalis, quia naturale quodlibet perficit ſubiectum in quo recipitur, vel certè aptum natum eſt perficere: qualitas autem illa obeſt & nocet Dæmonibus, eóſque deformes reddit, quia ſicut datur qualitas, quę naturâ ſuâ reddit Angelum vel animam pulcherrimam, vltra eius naturam: ita aliqua datur, quæ fœdum & deforme reddat ſubiectum cui ineſt, vt ſunt Dæmones, quorum proindè eſt ſummè contriſtatiua.

Quidam moderni hanc ignis actiuitatem in Dæmones, & animas ſeparatas, ſic explicant. Si (inquiunt) ignis humani corporis interuentu, naturaliter poteſt animam calore ſuo diuexare, quidni poſſit idem ignis tanquam omnipotentis Dei manus inſtrumentum, eandem animam ſeparatam torquere, vel Dæmonem quamuis corpore deſtitutum? neque enim Deus mediâ aliquâ re indiget ad agendum, poteſtque facilè eius vel defectum vel actionem ſupplere: ſi ergò Deus vim natiuam ignis excitare poteſt ad exurendum, ſiue ſine corpore ſiue cum corpore, eandem vtique excitare poterit vim ad vrendum Dæmonem, licèt perfectiori naturâ ſpiritali prędi-

tum & ſuperioris ordinis, ſicut & ſpiritum noſtrum, aptum naturâ ſuâ ad cognoſcendos ſpiritus, erigere poteſt vſque ad viſionem ſuiipſius, qui eſt ſupremus omnium ſpirituum, & eorum, ſicut cunctarum aliarum rerum conditor. Id autem ſi ad vnam horam fieri poteſt, poterit ad mille ſæcula, cùm tam animæ quàm ſpiritus immundi, naturâ ſuâ ſint expertes interitus, quem nemo niſi Deus eis inferre poteſt.

4. diſt. 49. Sotus ſubtiliter ſatis hunc ignis cruciatum explicat, dicendo certum eſſe quando quis in vita mortali comburitur, præter læſionem & dolorem corporis, in anima rationali triſtitiam combuſtionis ingenerari: poteſt ergo Deus hanc ipſam ſpecificam triſtitiam combuſtionis conſeruare in anima ſeparata, & ſubindè illam ipſam Dæmonibus ingerere, quod eſt eos igne cruciari; quam quidem ſententiam volunt aliqui clariùs punctum attingere. Hoc ad prudentis Lectoris iudicium remitto.

Non deſunt alij Doctores qui alios modos aſſignant, quibus Dæmones igne corporeo cruciantur, at Doctoris ſubtilis ſententia atque Patris Alarcon & aliorum, qui cruciatum illum eſſe moralem ſuſtinent, tutior videtur.

SECTIO VI.

Dæmones anſam non habent de eorum damnatione conquerendi.

EX innumerabili Dæmonum multitudine, nullus eſt qui in aliquo defectu aut macula fœditatis, à Deo fuerit conditus, & poterant æquè omnes (ſi voluiſſent) ſuam voluntatem ad ipſum conuertere, & ſimul omnes beatitudinis æternæ præmia conſequi, atque ſic ſupra-dicta euitare pœnas: ac proindè non habent quod de ipſo conquerantur, quòd ſuam deformitatem in qua nunc ſe conſpiciunt, & ſuam miſeriam in qua nunc degunt, ei imputent, quaſi peccati in eis aut miſeriæ author fuerit: ille enim rectos illos & abſque omni peccato condiderat, nec defuit illis ſubſtractione auxilij ſui: ipſi verò prauâ ſuâ voluntate, abutentes ſui arbitrij libertate, omne hoc malum in quo nunc degunt, ſibi aſciuerunt, ipſi ſe ſe in tantæ miſeriæ inextricabilem laqueum conieceruntt, ipſi ſe in vincula iſta indiſſolubilia præcipitauerunt, ipſi ſibi infernum conſtruxerunt, ipſi ſe in carcerem æternæ caliginis, & externarum tenebrarum concluſerunt,

Non habent Dæmones, quòd de Deo conqueri poſſint aut debeant.

runt, vt nunquam eis pateat egreſſus; huius (inquam) totius miſeriæ ipſi ſibi ſunt authores, totum ipſi ſuper ſe induxerunt quod patiuntur malum, quoniam voluntariâ electione per arbitrij ſui libertatem, prælegerunt malum bono, ſuperbiam humilitati, gratitudini ingratitudinem: ea tamen eſt horum peruerſorum ſpirituum malitia, tanta eſt illorum in malo peruerſitas, vt maximo odio aduerſus eius iuſtitiam qua ſic puniuntur, indignentur, obmurmurent, conuitientur, blaſphement, inſaniant. Quemadmodum enim ſeruos malos & ceruicoſos, ſi quando ab heris ob iuſtam cauſam cædantur, videmus verbera aut correptionem ſuſcipere cum indignatione, murmuratione, & impatientia, cùm tamen meritas pœnas luant, ac proindè cum patientia Domini diſciplinam debuiſſent ſuſtinere: ſic & iſti ceruicoſiſſimi atque in omni malo obduratiſſimi Dæmones, quanquam omnia hæc quæ perferunt ſupplicia, optimè commeruerint, imò & longè maiora, (citra condignitatem namque peccati eſt ipſorum punitio) nolunt tamen cum patientia meritas ferre pœnas, ſed aduerſus ſanctam eius iuſtitiam obmurmurant, conuitiantur, inſaniunt, blaſphemant, ſummo ergà illum affecti odio, de fœlici ſtatu perfectionis eius dolentes, magis autem illum & ſuam omnem perfectionem perire, & in nihilum perdi cupientes. Quod licèt aſſequi non poſſint, cupiunt tamen & laborant modis omnibus, quantum eſt in ipſis, eius gloriam opprimere, imminuere, impedire: ſummoque ſtudio ad hoc conantur, vt ea in quibus maximè eius gloria clareſcit, impediant: ea verò quibus ſanctum nomen eius ignominiâ afficitur, ſedulò promoueant, toti in eo ſunt, vniuerſum eorum eſt ſtudium, poſſe impedire ea quæ ad Dei gloriam conferunt, & ea procurare & promouere, vnde aliquid ipſius gloriæ detrahatur. Atque hinc eſt quòd continuò in ſeducendis hominibus occupantur, vt infrà dicemus, vt eos ab obſeruatione mandatorum Dei abſtrahant, & ad mala quæ Deus ipſe prohibet, impellant.

SECTIO VII.

Examinatur animaduerſionis in Angelos qui peccarunt, diuina ſeueritas, & num diuinæ iuſtitiæ repugnet.

NONNVLLI mirantur, quomodo & quâ ratione fuerit Angelorum peccatum inexpiabile, & illicò ad æternas pœnas patra-

to peccato fuerint deſtinati: & quaſdam in medium veriſimiles adferunt rationes, cur diuinam miſericordiam & veniam conſequi debebant.

Diuinam ſeueritatem eius iuſtitiæ videri repugnare, rationibus probatur; at eis ſatis fit.

Primò, quia tam nobiles & maximis naturæ donis inſignes extabant, tamque acuto acrique ingenio pollebant; & ita voluntatem omnium bonorum locupletem habebant, & maximè eorum quæ ſuo ſtatui congruebant; & in ſumma tam perfectæ & omnibus numeris abſolutæ erant naturæ, vt principem locum tenerent: mirum eſt igitur cur ſui criminis veniam, apud ſupremum Iudicem Deum præpotentem, inuenire minimè potuerint, ſed illos potiùs è conſpectu ſuo exterminare, & ſupplicijs addicere ſempiternis decreuerit; atque determinauerit ſe nullum vnquam eis auxilium præbiturum, ad emergendum ex tantis malis, aut ad illa vllâ ratione mitiganda, quicquid olim ſenſerit Origenes.

Secundò, quia principes ſolent multitudini delinquentium ignoſcere, eorum caſtigatione contenti qui ſceleris authores fuerunt, vt conſtat de Ioabo militiæ Dauidis Principe, qui videns Abſalonis exercitum in fugam conuerti, tibicinem receptui ſuorum canere iuſſit, ne vltrà aduerſarios perſequerentur, volens parcere multitudini: at Deus eſt Princeps ſummus, & Rex Regum, & pœnè innumeri Angeli peccauerant; ergo conuenientius videbatur parcere tam ingenti multitudini, quàm illam ad tartara deſtinare.

2. Reg. 18.

Tertiò, Principes non ſe ſolent difficiles reddere ad veniam primo alicui delicto largiendam, & maximè ſi ex defectu cognitionis & experientiæ commiſſum fuerit; vt conſtat de Salomone, qui Adoniæ fratri ſuo regnum ſuum inuadere nitenti pepercit; at hæc Angelorum culpa prima fuit; nec iam aliud periculum experti fuerant, nec de illo periculo & imminente clade, à Deo præmoniti & præmuniti fuerant; & proinde veniam obtinere poſſe, ſibi polliceri poterant; at ſpe ſuâ ſe fruſtratos nouerunt, dum illicò & quaſi ex improuiſò experti ſunt, ſe æterno ſupplicio damnatos.

Quartò, qui deliquerunt, & aduerſùs aliquem principem peccarunt, ſi veniam conſequantur, & generoſo ſint animo, præteritum crimen aliquibus ſolent compenſare benefactis & obſequijs: at nulli dubium eſt quin Angeli generoſo ac forti ſint animo; ſi igitur eis pepercisset Deus, potuiſſent ſuum ſcelus multis obſequijs compenſare, Dei gloriam in cælis & in terris propagare, eius laudes perpetuò velut alij Angeli celebrare, &c. E contrà ob ipſius veniæ defectum, ipſi non ſine graui animarum pernicie & damno, in furorem acti, magnam in terris diuini Imperij partem per tyrannidem occupant, & inuectâ paſſim idololatriæ labe, diuinitatis nomen ac iura

Impijſſimè vſurpant; nonne etiam ad ſanctam Chriſti Eccleſiam expugnandam hæreticis, ſchiſmaticis, & alijs infidelibus tanquam miniſtris vtuntur?

Poſtremò; poſſunt ipſi dæmones conqueri, quòd homines qui ex animaduerſione in eos, debebant eſſe cautiores, multa grauiſſima peccata commiſerint, vnicum verò aut ſaltem pauca ipſi Dæmones commiſerint, & nihilominùs homines veniam nacti ſint, & remedium ſingulare paſſionis Chriſti, quod illis quotidie ad ſuam iuſtificationem per ſacramenta applicatur; Dæmones verò abſque vllo remedio, è cœlo deiecti in Tartarum & ſupplicijs addicti perpetuis. Hæc igitur ſeueritas cenſetur maxima.

Videntur alicuius ponderis hæ rationes; ſed quia diuinam iuſtitiam in ipſorum Dæmonum punitione, aliquo modo labefactare videntur, noſtrum eſt, & ſcripturis ſacris, & Sanctis Patribus, potiſſimùm S. Auguſtino, & rationibus, illam pro viribus defendere, cùm ex Pſalmiſta Regio debeat iuſtificari in ſermonibus ſuis vt vincat *Pſal. 50.* cùm iudicatur, hoc eſt, debeat iuſtus & rectus manifeſtari, tùm in verbis, tùm in actionibus ſuis, vt eius æquitas à quibuſcumque curioſis hominum iudicijs & calumnijs vindicetur. *Dei æquitas in eius verbis & actionibus.* Et primò exclamandum cùm Apoſtolo, *O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei,* *Rom. 11.* *quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius! Quis enim cognouit ſenſum Domini? aut quis conſiliarius eius fuit?* Quæ exclamatio non minùs habet locum in Angelorum reprobatione, quàm in repudiatione, peruicacia & obſtinatione Iudæorum. Quòd ſi Doctor ille gentium, qui tanquam Aquila raptus fuit vſque ad tertium cælum, & immotâ acie Solem diuinum eſt intuitus, audiuitque arcana verba quæ non licet homini loqui, præ admiratione exclamat; nonne par eſt, vt veſpertiliones aut talpæ terrâ obruti, nihil ſe videre fateantur? eſt igitur diuino beneplacito acquieſcendum, & dicendum, *Iudicia Dei abyſſus multa*; ne fortè facti ſcrutatores *Pſal. 35.* maieſtatis, & altiora nobis quærentes, fortioraque ſcrutantes, *Prou. 25.* opprimamur à gloria, vt ſapiens Salomon pronuntiauit. Dicamus potiùs cum Heli ſummo ſacerdote, *Dominus eſt, quod bonum eſt in* *1. Reg. 3.* *oculis ſuis, faciat*; & ſi admirabile bonitatis ſuæ monimentum in procreatione rerum omnium ediderat, quidni etiam in eos qui primi contrà eum incredibili ſuperbiâ ſe extulerant, iuſtiſſimè animaduerteret? illos ſiquidem hoc modo alloqui poterat. Vos in conditorem & principem veſtrum ſuperbè ac perfidè inſurrexiſtis, pœnam infernalem promeriti eſtis, tollat quiſque quod ſuum eſt, & vadat; an oculus tuus nequam, quia ego iuſtus ſum? Ego cui omnia hominum *Matth. 20.* tribunalia ſubiecta ſunt, & qui omnium iura & iudicia pondero ſta-

bilioque, qui voluntatem meam regulam æquitatis & iuſtitiæ habeo, & poſſum pro arbitrio de cunctis creaturis meis diſponere, fœlices reddere aut infœlices Angelos hominesque, ſine vlla prorſus iniuſtitia, aut cuiuſquam iniuria, cùm eis nihil pœnitùs debeam, ſed illi è contrà mihi prorſùs debeant quod ſunt, habent, poſſunt, intelligunt; quantò iuſtiùs poſſum inimicos & ſceleratos vlciſci, & perduelles profligare & perdere? *Cùm igitur* (inquit S. Aug. in Pſalmos) *cœperimus diſputare de operibus Dei, quare hoc, & quare illud, & non debuit ſic facere, malè fecit hoc, vbi eſt laus Dei?* Quibus verbis oſtendit eſſe inſulſam hanc reprehenſionem operum diuinorum: *Quæ de prouidentia ipſius ſunt* (inquit iterùm idem S. Aug.) *de ordine ipſius, de nutu ipſius, de legibus ipſius: & ſi nos non intelligamus quare quidque faciat, demus hoc prouidentiæ ipſius, & non blaſphemabimus.* Cùm olim Socrates quendam Heracliti librum intellectu difficilem perlegiſſet, rogatus quid de illo ſentiret, tantâ modeſtiâ reſpondit, vt iure optimo pudorem Chriſtianis iniiciat: *Quæ intellexi* (inquit) *præclara ſunt, puto etiam præclara eſſe quæ non intellexi:* ita quędam ſunt ex Dei operibus, quæ eſſe iuſtiſſima intelligimus & miramur, cur idem de his quæ non intelligimus non iudicamus? eſtne ſibi ipſi contrarius ipſe Deus?

In Pſal. 149.

Inquirere haud debemus, cur Deus hoc aut illud faciat.

Ferunt Philoſophum quendam in tanta doctrinæ opinione apud auditores ſuos fuiſſe, vt contentionem omnem in Scholaſtico puluere excitatam, illâ vnâ voce componerent, *Ipſe dixit.* Quomodo igitur ſeſe gerere debent hi qui ſacram & diuinam profitentur Chriſti doctrinam? nonne ipſa huius Philoſophi doctrina tantò verior & ſanctior eſt, quantò ipſe Chriſtus illum & cunctos mortales ſapientiores, imò & Angelos ſuperat? hinc aiebat: *Vos vocatis me magiſter, & Domine, & benè dicitis, ſum etenim*; nullus profectò fingi poteſt magiſter virtute, prouidentiâ, ſapientiâ, & aliis perfectionibus maior, cùm non ſolùm homo ſit, verumetiam & Deus: ſi igitur aliqua eius verba aut opera & facta, nobis non ſatis innoteſcant, nonne ſufficit dicere, *Ipſe dixit, decreuit, egit, peregit?* impium eſt profectò decreta, verba, & opera diuina cenſurâ donare, quaſi eſſent iuſtitiæ aduerſa.

Ioan. 13.

Si dicatur, Deus hoc dixit vel egit, credere debemus.

Filius aliquis qui probè nouit ſe valdè prudentem habere patrem & ſibi charum, annè in eius actiones aut verba cenſorium audebit exercere iudicium? minimè gentium, quin potiùs ſtudebit iudicium ſuum omne omnemque voluntatem, eius arbitrio remittere. Deum eſſe Patrem noſtrum chariſſimum, & qui paternum animum erga nos omnes, ad noſtram vtilitatem & ſalutem ſtudioſiſſimè exhibeat, nullus ambigere poteſt. Audiatur Moſes alloquens populum

Iſraël: *Nonne* (ait) *ipſe eſt pater tuus qui poſſedit te, & fecit & creauit te?* audiatur & Chriſtus ipſe, qui docens nos quomodo patrem ſuum æternum orare debeamus, nobis poteſtatem dedit dicendi: *Pater noſter qui es in cælis*, quis ergo auderet contra eius diuina decreta cenſoriam virgam expedire? ſi igitur perduelles Angelos è cælo deturbauit, & ſupplicijs æternis addixit, non eſt quòd quis audeat iudicare, illum iniuſtè & contra æquitatem id præſtitiſſe, quod ſequentibus etiam rationibus clariùs eluceſcet. Deuter. 32. Matth. 6.

Prima eſt, Rationi congruum & conueniens maximè fuit, vt Deus à primo mundi exordio, ſeuerâ quadam animaduerſione erga creaturas delinquentes, ſi reperirentur (vt de facto Angeli perduelles) ſe gereret, quò deinceps homines terrore frænaret, & in officio atque obedientia ſibi debita contineret; nam ſi tanta ſceleris Angelorum vindicta atque punitio, non obſtitit quominùs Proto parens noſter in peccatum laberetur, quid putamus illum fuiſſe facturum, niſi talem Angelorum vindictam præ oculis habuiſſet? ſi fures, ſicarij, & prædones, eo ipſo tempore furantur & deprædantur proximiorum bona, quo eorum ſocij ſupplicijs addicuntur, quid (quæſo) facerent ſi nemo aduersùs fures ageret? vtique in medijs plateis, & publicè in quoſlibet inſurgerent, ita vt omnia loca latrocinijs infeſta eſſent. Angelus, & homo, quaſi fratres atque eiuſdem parentis filij creati ſunt, ille quaſi primogenitus in lucem editus fuit, iſte eſt poſterior in orbem ingreſſus: ſicut ergo filij iuniores contremiſcunt, dum vident patrem punire, ob rebellionem vel aliquod aliud ſcelus maiorem natu fratrem, atque è domo ſua expellere: ita homo contremiſcere debuit, cùm ſuum fratrem natu maiorem videlicet Angelum, ob crimen erga ſuum parentem Deum commiſſum, agnouit à Deo punitum, & à domo ſua ſcilicet cælo empyreo deiectum, & ad tartara demiſſum. Rationes diuinæ ſeueritatis in Dæmones adferuntur.

Alia ratio in duplici ſimilitudine fundatur: prior hæc eſt. Nullus profectò iudex niſi amens fuerit, improbo filio pepercerit, cùm primùm violentas manus intulerit patri, innoxio præſertim atque immerenti.

Altera hæc eſt: nullum eſt conſilium publicum, quod ciui ignoſcendum putet, qui malitioſè in Principem ſuum aut publicam ſalutem coniurarit; & nonne mali Angeli aduerſus Deum parentem ſuum & Principem ſupremum coniurarunt, & in contumeliam tanti ſui benefactoris, omnibus beneficijs gratis ab eo acceptis abuſi ſunt? quid ergo iuſtius, quàm illos ipſis donis priuare? videmus tamen ipſos ſolis ſupernaturalibus gratiæ donis fuiſſe priuatos, & non naturalibus, quæ illæſa in ipſis remanſerunt, vt aliàs diximus, cum San-

ctis Dionyſio & Thoma; cùm tamen vtriſque donis iuſtè meritóque potuiſſet eos priuare, & in nihilum redigere: Dei gloriam & ſedem occupare voluerunt; nonne longè miriſſimum ſupplicium fuit, vt eis gratiâ & gloriâ, tanquam aquâ & igne interdiceretur, & pœnis addicti ſempiternis, ab ipſius Dei viſione arcerentur? non poteſt profectò à Principe maior expectari clementia aduersùs ſubditum, qui ipſum regno abdicare voluiſſet, qui coronâ caput, ſceptro manuum, humeros regia purpurâ ſpoliare tentaſſet, quàm ſi exulare iuberetur, & nunquam faciem ſui principis intueri, imò nonnullis pœnis vt triremibus adiudicari. Quòd ſi alius Iudex à Rege mitiorem ſententiam tuliſſet in reum; aut præuaricari certè, aut particeps coniurationis extitiſſe putaretur, nullum quippè ſupplicium tam atrox fingi poteſt, quod non tanto ſceleri debeatur. Nihil ergo quod iuſtitiæ ſuæ repugnet præſtitit Deus in damnatione dæmonum, qui ipſum à ſua ſede & throno deturbare, eumque coronâ, ſceptro, potentia, & regno ſuo ſpoliare pro viribus tentarunt, & ſi poſſibile eis fuiſſet, id executioni demandaſſent, at vana ſine viribus ira.

His ergo rationibus clarè intellectis, & æquâ lance libratis, eſt occurrendum obiectionibus, initio huius difficultatis poſitis.

SECTIO VIII.

Obiectionibus initio præcedentis Sectionis allatis, reſpondetur.

Angelorum nobilitas non minuit corũ ſcelus.

AD primam, de dignitate & excellentia Angelorum, quæ eorum culpam minuere debebat: Reſpondemus tantùm abeſſe quòd ipſorum Angelorum ſplendor, nobilitas, & inſignia dona, ſuæ culpæ grauitatem minuerint, quin potiùs vehementer ob eorum ingratitudinem & inſignem Dei contemptum, auxerint: ſi enim aliquis è loco humili, ad fortunam quàm florentiſſimam à Rege eſſet euectus, iuxtà illud Pſaltis; *Suſcitans à terra inopem*, &c. hic profectò quantò maior effectus eſſet, ſi nihilominus erga Regem inſoleſceret & grauiter delinqueret, tantò maiori pœna dignus eſſet; num immaniſſimũ Iudę facinus minuitur, ex eo quòd à diſcipulo imò ab Apoſtolo & ab homine neceſſario & domeſtico, aut miraculorum etiam patratore admiſſum eſt? Angeli ergo perduelles, eò fuerunt venia indigniores, quòd à Deo præpotente, è loco humili, imò ex nihilo conditi, & ab eo in maximam dignitatem & excellentiam

Pſalm. 112.

euecti, nec-non reliquis creaturis illuſtriores & glorioſiores effecti, in ſuum nihilominùs conditorem & benefactorem, ingrato ac ſuperbo animo inſurrexerunt. Quia Abſalon qui filius erat Dauidis, in eum abominandâ ambitione arma ſuſcepit, ideò eius ſcelus grauius cenſetur. Idem iudicandum de improbariſſimo Chamo, Patriarcham Noëmum patrem ſuum irridente, & ſic de ſimilibus alijs. Similiter de malis Angelis dicendum, quorum ſplendor & excellentia, non minùs reos illos reddidit, ſed magis apud Deum ingratos, & maiori pœnæ obnoxios, iuxtà illud quod Sapiens aiebat: *Potentes potenter tormenta patientur.* Sap. 6.

Ad ſecundam obiectionem de multitudine delinquentium quæ videtur debere malum minuere, & ideò illi parcendum: Reſpondemus, illam reorum multitudinem, nullam Deo iniuſtitiæ notam affingere poſſe, talis enim multitudo eorum culpam non imminuit, ſed auget, & grauitatem exaggerat, redditque malum difficilius ad curandum: verbi gratiâ ſi decem millia prędonum, adulterorum, Hæreticorum, Atheorum, & ſimilium reorum exiſtant, non minori pœnâ digni ſunt ac ſi pauci eſſent, nec talis multitudo valet ad prouocandam principis indulgentiam, ſed potiùs ad excitandum & acuendum furorem; quantò enim plures ei vim inferunt, tantò grauiùs eius honor & dignitas violatur. Multitudo delinquentium non minuit eorum pœnam, ſed auget.

Deinde quò plures ſunt rei, eò faciliùs ob malum exemplum, homines ad imitationem accendunt, & è contrà, quò ſunt pauciores, difficiliùs in idem alij labuntur; vnde quidam grauiſſimus Pater aiebat, quod à pluribus impunè perpetratum eſt, à cæteris ſuſcipitur audaciùs, pari aut potiori iure eandem ſceleris impunitatem ſperantibus.

Quòd autem in obiectione allegatur de Ioabo, qui pepercit multitudini exercitus Abſalonis, dicimus id apparere valdè conſentaneum rationi, quæ propter hominum peccantium infirmitatem & imbecillitatem, in mitiorem partem inclinat, nec vult humanum genus à iudicibus & principibus perdi; victores quoque de hoſtibus, relinqui volunt quibus imperare poſſint, & principes ad clementiam & indulgentiam inclinantur ob ſui ipſorum amorem, ne vires ſuæ plurimorum reorum diminutione infirmentur, & gloria minuatur, *In multitudine* enim *populi dignitas Regis, & in paucitate plebis ignominia principis*: at non ſic de Deo eſt, neque apud eum valet exemplum de humana imbecillitate vel infirmitate, aut de eius viribus, & gloriæ ſuæ minutione, quia non pendet à ſubditis, ſed à ſe ſolo, poteſt enim in temporis momento, tot exercitus ſuſcitare, quot ſingulares Dæmones à Cœlo Empyreo exciderunt. In puniendis reis, quantum inter Deum & Principes terræ diſcrimen. Prouerb. 4.

Dæmonum peccatum nec ex infirmitate nec ex ignorantia commiſſum fuit.

Ad tertiam obiectionem, quòd peccatum Dæmonum erat primum quod commiſerunt, & faciliùs ideò debebat condonari; Reſpondemus eſſe quidem primum eorum peccatum, ſed ob rationes ſuprà allatas ita graue, vt nullam mereatur veniam, non enim ex infirmitate commiſſum fuit, nec ex ignorantia, ergò ex malitia; non infirmitate, quia nondum in mundo erat, cùm ex corporeis perturbationibus originem ducat, quæ libertatem debilitant; Angeli autem ab ijs perturbationibus eximuntur; nec etiam per ignorantiam contigit, cùm enim eſſent incredibili intellectus acumine præditi, vt aliàs oſtendimus, clariſſimè intelligebant quantum diuinæ maieſtati deberent hactenus, & quanta eis pœna eſſet obuentura, ſi tantam perfidiam in talem Dominum ac parentem conciperent: ſi enim humana ratio huiuſmodi culpam tali ſupplicio dignam iudicat, vt ſuprà conſtat, quantò id clariùs perſpicaces illæ intelligentiæ cognouerunt? Supereſt ergò vt dicamus eos malitioſè peccaſſe, atque ex determinata ac obſtinata voluntate, & proindè non veniam aliquam, ſed iuſtam vltionem promereri.

Cur primum aliquod peccatum, quandoque veniã non mereatur.

Deinde quamuis ſit primum eorum peccatum, non ſequitur proinde quòd veniam mereatur, nam ſine habitu vitij, & malæ inclinationis fuit perpettatum, & propterea magis vitioſum, & maiori caſtigatione dignum, quàm aliqua poſterior culpa, ad quam quidem committendam, habitus aliquis vitioſus anteà ex frequentatis actibus præcedentium culparum genitus, magis inclinat, & quodammodo libertatem labefactare videtur, & ideò poſteriori culpæ eſt potiùs indulgendum quàm priori.

Et huc profectò reſpexit Deus cùm poſt diluuium negauit ſe deinceps tali pœnâ caſtigaturum genus humanum, *Senſus enim* (inquit) *& cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua.* quaſi diceret, multò nunc iuſtior eſt in peccatores homines indulgẽtia, quos deprauata natura & promores ad culpam reddit, & imbecilliores ad pugnam.

Gen. 8.

Quòd autem in obiectione dicitur Angelos non fuiſſe de illo periculo & clade imminente præmonitos atque prçmunitos. Reſpondemus eſſe valde credibile, & ipſâ pœnè euidentiâ illuſtrius, vt ſuprà diximus, inter Deum & Angelos pactum interueniſſe, æquè ac inter homines de fœlicitate ſupernaturali obtinenda, ſi illam per virtutum actus mererentur, vel de ſubeundis pœnis ſi ſecùs facerent, eumque in finem, Deum ipſum durationem aliquam ſtatuiſſe, intrà quam mereri poterant vel peccare, & ſic beari aut damnari, vt iam aliàs dictum eſt, & ita dicendum eſt, omnes & gloriam agnouiſſe quam promereri poterant, & pœnam quam peccando erant incurſuri.

Adde

Adde quòd ipſum rationis lumen neminem dubitare ſinit, inſigni merito inſignem coronam eſſe debitam, & peccato pœnam, & grauiori culpę grauiorem, nec quenquam poſſe prętexere ignorantiæ cauſam: cùm igitur mali Angeli tanto intellectus acumine, vt ſuprà monuimus, fuerint prędit, nullis circa prædicta fuere ignorantiæ tenebris obuoluti.

Sicut inſigni merito inſignis debetur corona, ita grauiori culpæ grauior pœna.

Ad quartam obiectionem, de futuro reorum Angelorum obſequio, & quòd Dei laudes in perpetuum decantaſſent ſi eis pepercisſet; & è contrà de imminentibus damnis vbi ſemel obduruiſſent ad malitiam: Reſpondemus ipſos non obtinuiſſe veniam quia nunquam illam poſtularunt, imò in ſua ſuperbia & nequitia obſtinato & indurato animo perſtiterunt; quamuis enim potuiſſet Deus totum eorum crimen funditùs obliterare, & debitam pœnam condonare abſolutè loquendo, poſito tamen fœdere & pacto quod interueniſſe paulò ante monſtratum eſt, poſitis etiam rationibus ſuprà allatis, & alijs quæ in abſtruſis diuinorum iudiciorum & ſapientiæ theſauris latent, non poterat nec debebat: *fidelis enim eſt Deus* (ait Apoſtolus) *ſeipſum negare non poteſt*, neque ſemel latam mutare ſententiam, cùm immutabilis planè exiſtat; & proinde cognitâ eorum nequitiâ & obſtinatione, formidabile illud atque immutabile decretum ſanxit, nunquam ſe illis ad reſipiſcendum prębiturum manum; quod ipſum in hominibus valet, vbi è viuis exceſſerunt.

Cur Dæmones veniam non ſunt conſequuti.

2. Ad Tim. 2.

Quod ad eorum obſequia futura attinet, ſi eis abſolutè pepercisſet Deus; dicendum eſt ipſum nullâ rerum creararum operâ, obſequijs aut laudibus indigere, cum nullum bonum aliundè quàm à ſemetipſo poſſit accipere, & ab eo profecta ſint omnia, & in eius manibus exiſtant; vnde Pſaltes Regius ait: *Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.*

Deus nullis creaturarum indiget obſequijs aut laudibus.

Pſal. 15.

Prętereà, reliquam habebat in cælo Angelorum partem longè maiorem quàm reorum qui ceciderant, ad eius in perpetuum decantandas laudes, ac etiam omnes animas beatas & in futurum beandas, & homines Eccleſię militantis ad finem mundi vſque, & poſt mortuorum reſurrectionem futuram & iudicium, omnes beatam vitam in corpore & anima in ſempiternum ducturos, qui ſunt innumeri futuri; quâ igitur ope malorum Angelorum qui ſpontè illum deſeruerunt indigebat, aut indigebit vnquam?

Deinde diuinæ ſuæ iuſtitiæ ſatisfacere debebat, vlciſcendo ſe de tanta ſuperborum turma: *Fiat ius*, (aiebat quidam vir magnus) *& pereat mundus*; tanta enim eſt diuinæ iuſtitiæ dignitas, tantus ſplendor, vt illius conſeruandæ aut illi ſatisfaciendi cauſa, totius mundi

perturbatio atque interitus (ſi peccatum abſit) tolerari poſſit.

Chriſti Incarnatio, Paſſio, &c. quanti valoris.

Denique Chriſti Incarnatio, Paſſio, alijque actus quos exercuit occaſione peccati, in quod genus humanum ſuggeſtione dæmonis ceciderat, pluris ſunt quàm omnia bona & obſequia, quæ mali Angeli in omnem æternitatem erant facturi, ſi eis Deus pepercïſſet.

Ex malis Dæmonum & hominum Deus bona elicit.

S. Auguſt.

Quòd autem in fine obiectionis dicitur Dæmones ex defectu veniæ in furorem actos, idololatriam in mundo excitare, tyrannidem exercere, diuinitatem vſurpare, Eccleſiam expugnare, & alia ſimilia facinora perpetrare. Reſpondemus id quidem verum eſſe, at ex tantis malis Deum nouiſſe bona elicere, nam ex S. Auguſtini doctrina, *infinita Dei bonitas nulla mala permittit, niſi infinita quoq; eius potentia, bona de malis elicere poſſit.* Ex illis quippè malis dignoſcũtur boni, eorum patientia quaſi aurum in fornace probatur, & quantò maiora ſunt, vt idololatria, tyrannis, vſurpatio diuinitatis, &c. maiora etiam bona ex eis, ſua prouidentia Deus nouit elicere.

Ad poſtremam obiectionem, quòd homines ex animaduerſione in Dęmones debebant eſſe cautiores, & nihilominùs peccarunt, & remedium eis adhibuit Deus, & non Dęmonibus, &c. Reſpondemus quòd ſi cautiores non fuerint homines, ob pœnam ipſis malis Angelis peccantibus inflictam, id accidit, quia eòrum peccatum & pœnam debitam ignorarunt, vt autumant aliqui, aut ſi ſciuerint, ex quadam nihilominùs inaduertentia aut fragilitate, & à ſerpente ſeducti peccarunt; & nonne (proh dolor!) ſæpè ſæpiùs aliqui pro furtis, homicidijs, alijſque facinoribus, ſupplicijs addicuntur, & pœnas luunt multis videntibus, quorum tamen nonnulli haud cautiores effecti in ſimilia labuntur crimina? ſic de Protoparentibus noſtris iudicandum.

Protoparentes noſtri, cur ex lapſu Dæmonum non fuerunt cautiores.

Quòd autem homini adhibitum fuerit remedium, & remanſerit Dæmon æternorum ſuppliciorum mancipium: Dicimus ipſum ea ſupplicia, ſuperbiâ improbiſſimâque temeritate fuiſſe promeritum; poterat ergò illi dicere Deus, tolle quod tuum eſt & vade, volui vti miſericordiâ ergà homines naturâ fragili & caducâ circundatos, an non licet mihi quod volo facere? cur felleo inuidiæ veneno tabeſcit cor tuum, & lingua tua maledictis & probris vexat bonitatem meam?

SECTIO IX.

Cur homo & non Angelus, veniam poſt peccatum fuit conſequutus.

NONNVLLÆ porrò in medium adduci ſolent à Theologis rationes, quare homini & non Dæmoni adhibitum fuerit Paſſionis Christi & Sacramentorum remedium.

Angelus non eſt ſui peccati veniam conſequutus, ſed bene homo, & cur.

Prima eſt, quia primus homo à quo totius generis humani fœlicitas aut ruina pendebat, fuit à Dæmone & muliere ad diuinam prohibitionem violandam incitatus; at Angelus nullum habuit ad ſcelus impulſorem, & ideò reparatorem minimè reperit, & ita docet S. Gregor. *Lib. 4. Moral. cap. 10.*

Secunda ratio, quia homo vltrà Dæmonis & mulieris ſuggeſtionem, ex infirmitate peccauit, Dęmon verò ex mera malitia & propria voluntate; non etiam Dæmones egent diſcurſu temporaneo ſicut homo, ſed quaſi vno intuitu vident & comprehendunt quæ ſibi propoſita fuerunt, vnde & dicuntur habere intellectum deiformem, vt loquuntur Altiſſiodorenſis [a], & Durandus [b]: homo verò non erat tam perſpicax vt peccatum vitaret, & ob hanc imbecillitatem, miſericordiam à Deo eſt conſequutus.

a *Lib 2. ſuæ ſummæ tract. 6. cap. 6.*
b *In 2. ſent. diſt. 7. qu. 1.*

Tertia ratio, Vniuerſum genus humanum in primo parẽte perierat, idque alienâ voluntate, videlicet ipſius Adami, vnde & maior fuit occaſio miſericordię reſpectu poſterorũ, qui rei facti ſunt priuſquàm in lucem ederentur: at verò non omnes Angeli cum Lucifero perierunt, ſed ſolùm aliqui, & propriâ ſuâ ac certâ voluntate, non alienâ nec interpretatiuâ. Quòd ſi eandem Luciferi ſuperbiam ęmulati ſunt, & perncioſum eius exemplum ſequuti, id ſponte ſua præſtiterunt, nec tamen poſteà veniam petierunt, & ideò in ſua malitia permanent, ac æterna damnatione.

Quarta ratio eſt B. Anſelmi, quòd Angelorum ruina reparari poterat, homines in eorum vacuis ſedibus collocando; at ſi homines quoque abſque vllo remedio, poſt eorum peccatum abiecti fuiſſent, nulli erant qui ipſorum Angelorum ſedes, ab origine mundi paratas repleuiſſent. Quòd ſi dicas, Deum alios homines deleto Adamo & poſteris, potuiſſe condere qui dictas ſedes repleuiſſent: Reſpondeo id quidem verum eſſe, ſed cùm fuiſſent etiam creati liberi, peccare quoque quapiam occaſione potuiſſent, & ſic idem periculum rediſſet. *Lib. de conſ. Incar. cap. 16. & 17.*

Serm. 2. de Natiuit. Quinta ratio, ex S. Leone elicitur, dicit enim decuiſſe Deum redimere hominem, ne gloriaretur Dæmon ſe quodammodo victoriam reportaſſe contra Deum, & expleuiſſe inuidiæ ſuæ deſiderium, dum homo non aſſequitur gloriam quam Dæmon perdiderat, & quam ei ſummè inuidebat: ſicut enim Iacob tulit primogenita Eſaü, & in benedictionem eius ſucceſſit, vnde ſemper ei inuidebat Eſaü, ita homo primogenita Dæmonis hæreditauit hoc eſt gratiam virtutes ac dona, cum quibus primò genitus fuit, & à Deo creatus: illo verò peccante, ablata ſunt & data homini; qui & eius benedictionem hæreditauit, gloriam ſcilicet cæleſtem, quam Dæmon habiturus erat niſi peccaſſet: hanc ergo gloriam Dei fauore ad ſe deriuatam, non debuit perdere Diaboli inuidia & fraude.

Tract. 110. in Ioan. ad finem. Sexta ratio deſumitur ex S. Auguſtino, ideò Deum gratiam Dæmonibus non contuliſſe, vt à peccato reſurgerent, vti hominibus, quia cùm his præſtantiores nobilioreſque exiſterent, tantò minùs peccare debuiſſent: *Tantò minùs* (inquit) *quàm nos peccare debuerant, quantò meliores nobis fuerunt*; pende hæc verba, quòd indigni fuerint miſericordia, contra ſuum conditorem exurgentes, quia eorum natura erat longè præſtantior noſtra, vt inde de tua ſaluatione timeas, ſi à Deo plura acceperis dona, & tamen peccare non deſinas, & forſitan grauiùs ijs qui non tanta acceperunt.

Nonnullæ aliæ ſunt rationes Sanctorum Patrum, quibus conſtat cur Dæmonibus lapſis non ſubuenit nec opem tulit Deus, ſicut hominibus; ſed illæ quas attulimus potiores ſunt, & ad propoſitum noſtrum ſufficiunt.

Sed nihilominùs, tantis remedijs Incarnationis & Paſſionis Chriſti, nec-non Sacramentorum, aliorumque ſupernaturalium mediorum aduerſus hominum peccata à ſumma Dei bonitate & clementia adhibitis, quis non doleat & ſanguineis deploret lachrymis, quòd maxima ipſorum hominum pars (cùm tamen vix tertia pars Angelorum ceciderit) neglectis remedijs, in exitium ruat ſempiternum? Quòd ſi nullam faciamus mentionem, de ingenti populorum & gentium multitudine, qui Chriſtianæ Religionis nullam habent cognitionem aut curam, & proindè ſalutem non poſſunt conſequi, cùm extrà Eccleſiam non ſit ſalus, & de ſolis Chriſtianis ſit quæſtio, multi Sancti Doctores probabiliter tenent, inter illos numerum reproborum ſuperare electorum multitudinem: vnde Chriſtus monet ſeriò omnes, vt intrent per anguſtam portam: *Quia*, inquit, *lata porta & ſpatioſa via eſt quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt qui intrant per eam*, & mox cum admiratione ſubiungit, *Quàm anguſta porta & arcta via eſt quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui inue-*

Matth. 7.

niant eam, & Sanctus Hieronymus, *Si quidem multi inuentâ veritatis viâ, capti ſæculi voluptatibus, de medio itinere reuertuntur*: & S. Auguſt. de ſaluandis Chriſtianis loquens, ait: *Ipſi pauci ſunt in comparatione longè plurium, qui cum Diabolo puniendi ſunt*, & vt doceat electos illos, multitudine vinci à reprobis, vtitur frumenti & palearum comparatione; at quis ignorat longè maiorem palearum eſſe copiam quàm frumenti? & ad maiorem horum confirmationem, ſcimus ex ſemine Euangelico, quo totus Eccleſiæ campus perfuſus & reſperſus eſt, vix quartam partem fructum retuliſſe. S. Auguſt. lib. 4 contra Creſconium c. 53

Aliquis tamen obijcere poterit, id quod habet S. Ioannes: *Vidi turbam magnam quam dinumerare*, &c. Reſpondent nonnulli veram quidem eſſe S. Ioannis viſionem de ingenti prædeſtinatorum multitudine, ſed illum potuiſſe videre in Tartaro longè maiorem. Apoc. 7.

SECTIO X.

Si Dæmones ob eorum ſuperbiam, &c. ita iuſtè tantis addicti ſunt pœnis, multò magis homines ſi eos imitentur.

EX ſupra-dictis liquidò patet, quàm terribilis ſit Dei iuſtitia, ijs qui in ſuperbia & in abuſione operantur malum, per eam namque eos de ſublimibus deijcit, non modò vſque ad terram vt in Pſalmis ſubijcitur, verum-etiam vſque ad infimi barathri profundiſſima, vſque ad puteum abyſſi in quo vinculis illos æternis alligat, & vbi igne cremantur; id docet Pſaltes Regius: *Excelſus Dominus & humilia reſpicit, & alta à longe cognoſcit*, dicit ipſum humilia reſpicere, nimirùm vt ea attollat & ſubleuet, alta verò & ſuperba à longè cognoſcere, id eſt deſpicere, ſcilicet vt ea confundat atque deijciat, ab ea in qua ſe conſiſtere præſumpſerint altitudine. Hoc itaque conſtat ex antedictis, de tam horrenda aduersùs Angelos malos prolata ſententia, & tremendo executioni demandato iudicio, quod tanquam lucidiſſimum ſpeculum ob oculos noſtros continuò verſari debet, vt à præſumptione ſuperbiæ tanquam à peſte prima & perniciosiſſima, ſtudioſiſſimè caueamus, & humilitatem tanquam omnis boni fundamentum, ſummoperè aſſequi contendamus: nam iuxtà S. Petri Apoſtoli admonitionem: *Si ipſis Angelis peccantibus* (per ſuperbiam) *non pepercit*, rigor iuſtitiæ eius, *ſed de cælo detractos, æternis cruciatibus tradidit cruciandos*; quid de nobis agetur viliſſimis Pſalm. 146. Pſalm. 137. 2. Petr. 2.

fœtidiſque vermibus ſuper terram hîc reptantibus, quibus nulla eſt iuſta ſuperbiendi occaſio, ſed magis omnis humiliandi ratio ex ipſa quam circumferimus corporis vilitate? proculdubio nobis neque ſpes eſſe debet effugiendi ſimile Dei iudicium, ſed reuerâ eius nos manet vltio, ſi ſuperbis illis Angelis ſimiles inueniamur, & in acceptis ab eo donis ſuperbientes, non illi, ſed nobis ipſis demus gloriam. Debemus ergo ad ipſum tanquam ad Patrem miſericordiarum, & totius conſolationis Deum, omni cum animi demiſſione recurrere, vt dignetur cordis noſtri ſuperbiam comprimere, & faſtu turgentia pectora deprimere: dicamus cum Pſalmiſta: *Non nobis Domine non nobis, ſed nomini tuo da gloriam*; doce nos quæ veræ ſunt humilitatis, non propriam laudem quærere, non noſmetipſos vanè efferre, non inflari, non intumeſcere, non oblectari honoribus, non in nobis ipſis, ſuper bonis tuis te neglecto gloriari, ſed tibi ſemper in omni humilitate, corde & corpore ſubiectos permanere, vt non cum reprobis illis & apoſtaticis ſpiritibus à te abijciamur, ſed cum fidelibus Angelis ſemper in tua ſeruitute perſeueremus, & tandem expleto præſentis vitæ curſu, in eorum ſocietatem in conſpectu tuo aſcribamur. Amen.

Pſalm. 113.

SECTIO XI.

De prælatione Dæmonum.

VT clariùs percipiamus an inter Dæmones ſit prælatio & in quo conſiſtat: aduertendum primò, duplicem eſſe ordinem, videlicet naturalem, & moralem ſeu politicum: Ordo naturalis, ille eſt quem ſecum ipſa affert natura, vt inter Angelos talis reperitur ordo, ſecundùm diuerſas perfectiones naturales, ſuprà enim diximus ipſos diſtingui per Hierarchias, choros, & ordines, ſicque quantò altior eſt hierarchia vel chorus, tantò etiam maiores & nobiliores ſunt Angeli illius Hierarchiæ vel chori, vt conſtat de Seraphinis, qui meritò Cherubinis & alijs inferioribus præferuntur, quia primi ſunt ordinis & Hierarchiæ, cenſenturque reliquis perfectiores, & poſt illos extant Cherubini, poſtea Throni, & ſic deſcendendo ad Angelos vſque infimi ordinis.

Ordo duplex naturalis & moralis ſeu politicus.

Ordo moralis vel politicus, pendet ex aliqua electione vel conſenſu voluntatis.

His ſuppoſitis, quæritur an inter Dæmones duplex iſte ordo re-

periatur; Et reſpondent Doctores affirmatiuè. Quòd enim inter illos prior ordo exiſtat, patet ex eo quòd poſt lapſum, in eis naturalia remanſerint illæſa, vt iam ex B. Dionyſio & S. Thoma notauimus. Sicut ergo inter Angelos ita & inter Dæmones, alij ſunt inferiores, alij ſuperiores & Principes qui inferioribus dominantur, ſcilicet ij qui ex altioribus ordinibus ceciderunt, ideóque naturæ ſunt nobilioris & maioris virtutis: hinc qui ex ordine Seraphim, Cherubim & Thronorum ceciderunt, ſunt Principes eorum qui ex inferioribus ordinibus Dominationum, Principatuum, Poteſtatum prolapſi ſunt; & hi conſequenter ſunt Principes eorum qui ex ordinibus inferioribus Virtutum, Archangelorum, & Angelorum ceciderunt; omnium verò Dæmonum Princeps eſt Lucifer, ſicut Angelorum eſt Sanctus Michaël: vnde in Apocal. *Draco* (hoc eſt Lucifer) *& Angeli eius pugnabant*; & apud S. Iob. *Leuiatham ipſe eſt Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ.* & apud S. Matthæum vocatur Beelzebub Princeps Dæmoniorum, Lucifero tamen inferior. Idem S. Matth. ait quòd Dominus in iudicio vniuerſali dicet impijs, *Ite in ignem æternum qui paratus eſt Diabolo & Angelis eius.* Ecce mentio fit vnius Diaboli tanquam aliorum Principis. Et cùm S. Paulus loquitur de damnatis Angelis, vocat eos Principes & Poteſtates & Rectores tenebrarum harum.

Inter Dæmones eſt ordo naturalis. Apoc. 12. Iob 41. Matth. 9. Matth. 25. Ad Epheſ. 6.

Quòd etiam inter Dæmones ſit alius ordo, videlicet moralis & politicus, conſtat ex ſacra ſcriptura, in qua legimus, eſſe inter illos obedientiæ & prælationis ordinem: vnde aiebat Chriſtus [a], *ſi Sathanas in ſeipſum diuiſus eſt, quomodo ſtabit regnum eius?* & alibi [b]: *quomodo poteſt Sathanas eÿcere Sathanam?* & rurſùm [c], *omne regnum diuiſum deſolabitur*; vbi notandum hoc vocabulum *Regnum*, quod ſemper ſupponit aliquam prælationem & præfecturam politicam, reſpectu aliorum tanquam ſubditorum: de tali etiam præfectura & ordine poteſt intelligi citatus locus Matth. & non ſolùm de ordine naturali: ſicque dicemus Beelzebub non tantùm ordine naturali eſſe Dæmoniorum principem, ſed etiam voluntario & politico; ita dici poteſt de Lucifero, qui non ſolùm Rex eſt & princeps omnium Dæmonum ex natura ſua, inquantùm habet ab initio creationis ſuæ naturalem perfectionem quâ reliquos antecedit, ſed continuò reliqui omnes politicè & voluntariè vt ſuum primarium Principem recognoſcunt atque obediunt: vnde Princeps Dæmonum, pro varijs prouincijs, & pro varijs perſonis, deſignat varios Dæmones, qui tentent nunc ad hæc, nunc ad illa vitia, quæ mandata ipſi libentiſſimè exequuntur, ex odio atque inuidia Dei & hominum, vt ex Sanctis Patribus colligitur; quò fit vt vnus dicatur ſpiritus laſciuiæ, alius

Inter Dæmones eſt ordo moralis & politicus. a Luc. 1. b Marc. 3. c Matth. 12. & Luc. 11.

Dæmones Lucifero tanquam ſuo Principi obediunt.

mendacij, &c. quia modò ad hanc, modò ad illam turpitudinem inclinat & inducit; hinc Lucifer dicitur ſpiritus ſuperbiæ, quia ad illam homines prouocat: Mammon auaritię: Aſmodeus luxuriæ: Sathan iræ ac diſcordię: Beelzebub gulæ: Leuiatham inuidiæ: Beelphegor acediæ; & quiſque horum ad vitium cui prę̨eſt inducere nititur, innumeroſque habet ſub ſe, qui ad huiuſmodi quoque peccata homines diuerſos ſollicitant. Et indè apparet, quòd Dęmones qui præſtantiores erant ante lapſum, facti ſunt poſt lapſum nequiores & pejores, nec-non viribus & ingenio reliquos ſuperantes, ſicut ſi homo doctus & ſubtilis, in mala ingenij acumen conuertat; perniciosiſſimus redditur. Et id benè innotuit Sancto Gregorio [a] & Caſſiano [b]; referunt enim quendam Dæmones vidiſſe, reddentes rationem operum ſuorum coram ipſo Lucifero ſedente in throno. Et quod de eo dicimus, ita proportione ſeruatâ dicendum de alijs Principibus Dæmonibus ſuprà nominatis: in fine autem mundi, abſoluto Eccleſiæ militantis curſu, talis prę̨latio & ordo inter Dęmones euacuabitur; vt habet Apoſtolus: *Cùm euacuauerit omnem principatum & poteſtatem & virtutem*, quæ verba quamuis interpretetur S. Thomas de bonis Angelis, quia ampliùs homines eorum regimine & cuſtodiâ non indigebunt, Caſſianus [a] tamen ea intelligit de Angelis malis, qui etiam nullâ ratione electis ampliùs obeſſe poterunt, & inſidias ſtruere Eccleſiâque infeſtare; quod dilucidè docet S. Hieron. [b] expendens illam diuiſionem linguarum, quâ turrim Babel ædificantes à ſua inſania deſtiterunt: *Prodeſt* (inquit) *fortitudines peſſimas inter ſe non habere concordiam, & cùm Sathanas aduerſus Sathanam diuiſus fuerit, tunc demùm omne regnum illius deſtruetur: & hoc in conſummatione mundi fiet, quando vniuerſæ inter ſe pugnabunt Dæmonum Legiones*: has interpretationes amplectitur Gloſſa, cuius hęc ſunt verba: *Quandiu durat mundus, Angeli Angelis, homines hominibus, & Dæmones Dæmonibus præſunt, & actiones inferiorum actionibus ſuperiorum ſubijciuntur.*

Quinam ſint Dæmones Principes ad diuerſa inducentes flagitia.

a 3. Dialog. cap 7
b Collat. 8 cap. 16.

1. ad Cor 15.

Prælatio inter Dęmones in fine mundi euacuabitur.

a Citata coll. 8 cap. 14
b In 7. Mich. Geneſ. 11.

In 1. ad Cor. 15

Verùm aliqui contendunt nullam inter Dæmones eſſe prælationem ſeu præfecturam, maximè moralem & politicam, quæ pendeat ex aliqua electione & conſenſu voluntatis eorum qui obediunt, ſi enim ipſi Dæmones nolint Deo ſubijci, quantò minus alteri Dęmoni? Deindè S. Iob ait: *In inferno nullus eſt ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat*; at vbi præfectura & prælatio eſt, habetur ordo. Ad priorem obiectionem reſponſio eſt, Dæmones nunquam eligere aut elegiſſe alicui ſubijci, etiam ipſi Deo aut alicui ſuperiori Dæmoni, abſolutè & ſimpliciter ſed ſecundùm quid, & in malum finem, vt videlicet eorum colligatio & conſpiratio in damnum, perniciem,

Iob. 10.

niciem, & ruinam generis humani, ſuum ſortiretur effectum, vt ſuprà diximus, licèt mutuo ſe odio proſequantur, & ſic ſimiles ſunt vulpibus Samſonis', ſolis caudis colligatis, vt ſegetes incendant, cùm capitibus & voluntate ſint omninò disiuncti, ſola enim intentione nocendi conueniunt; & hinc patet quantum ſit eorum in nos odium, qui cùm ſint ad inuicem inimiciſſimi, eodem tamen modo ad noſtrum interitum conueniunt, & adunantur.

Etiamſi Dæmones ſe mutuo odio proſequãtur, conueniunt tamen vt nobis noceant. *Iudicum* 15.

Ad aliam autem obiectionem ex textu Iobi allatam. Reſpondemus quòd etiamſi inter Dæmones nullus ſit ordo ad bonum, eſſe tamen ad malum, hoc eſt in hominum perniciem & damnationem, propter ſummum eorum odium in humanum genus, nullus eſt qui ignorare valeat; & quamuis nulla ſit inter eos concordia & amicitia, & alius in alium ſæuiat, quia ſuperbiſſimi ſunt, & vix ſuperbi conueniunt vnquam, iuxtà illud ſapientis: *Inter ſuperbos ſemper iurgia ſunt*, cùm eorum quilibet reliquis præferri velit; attamen in hunc malum finem vt hominibus noceant & ad malum inducant, ita ſunt concordes & ſimul colligati, vt non-obſtante mutuo eorum inter ſe odio, non renuant ſubditi, ſuperioribus politicè & voluntariè obedire, ne talis coniuratio & conſpiratio in humanum genus diſſoluatur. Et hoc eſt quod dicit S. Hieronymus, *Vident quòd niſi manerent colligati, ſtatim diſſiparentur, & bellum ipſorum pax hominibus eſſet*, Ideò in hoc maximè concordant & obediunt, & in noſtra damna ordinatiſſimi ſunt. Exemplum de latronibus, ſicarijs, & prædonibus communiter dari ſolet, illi enim ad furandum & prædandum ſimul conueniunt, ſicut etiam perduelles & traditores ad turbandam rempublicam, licèt quandoque adinuicem aliàs ſint inimici. Quòd etiam exemplo lucidiſſimo conſtat in Herode & Pilato, inter quos grauiſſimæ inimicitiæ interueniebant, tamen vt Chriſtum innocentem interficerent, inter ſe conuenerunt. Sic in veteri teſtamento, in huius rei typum, filij Iacob congregati ſunt vt Sanctum Ioſeph perſequerentur; ita Triumuiri illi Romani qui inimici anteà fuerant, tamen vt ſuos contrarios interficerent, amicitiam inter ſe inierunt. Ita ſeſe gerunt hæretici, licèt enim non rarò inter ſe ſint diſcordes, tamen ad impugnationem Eccleſiæ Catholicæ omnes conueniunt. Hæc eſt iniqua & peruerſa peccatorum pax, qui quemadmodum Dæmones conueniunt vt hominem perſequantur; ita ipſi vniuntur vt proximi ſanguinē ebibant, & ipſius vitæ inſidias parent; & quemadmodum ſancta pax & concordia regnum Chriſti conſeruat & corroborat; ita hęc iniqua malorum hominum & Dæmonum pax, regnum Diaboli ſtare facit. De hac iniqua ac peruerſa pace ait Dauid, *Zelaui ſuper iniquos pacem peccatorum videns*: Et ſicut hi iniqui &

Inter Dæmones nullus ordo aut cõcordia, niſi ad hominum perniciem.

Prouerb. 13.

S. *Hieron.*

Math. 27.

Gen. 37.

Hæretici inter ſe diſcordes, conueniunt vt Eccleſiam impugnent.

Pſal. 72.

peruerſi homines, vt ſicarij, prædones &c. plerúmque ex ſuo cœtu in caput & directorem factionis ſuæ, eligunt & conſtituunt illum quem norunt fortiorem, aſtutiorem, nequiorem, & ad audaciùs inuadendum, prædandum & furandum ſubtiliorem & magis artificioſum: ita ſeruatâ proportione, de Dęmonibus iudicandum venit.

Obijci adhuc poteſt, ſi inter Dęmones aliquis eligeretur aut inſtitueretur princeps & prælatus, ille ex maioribus & naturâ excellentioribus eſſet; at maiores grauiùs deliquerunt quàm reliqui, & tamen maiori honore præ alijs haberentur: hoc autem abſurdum videretur, Ergò &c. Reſpondemus verùm eſſe, ſuperiores Dæmones grauiùs reliquis peccaſſe, vt de Lucifero conſtat qui illos ad peccandum induxit, ſed abſit quod meliùs proinde, ſe ſe in præfectura ſua habeant, quinimò certum eſt quòd ſi per illam poteſtatem (ſeu potiùs tyrannidem) quam in alios exercent, magis ſecundùm quandam apparentiam & noſtro concipiendi modo honorentur: ſupplicium tamen illorum nullatenus eſt imminutum, imo quò ſuperiores ſunt eò grauiores ſubeunt cruciatus, iuxtà id quod in Sap. lib. legimus; *potentes potenter tormenta patientur,* & pòſt pauca, *fortioribus fortior inſtat cruciatio;* ſicut proceriſſimæ abietes ſępiùs ventis aguntur in ruinam, & turrès quæ cœlum minantur, grauiore fulminis impetu quatiuntur, eóque maiore damno corruunt, quò vehementiùs reſtiterunt. Aduerte porrò ad maiorem horum elucidationem, hanc Dęmoniorum rempublicam, conſtitutam fuiſſe ex eorum praua voluntate, quâ ſponte conſenſerunt ab initio, primo eorum Principi Lucifero, eique magis quàm Deo obedire voluerunt, vel ſaltem comites & ſequaces, voluntariè ſeſe ipſi adiunxerunt, quia fuit Angelus ſuperior & qui cæteros ſuo exemplo & ſuaſionibus, traxit ad peccandum; illi ergò acquieſcentes, illum quaſi Principem agnouerunt, & cùm videant Deum eis permittere homines tentare, ſuâ prauitate adducti, bellum contrà ipſos homines & contrà Deum ipſum, inire contendunt; & cùm viderent quoque meliùs ſe conſequuturos, ſi ſub vno principe eſſent à quo gubernarentur, & ad munia deſtinarentur, illum elegerunt in principem, cui obediunt ex ſummo ergà Deum & homines odio atque inuidia; ex qua etiam ipſe Princeps imperat & gubernat, & totum ſuum regnum deſtinat, vt totum Chriſti regnum protſùs euertat, ac proindè nunquam Lucifer ius ſuis inferioribus decernit, ſed ſemper iniuſta pręcipiens auditur & à ſubditis ſuſpicitur, qui nihil aliud pręter iniuſtitiam & turpia deſiderant, & ex mandato ſuperioris, homines ad varia peccata inducunt, ad hoc enim tota illa reſpublica eſt inſtituta & ordinata.

Dæmones quo ſunt ſuperiores eò grauiores ſubeunt cruciatus.

Sap. 6.

Dæmones ſe voluntariè Lucifero ad hominum ruinam adiunxerunt.

SECTIO XII.

Dæmonis diffinitio ſeu deſcriptio, eius naturam & malitiam exprimens.

VT iam de Dæmone dicta & dicenda faciliùs nobis innoteſcant, operę-pretium eſt hâc vltimâ præſentis capitis ſectione, eius diffinitionem ſeu deſcriptionem ex Sancto Auguſtino, atque ex nonnullis alijs melioris notæ Theologis in medium adferre, quæ talis eſt. *Lib. 8. de Ciuitate Dei.*

Dæmon eſt ſpiritus impurus, ex nihilo creatus, intelligentiâ præditus, ſuperbiâ tumidus, inuidiâ liuidus, humani generis inimicus, nocendi cupidiſſimus, à iuſtitiâ penitùs alienus, in nequitia ſubtilis, fallaciâ callidus, in fraude ſemper nouus, qui vigilantes turbat, dormientes per ſomnia inquietat, morbos infert, tempeſtates concitat, in lucis Angelum ſe transformat, ſemper ſuum infernum ſecum portat, in indolis ſibi cultum diuinum vſurpat, ſuper bonos dominari appetit, magicæ artis effector, bonis ad exercitium datus, malis verò ad ſupplicium æternum, ſemper hominum fini inſidians; Hæc autem definitio de Dæmone in communi datur, nam illa cunctis Dæmonibus tentantibus conuenit. Alia habetur Dęmonis deſcriptio ex Sancto Chryſologo ſect. 4. cap. 4. circà finem ſectionis. Dæmonis deſcriptio adfertur & explicatur.

In hac ſuprà allata, ſatis prolixa Dęmonis diffinitione ſeu deſcriptione, continetur non ſolùm ipſius Dæmonis natura, verumetiam penè omnes (ni fallor) eius proprietates & functiones, quas breuiter modò declarare intendimus.

Primò, *eſt ſpiritus*, quoniam eius natura eſt merè ſpiritualis, & immaterialis, nullumque corpus admittit, iuxtà id quod docent Sancti Patres [a], qui eum vocant ſpiritum omnis corporis expertem: Epiphanius [b] qui docet illum eſſe ſpiritum incorporeum: & Sanctus Hieronymus [c] qui erroris damnat Origenem, quod affirmaret Dęmones ob delicta detruſos eſſe in aërea corpora. Nomen *ſpiritus* ſtat loco generis, cùm etiam boni Angeli & animæ noſtræ ſint ſpiritus, cætera verò quæ in definitione poſita ſunt, tenent locum differentiarum.

a *Orat. 11.*
b *Hæreſi 35.*
c *Epiſtola ad Auitum.*

Eſt ex nihilo creatus, ſicut & boni Angeli etiam ex nihilo ſunt conditi in Cœlo Empyreo ab initio ſęculi, ſicut aliàs diximus in tractatu de Angelis bonis. Certiſſimum eſt enim ex nulla præjacente

H ij

materia omnes Angelos tùm bonos cùm malos, fuiſſe omnipotenti manu Dei in lucem editos.

Eſt intelligentiâ & maximo ſcientiæ acumine præditus, ex ſubtilitate ſuæ naturæ ſpiritualis, & ob longam quam habet rerum experientiam, nec-non ex reuelatione bonorum Angelorum, Dèo in bonum finem & ad executionem diuinæ ſuæ iuſtitiæ id permittente, vt notat Magiſter Sententiarum [a], auctoritate Sancti Auguſtini fretus, iuxtà id quod habet vates Regius [b], *Miſit* (Deus) *iram indignationis ſuæ, indignationem & tribulationem, immiſſiones per Angelos malos*; quibus verbis conſtat, Deum quandoque per Dæmones tanquàm per tortores & carnifices punire impios, dum id eis eſt per bonos Angelos reuelatum. Ipſi autem, futura quæ habent cauſam determinatam & infallibilem ſcire poſſunt, & meliùs quam Aſtrologi, vt putà ea quæ attenduntur in cœlorum motione, vt ſolis ortus & lunæ, nec-non eorum eclypſes, quæ determinato tempore fiunt. Sciunt etiam futura quæ habent cauſam vtique determinatam, ſed fallibilem, quia poſſunt impediri propter defectum cauſarum inferiorum, non autem ſuperiorum, vt quòd ager benè cultus, pinguis, & ſeminatus, fructus vberes afferat; poteſt enim non ferre fructus ex aliquo impedimento: illa ergo futura ſciunt, non tamen certitudine infallibili, vt prima, ſed conjecturali. Non poſſunt autem determinatè ſcire futura contingentia, quæ à libero pendent arbitrio, ob inconſtantiam voluntatis humanæ, quæ nunc aliquid vult & poſtea mutat propoſitum: ſolus Deus iſta determinatè & infallibili certitudine nouit, ſicut ſolus eſt cordium ſcrutator, vt in tractatu de Angelis notauimus. Dæmones autem ex quibuſdam conjecturis & circunſtantijs, atque ſignis exterioribus illa norunt, quamuis plerumque vt homines decipiant, dicant ſe illa optimè ſcire, tametſi ſolùm caſualiter, & ideò dant ſuper his reſponſa ambigua & deceptiua, vt cùm Pyrrus Epirotarum Rex (vt habet Titus Liuius) inquireret ab oraculo an ipſe poſſet Romanos ſuperare, reſpondit. *aio te Aeacida Romanos vincere poſſe*; quæ verba poſſunt in duplicem trahi ſenſum.

a in 2. diſt. 7.
b Pſalm. 77.
Titus Liuius.

Eſt impurus, impuritate non naturæ ſed culpæ, quoniam per culpam deformatus eſt & contaminatus, & in culpa pertinax, & obſtinatus perſiſtens, quotidie peccat.

Eſt ſuperbiâ tumidus, quoniam etiamſi in eius è cœlo expulſione, gratiam & pulchritudinem amiſerit, non tamen ſuperbiam reliquit, ſed eam continuò retinet, & pro viribus conſeruat. Hinc ait Vates Regius, *Superbia eorum qui te oderunt, aſcendit ſemper.*

Eſt inuidiâ liuidus, quia videns hominem poſt lapſum inueniſſe

ſuæ culpæ Deum redemptorem, qui de captiuitate eundem liberauit; toto conatu quęrit inuidus illum illaqueare & perdere.

Eſt humani generis inimicus, & communis omnium execrabilis & nefarius hoſtis, & proinde indefeſſum eſt hoc illi ſtudium hominibus inſidiari, illos decipere, & inuadere, à diuinorum pręceptorum obedientia abducere, atque ad ea quæ ei diſplicent inducere, tanquam impoſtor & deceptor animarum, vt mactet & perdat, nec-non ſecum ad æternam ruinam trahat.

Eſt nocendi cupidiſſimus, nedum in anima, dùm eandem varijs premit tentationibus, ſed etiam in corpore, dum eidem reticula & captiunculas inijcit, & illud ingrediendo & inhabitando torquet & vexat.

Eſt à iuſtitia penitùs alienus, nam dum nos tentat & multis vexat modis, diuinâ permittente voluntate, id pręſtat tamen malignâ & maleficâ animi naturâ compulſus, & prauâ voluntate concitus, quæ nequaquam diuinam permiſſionem & iuſtitiam inſpicit, ſed propriam inclinationem, quæ impiam intentionem ſemper quærit explere.

Eſt in nequitia ſubtilis, quoniam omnis eius induſtria nihil moliri ſtudet, niſi iniquè tentando in malum inducere. Quòd ſi fortè aliquando aliquid boni efficere videatur, bonum ſcilicet ſuadendo, attamen continuò in malum finem id pręſtat.

Eſt fallaciâ callidus, propterea quòd ſub ſpecie boni ſæpe-ſępiùs homines deludit, & hâc ratione in ſuam aſtu nititur deducere voluntatem, ſicut in mundi primordio, callidâ ſuaſione, in errorem & peccatum primos noſtros parentes induxit, & in dies etiam multos varijs tentationibus deuincit, ad ſcelera allicit, & in perditionem trahere nititur.

Eſt in fraude ſemper nouus, quia ſemper nouos excogitat nocendi modos, & ſi per vnum modum nequeat decipere, alium adinuenit, donec fraude tandem decipiat; & vt prauum illum ſuum finem aſſequatur, ſenſus immutat illudendo, adeò quòd vnum pro alio oſtendit, ſicque hoc modo humanos inquinat affectus, qui vel concupiſcentijs illecti, vel prauis cupiditatibus occupati, quod non decet cupiunt, & pro virili inquirunt, vſu rationis omninò decepto.

Vigilantes turbat, variè tentando mentes humanas, & eis ſuggerendo malum, efficitque vt non valeant quieſcere in contemplatione rerum diuinarum: *vel vigilantes turbat* per ſanguinis commotionem intùs, imò & formas ſeu imagines falſas imprimendo, & ſic ſenſus deludendo & decipiendo, vt his formis conciti homines, obtusâ ratione malum operentur, vel tandem vigilantes turbat, cor-

pora extrà vexando & lædendo, vt de Iob legimus & multis Sanctis nouæ legis, qui variè fuêre ab ipſo virgis cæſi, varijs modis læſi; dum orationibus, ieiunijs, & alijs pijs operibus vacabant. Et non ſolùm extrà lædendo corpora vexat, verum-etiam intùs ea vel obſidendo, vel poſſidendo.

Dormientes per ſomnia inquietat, dum decipientia phantaſmata in animo imprimit, quibus concitantur homines ad malum agendum; vel ad illud quod non decet perpetrandum.

Morbos infert, aëris puritatem corrumpendo, atque humores commouendo & turbando, ex qua commotione & turbatione reſultat corporum intemperies, & ex hac, ſolutio continuarum partium in ipſis, adeò vt citò ad exitium properent. Huius rei exem-
Luc. 13. plum habemus apud Sanctum Lucam, vbi Chriſtus aſſerit mulierem à ſe ſanatam, alligatam remanſiſſe à Sathana & ſpiritu infirmitatis, à decem & octo annis quo erat inclinata, nec poterat ſurſum omninò reſpicere. Et ſicut morbos infert corporibus, ita quoque & animis per aſſiduam eorum tentationem.

Tempeſtates concitat, atque procellas, tonitrua, ventos, fulgura, grandines, &c. dum ipſe in aëre caliginoſo habitans illa omnia ad hæc inferiora transfmittunt, vt cadendo homines lædant, vel ea quæ hominum eſui & vſui à Deo ſunt conceſſa, deſtruant.

In Angelum lucis ſe transformat, vt homines exiſtiment ipſum eſſe bonum Angelum, ſicque eos cautiori & ſubtiliori modo ſeducat, ipſoſque homines impediat, ne cognoſcant quæ bona ad eorum ſalutem ſibi perſuadent boni Angeli, quos Deus ad eorum cuſtodiam deſtinauit.

Semper infernum ſuum ſecum portat, non quidem pœnarum locum, ſed ignem & ipſas pœnas, quas inceſſanter ſubit quocumque in loco exiſtat, vel in aëre, vel ſub terra, vt aliàs ex Beda diximus, quanquam à mortalibus non inſpiciatur, nec eis quicquam moleſtiæ inferat. Quemadmodùm ergò vbi Chriſtus eſt, ibi eſt Paradiſus; vnde dicebat bono latroni in cruce, *hodie mecum eris in Paradiſo*, quamuis illâ die eſſet tantum in Limbo Patrum; ita vbi eſt Diabolus ſic ferens flammarum ſuarum tormenta, ibi dicere poſſumus eſſe infernum.

In idolis ſibi cultum diuinum vſurpat, ſiquidem ſuperbus ille & ambitioſus non potuit in Cælo diuinam aſſequi ſimilitudinem, ſed à Deo fuit eiectus, ideò cupit hic adorari ab hominibus, & ſic eos in infernum ſecum trahere. Quemadmodum autem illum è cælo Deus ob tantam ſuperbiam eiecit: ita in terra à ſimulachris materialibus ipſum deturbauit Dei filius, noſtram aſſumens carnem. Hâc ratio-

ne etiam eadem tumidus ſuperbiâ, & elatus ambitione, ſuper bonos appetit dominari.

Eſt etiam Magicæ artis effector, facitque vt artificioſis ſuperſtitionibus, & curioſis nouitatibus, homines eo deluſi & decepti incumbant, arteſque deceptorias in ruinam hominum, ab ipſomet Dæmone inuentas & excogitatas exerceant.

Eſt quoque datus bonis in exercitium, nam virtus magis perficitur in eis qui facilè capiuntur eius inſidijs, ſed viriliter ac perſeueranter pugnant, & verâ fide fortiter reſiſtunt.

E contrariò malis eſt datus ad ſupplicium æternum, propter peccata grauia ab illo commiſſa, & facinora iuſtâ caſtigatione digna.

Semper tandem hominum fini inſidiatur, ne illum bonum aſſequantur, ſed potiùs in malo ac deſperati pereant. Non tamen continuò victoriam reportat; & præſertim pios & probos aggreditur, quinimò accidit etiam plerumque, vt etiamſi nonnulli malè vixerint, ita Dei afflante gratiâ ad eum conuertantur, vt erga illos ſe miſericordię patrem exhibeat, & ſic deluſo Dæmone benè finiant & ſaluentur. Nullus tamen ſub ſpe futuræ veniæ in peccatis perſeueret, pauci enim qui malè vixerunt benè moriuntur. Hæc omnia fuſiùs antea, & poſthac.

CAPVT III.

SECTIO I.

De odio & inimicitia Dæmonis in Deum, & humanum genus.

EX quò è Cælo Empyreo eiectus eſt Dæmon ob ſuperbiam, & alia crimina quæ ſuprà recenſuimus, & agnouit noſtram humanitatem Dei verbo hypoſtaticè vniendam, & ſic ſuprà omnes cælos honorificè eleuandā, noſque eſſe in eius ſedes ſubrogatos atq; ſuffectos vt ſuprà dictum eſt; in Deum & genus humanum tantam tamque irreconciliabilem concepit inimicitiam & odium, vt non immeritò illum inimicum hominem vocitauerit ſaluator mundi. Nam perniciofus ille hoſtis & perennis inimicus, vafer, verſipellis, fallax & doloſus, ſanguinem ſemper ſitiens, eſt continuò in hominum perniciem intentus, quò incautos opportunè inuadat, & cæleſtem nobis

Matth. 13. Odium Dæmonis in Deum & homines latè oſtenditur.

à Deo promiſſam hæreditatem auferat, tandemque ſecum ad ſempiternas pœnas infœliciter trahat; vt præclarè admodum docet Sanctus Ambroſius. *Serit* (inquit) *illecebras delictorum, vt habeat in ſupplicio participes, quos habuit in errore conſortes; atque ideò ſocios quærit ad culpam, vt obnoxios perdat ad pœnam*: cuperet ſanè ſi id fieri poſſet, ſuæ crudelitatis apicem in Deum ipſum creatorem ſuum exercere; optaret & in eius Angelos, ſuos olim conſortes, malitiæ ſuæ virus effundere: ſed quoniam Dominus Deus in omni ſua bonitate & perfectione eſt ſecurus, vt ei ne in minimo quidem nocere poſſit, Angeloſque ſuos in beatitudine confirmauit, ab illius nocumento ſubſtraxit; ſupereſt ergò vt inſtar Pardalis (ait S. Baſilius[a]) in hominis imaginem inſurgentis eamque dilacerantis, dum ipſi Deo nocere nequit, totam malitiæ ſuæ ſummam in nos effundat; in nos ex aduerſo aciem dirigat, totumque prælij pondus in nos conuertat; poſt Angelos namque, in gloria iam firmatos facilè agnoſcit nos Deo proximo loco eſſe charos, qui eandem gloriam poſt huius vitæ terminum aſſequi ſperamus. Tam ſæuus eſt in mortales ipſe Dæmon, vt eius ſæuitia & crudelitas nunquam decreſcat, nunquam conſumatur, aut finem accipiat: vnde æri comparatur, vt bene notat Philippus Preſbyter ad hæc verba Iob, *æs perenne eſſe dicitur; quod etiam diuturnitate ſuâ vincat ferri materiam, & idcircò huic metallo Diabolus comparatur, eò quod ad interimendum nunquam deficiat, nec vetuſtate aliquâ conſumatur.* Semper ad nocendum nouus eſt, ſemper in noſtri ruinam promptus, ſemper indefeſſus. Denique nullus Dæmonum ſegnis videri vult, vbi de perdendis hominibus agitur, dedecori & probro ſibi quiſque ducit, ſi poſterior in hominem irruerit, gloriæ verò ſi prior: vt conſtat Iob. 1. vbi legimus liberos celeberrimi huius viri oppreſſos, dum corruit domus in qua erant, à quatuor angulis vento vehementi, è regione deſerti irruente concuſſa, licèt enim ſi vel ab vno angulo concuſſa fuiſſet, ruere certè potuiſſet, multi tamen Dæmones vt illico ſubuerteretur, in eam irruerunt, & illorum quiſque primus in eam ferri ſtuduit, ne in ipſorum filiorum Iob exitio, ab alio vinceretur, ſegniorque & tardior eſſe videretur; eorum enim vnuſquiſque, propriæ malitiæ ſatisfacere vult, minuſque ſibi ſatisfactum iudicat, ſi particulariter & præ reliquis, ſi poſſit, manum vt olim aduerſùm Iob; ita ad exitium noſtrum non applicuerit: ex quo nocendi auiditas quâ tenetur, conſtat. Sed ea ſuper re Origenem audiamus. *Si* (inquit) *ſuper vnum angulum poterat cadere, cur omnes quatuor angulos tetigit? quatuor angulos tetigit, vt oſtenderet ferociam atque animum ſuum homicidialem, nam omnes Dæmones mox vt relaxati ſunt, & permiſſionem acceperunt,*

continuò

Lib. 7. in Luc. cap. 12.

a *Hom. quòd Deus non ſit author malorum.*

Lib. 1. in cap. 20. Iob.

Iob 1.

Origenes lib. 1. in Iob.

continuò omnes generaliter ab omnibus partibus, ſuper domum irruerunt feſtinantes, atque aduerſùs inuicem rapientes, quis primus hanc iniquitatem acciperet, quis primus hoc homicidium perpetraret, ingentem vnuſquiſque eorum reputans dolorem, ſi prior illo alter procederet ad eius perditionem. Ex quibus verbis liquidò patet, quàm capitalis ſit inimicus hominis ipſe Dæmon, qui tantâ diligentiâ, vigilantiâ, & crudelitate, vim omnem ſuam atque induſtriam adhibet, vt animam eius, vitam, ac fortunas omnes malè perdat. Id ſenſit idem Patriarcha Iob, in propria etiam perſona, illum enim Dæmon horrendis diuexauit modis, in eumque ſine morte vltrà mortem ſæuijt, vt poſtea dicemus; hic ille eſt qui morbis etiam inſanabilibus miſera corpora diſcruciat, qui diris humana membra maleficijs naturali vſu priuat, mentem phantaſia turbata adigit ad inſaniam, turbat internos affectus, libidinem accendit, iram vertit in furorem, triſtitiam vſque ad deſperationem trahit, & lętitiam vſque ad contemptum Dei, caliginem oculis, auribus ſurditatem inducit, ingreſſum pedibus adimit, & manibus operandi facultatem: & ſi quando Deo annuente corpus in poteſtate habuerit, nullus carnifex illud ita diuexat ac diſcruciat; hominem timore concutit vt leo qui iram rugitu teſtatur, & inſtar fallacis ac cruenti lupi in fraudem pertrahit; mendax quippe eſt ab initio, ac mendacij pater. Quibus verberibus ac plagis ſuos ille veneficos affligit? qualibus nemo ad triremes damnatus, aut Barbari atq; inhumani Turcæ mancipiũ. In ſumma eſt valdè expeditus, imò & velociſſimus, ad damna quęlibet homini inferenda; vnde; *dentes eius dentes leonis interficientes animas hominum*; & niſi eum Deus imperij ſui catenis vinctum teneret, triduò viuum in terris neminem inuenires; vnde Fabro comparatur apud Iſaïam, *Ecce ego creaui Fabrum ſufflantem in igne prunas, & proferentem vas in opus ſuum, & ego creaui interfectorem ad diſperdendum.* Fabri nomine intelligunt S. Hieronymus, & Rupertus in hunc locum Iſaïæ, Diabolum, quem verè Deus creauit qui omnium creaturarum eſt conditor; vt etiam demonſtrat S. Auguſt. & rectè eum vocat Fabrum ſufflantem in igne prunas; nam omnium malorum (inquit Rupertus) ille eſt artifex qui flatu ſuo perſecutionum & tentationum excitat incendia; & ſicut Faber in conflatorio per ignem educit inſtrumenta bellica, ſicut gladium, ſagittam, &c. quæ ab Hebræis vaſa dicuntur, ita ille in conflatorio ſui intellectus, per ignem odij malitiâ & inuidiâ quaſi follibus ſufflantibus, conficit tentationes quibus nos impetit; & hoc eſt quod dicit ſacer textus, *creaui Fabrum ſufflantem in igne prunas ad proferendum vas* (hoc eſt inſtrumentum) *in opus ſuum*, id eſt, vt conficiat tentationes, quibus quod intendit

Ioan. 8.

Eccl. 21.

Cap. 54.

Dæmon Fabro comparatur, & cur.

Hier. & Rup. Lib. 11. de Ciu. Dei c. 15.

conſequi poſſit. Nonnulli hæc verba ad inferni pœnas à Dæmone excitatas referunt, dicunt enim quòd quemadmodum Faber Ferrarius ſolet eſſe niger facie, & habet obſcurum caminum in quo ponit ferrum, vt follibus ſufflantibus, prunas in igne accendat, & poſtmodum per ſe & ſuos adiutores, cum malleis percutit ad nutum ſuum; ita Dæmon qui vt Faber nigerrimus eſt per peccatum, caminum obſcurum habet, hoc eſt infernum omni lumine priuatum, in quo eſt ignis & flamma ardens cum carbonibus appoſitis, quæ denotant pœnam quam patiuntur damnati nunquam vel parùm laxari, ſed potiùs augeri magiſque incendi: ferrum, ſunt ipſæ animæ damnatæ, quæ iſti exponuntur igni perpetuò comburendæ. Et hic eſt ſcopus, & finis in quem tendunt & collimant, tot perſecutionum & tentationum ſagittæ huius Fabri videlicet Dæmonis, quibus homines impetit, quaſque in eos continuò dirigit in præſenti vita, his enim nihil aliud præter eorum damnationem requirit; at Deus præpotens qui non patitur homines ipſos tentari ſuprà id quod poſſunt, vt ait Apoſtolus, ſed dat cum tentatione prouentum, nobis præſentiſſimum adhibet remedium, per quod ipſius Fabri vires & robur confringuntur, eneruantur, & euertuntur, ne in multis ſuum tandem ſortiantur effectum, ab eo ita ardenter exoptatum, damnationem ſcilicet æternam; hoc porrò remedium ſequitur in Prophetico textu, *& ego creaui interfectorem ad diſperdendum*, videlicet Chriſtum

In cap. 54. Iſaiæ. Dominum, vt omnes exponunt. *Nec ſcandalizetur quis* (inquit S. Hieronym.) *quòd dicatur creaui interfectorem, dicitur enim creatus aut ſecundùm humanitatem, aut quia ſecundùm phraſim Hebræam, idem eſt aliquando eſſe creatum quòd eſſe productum, ſicut dicit ſapientia æterna, ab initio & ante ſæcula creata ſum.* Dicitur autem

Chriſtus dicitur Diaboli interfector. Chriſtus interfector Diaboli, quia eum omninò deuicit, opera eius

1. Ioan. 3. diſſoluit, vt habetur in prima Ioan. & eius vires eneruauit, aut in captiuitatem coniecit; quo modo verbũ, *interficiendi vel occidendi*, ſu-

Iſaiæ 11. mitur apud Eſaiam: *Spiritu labiorum ſuorum interficiet impium*, &c.

Iſaiæ 27. & itẽ *occidet cetum qui in mari eſt* Septuag. habent *draconem*, quibus in locis, de victoria quam Chriſtus contrà Dæmonem reportaturus erat, agitur. In hunc finem igitur venit in mundum, vt impium hunc Fabrum interficeret, id eſt eius vires eneruaret, deſtrueret, vniuerſaque eius vaſa bellica ſeu inſtrumenta, quæ tentationes ſunt, confringeret: vnde & ſubdit Propheta, *omne vas quod factum eſt, contra te non dirigetur*, id eſt vires amittet, erit iam fragile & nullius roboris;

Luc. 11. quibus concinit parabola illa à Chriſto propoſita. *Cùm fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt omnia quæ poſſidet, cùm autem fortior illo ſuperueniens vicerit eum, vniuerſa eius arma auferet in*

quibus confidebat, & ſpolia eius diſtribuet. Nullus eſt qui non ſatis percipiat fortem armatum, eſſe Dæmonem; ſed fortiorem ſuperuenientem eſſe Chriſtum, qui eum deuicit, proſtrauit, arma eius abſtulit, & ſpolia diſtribuit. Et hinc intelligere poſſumus, quantâ obligatione ſimus ei deuincti, quantaſque debeamus ei agere gratias, qui inimicum noſtrum confregit, proſtrauit, alligauit, & tandem quantum nos in eius obſequium tradere.

SECTIO II.

Quare Deus ingentem Dæmonum multitudinem in hoc mundo in quo hominem creaturus erat, reliquerit.

IAM ſuprà diximus, plurimos Dæmonum ob ſuam ſuperbiam & alia ſcelera, proiectos fuiſſe vſque ad profundum laci, vt habetur apud Iſaï: id eſt Inferni, qui tunc conditus fuit à Deo, tanquam locus proprius & carcer in quo omnes ipſi Dæmones ſuæ iniquitatis pœnas darent, in quo poſt mundi finem includentur, vt S. Ioann. in Apocalyp. notat. Sed mirum quibuſdam videtur, cur eorum plurimos & penè innumeros reliquerit in hoc mundo, in quo homines condere & locare decreuerat, propter quod non dicuntur in 12. cap. Apocal. in Infernum miſſi, ſed in terram, ita vt hoc in aëre caliginoſo inter cœlum & terram volitent, vt loquuntur Sancti Patres, & aëris poteſtates vocentur; nónne ſatius fuiſſet vt omnes in Infernum detruderet, vt ibi pœnam ſibi conuenientiſſimam ſubirent, & magis humiliarentur qui ſuprà aſtra exaltare ſe voluerunt, & ſic ſolitâ ſuâ pietate paternâ ac prouidentiâ, bono ac vtilitati hominum conſuleret, qui continuò ab ipſis Dæmonibus agitantur? Etenim, quis pius Pater dilecto ſuo filio domum præparans in qua naſciturus eſt & vitam acturus, priuſquam in ea naſcatur, illam replet ſerpentibus, ſcorpionibus, venenatiſque animantibus, qui nihil aliud quàm venenum effundere procurent? Quiſnam paſtor ouibus ſuis quas comparare intendit, caulas & paſcua quæ priùs præparat, replet lupis, leonibus, vrſis, vulpibus, alijſque animantibus crudeliſſimis, quorum perpetua ſit cura oues ipſas & agnos deuorare? Hic mundus cum ſuo ornatu à patre cæleſti fuit conditus, tanquam domus quam homini diſponebat, vt poſt eius creationem ibidem moram traheret, ſicut ſolet palatium aut domus parari alicui Regi ingreſſuro

Iſaia 14.

Apoc. 20.

Deus plures in mundo Dæmones reliquit, & cur.

conſequi poſſit. Nonnulli hæc verba ad inferni pœnas à Dæmone excitatas referunt, dicunt enim quòd quemadmodum Faber Ferrarius ſolet eſſe niger facie, & habet obſcurum caminum in quo ponit ferrum, vt follibus ſufflantibus prunas in igne accendat, & poſtmodum per ſe & ſuos adiutores, cum malleis percutit ad nutum ſuum; ita Dæmon qui vt Faber nigerrimus eſt per peccatum, caminum obſcurum habet, hoc eſt infernum omni lumine priuatum, in quo eſt ignis & flamma ardens cum carbonibus appoſitis, quæ denotant pœnam quam patiuntur damnati nunquam vel parùm laxari, ſed potiùs augeri magiſque incendi: ferrum, ſunt ipſæ animæ damnatæ, quæ iſti exponuntur igni perpetuò comburendæ. Et hic eſt ſcopus, & finis in quem tendunt & collimant, tot perſecutionum & tentationum ſagittæ huius Fabri videlicet Dæmonis, quibus homines impetit, quaſque in eos continuò dirigit in præſenti vita, his enim nihil aliud præter eorum damnationem requirit; at Deus præpotens qui non patitur homines ipſos tentari ſuprà id quod poſſunt, vt ait Apoſtolus, ſed dat cum tentatione prouentum, nobis præſentiſſimum adhibet remedium, per quod ipſius Fabri vires & robur confringuntur, eneruantur, & euertuntur, ne in multis ſuum tandem ſortiantur effectum, ab eo ita ardenter exoptatum, damnationem ſcilicet æternam; hoc porrò remedium ſequitur in Prophetico textu, *& ego creaui interfectorem ad diſperdendum,* videlicet Chriſtum

In cap. 54. Iſaie. Dominum, vt omnes exponunt. *Nec ſcandalizetur quis* (inquit S. Hieronym.) *quòd dicatur creaui interfectorem, dicitur enim creatus aut ſecundùm humanitatem, aut quia ſecundùm phraſim Hebræam, idem eſt aliquando eſſe creatum quòd eſſe productum, ſicut dicit ſapientia æterna, ab initio & ante ſæcula creata ſum.* Dicitur autem

Chriſtus dicitur Diaboli interfector.

Chriſtus interfector Diaboli, quia eum omninò deuicit, opera eius

1. Ioan. 3. diſſoluit, vt habetur in prima Ioan. & eius vires eneruauit, aut in captiuitatem coniecit; quo modo verbũ, *interficiendi vel occidendi,* ſu-

Iſaia 11. mitur apud Eſaïam: *Spiritu labiorum ſuorum interficiet impium,* &c.

Iſaia 27. & itẽ *occidet cetum qui in mari eſt* Septuag. habent *draconem,* quibus in locis, de victoria quam Chriſtus contrà Dæmonem reportaturus erat, agitur. In hunc finem igitur venit in mundum, vt impium hunc Fabrum interficeret, id eſt eius vires eneruaret, deſtrueret, vniuerſaque eius vaſa bellica ſeu inſtrumenta, quæ tentationes ſunt, confringeret: vnde & ſubdit Propheta, *omne vas quod factum eſt, contra te non dirigetur,* id eſt vires amittet, erit iam fragile & nullius roboris;

Luc. 11. quibus concinit parabola illa à Chriſto propoſita. *Cùm fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt omnia quæ poſſidet, cùm autem fortior illo ſuperueniens vicerit eum, vniuerſa eius arma auferet in*

quibus confidebat, & ſpolia eius diſtribuet. Nullus eſt qui non ſatis percipiat fortem armatum, eſſe Dæmonem; ſed fortiorem ſuperuenientem eſſe Chriſtum, qui eum deuicit, proſtrauit, arma eius abſtulit, & ſpolia diſtribuit. Et hinc intelligere poſſumus, quantâ obligatione ſimus ei deuincti, quantaſque debeamus ei agere gratias, qui inimicum noſtrum confregit, proſtrauit, alligauit, & tandem quantum nos in eius obſequium tradere.

SECTIO II.

Quare Deus ingentem Dæmonum multitudinem in hoc mundo in quo hominem creaturus erat, reliquerit.

IAM ſuprà diximus, plurimos Dæmonum ob ſuam ſuperbiam & alia ſcelera, proiectos fuiſſe vſque ad profundum laci, vt habetur apud Iſaï. id eſt Inferni, qui tunc conditus fuit à Deo, tanquam locus proprius & carcer in quo omnes ipſi Dæmones ſuæ iniquitatis pœnas darent, in quo poſt mundi finem includentur, vt S. Ioann. in Apocalyp. notat. Sed mirum quibuſdam videtur, cur eorum plurimos & penè innumeros reliquerit in hoc mundo, in quo homines condere & locare decreuerat, propter quod non dicuntur in 12. cap. Apocal. in Infernum miſſi, ſed in terram, ita vt hoc in aëre caliginoſo inter cœlum & terram volitent, vt loquuntur Sancti Patres, & aëris poteſtates vocentur; nónne ſatius fuiſſet vt omnes in Infernum detruderet, vt ibi pœnam ſibi conuenientiſſimam ſubirent, & magis humiliarentur qui ſuprà aſtra exaltare ſe voluerunt, & ſic ſolitâ ſuâ pietate paternâ ac prouidentiâ, bono ac vtilitati hominum conſuleret, qui continuò ab ipſis Dæmonibus agitantur? Etenim, quis pius Pater dilecto ſuo filio domum præparans in qua naſciturus eſt & vitam acturus, priuſquam in ea naſcatur, illam replet ſerpentibus, ſcorpionibus, venenatiſque animantibus, qui nihil aliud quàm venenum effundere procurent? Quiſnam paſtor ouibus ſuis quas comparare intendit, caulas & paſcua quæ priùs præparat, replet lupis, leonibus, vrſis, vulpibus, alijſque animantibus crudeliſſimis, quorum perpetua ſit cura oues ipſas & agnos deuorare? Hic mundus cum ſuo ornatu à patre cæleſti fuit conditus, tanquam domus quam homini diſponebat, vt poſt eius creationem ibidem moram traheret, ſicut ſolet palatium aut domus parari alicui Regi ingreſſuro

Iſaiæ 14.

Apoc. 20.

Deus plures in mundo Dæmones reliquit, & cur.

ciuitatem: quomodo igitur hoc mundi palatium priùs replenit Dæmonibus, qui non minùs nitantur venena effundere, quàm immites ſerpentes, viperæ & dracones? non mirum ſi ipſo homine quaſi Rege condito, ſtatim Dæmonum Princeps & ſerpens antiquus, in forma etiam ſerpentis ſuum crudele virus in eum & poſteros effudit; ſi bonus paſtor eſt, cur oues ſuas in hoc mundo tanquam in caula & paſcuæ loco conſtituturus, priùs huiuſmodi caulã malignis replet ſpiritibus, qui ſunt lupis, leonibus, vrſis, alijſque ſimilibus animalibus longè crudeliores? Id profectò indecens videtur, & pietati ſuæ ac benignitati incongruum.

Pro huius difficultatis reſolutione ſupponendum primò, ex S. Chryſoſtomo in Oratione peculiari quam de prouidentia edidit, incipitque: *Quam ob cauſam, non ab initio Deus inimicum deleuit,* Deum ipſum non hoc ordinaſſe ad noſtri exitium & perditionem, cùm maniſeſtè ex Scripturis ſatis conſtet, illum noſtram exoptare ſalutem, non ſolùm in communi, ſed cuiuſuis in particulari: *Nam vult* (ait S.
a 1 ad Tim. 2. Paulus[a]) *omnes homines ſaluos fieri*, &c. Et Pſalmiſta[b]: *Quomodo*
b Pſalm. 131. *miſeretur pater filiorum, miſeretur Dominus timentibus ſe*: Et item
c Cap. 49. Iſaïas[c] aliquid magis docuit, qui matris exemplo potiùs vſus eſt, quæ erga natos ſuos longè miſericordiùs afficitur quàm pater: *Nunquid obliuiſci poteſt mulier,* ait, *infantem ſuum, vt non miſereatur filio vteri ſui? Et ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiſcar tui.* Imò ipſe
Matth. 7. Chriſtus dum Iudęos alloqueretur apud S. Matth. aiebat: *Si vos cùm ſitis mali, noſtis bona data dare filijs veſtris, quantò magis pater veſter qui in cælis eſt dabit ſpiritum bonum petentibus ſe?* Dum ergo in mũdo Dęmonũ multitudinem reliquit, id nõ præſtitit ad noſtram damna-
Tob. 3. tionem: *Non enim* (vt aiebat Sara filia Raguelis) *delectaris in perditionibus noſtris*, cur ergo ita egit? Non deſunt huius inſtituti multæ Sanctorum Patrum rationes, nunc in medium adducendæ.

Lib. 1. de Prouidentia. Prima eſt Sancti Chryſoſtomi, qui docet Deum id præſtitiſſe vt ſuperbam Dæmonis elationem debitâ vltione puniret, non ſeipſum ei opponendo, vt potentiam ſuam demonſtraret; ſed hominem vilem vermiculum è terra conditum, longè ſecundùm naturam Dæmone inferiorem; hunc ergo ei deſignauit congreſſorem, à quo eſſet vincendus & proſternendus. Certè cùm ſuperbus aliquis homo, vilis tamen & exigui momenti, contrà ſupremum Ducem ſe erigere contendit, nequaquam Dux ipſe in eum per ſeipſum agit, non enim honorificum iudicat cum eo congredi quem omnes inferiorem norunt; ſed alicui ex infimis ſeruis domus ſuæ iubet, vt vilem illum ſuperbum puniat, & baculo percutiat; ſicut enim in huius Ducis honorem cedit, quòd ita minimus ſeruus eius, inimici ſui arrogan-

Dæmon erat ab homine vili proſternendus.

tiam deijciat & puniat; ita in talis inimici ignominiam & maximam pœnam cedit, quòd à minimo illo ſeruo vincatur & conculcetur; ita cùm Dæmon omnium ſuperbiſſimus, contrà Deum ipſum agere viſus eſt, & cor ſuum vſque ad eius ſimilitudinis vſurpationem eleuare, ipſa diuina maieſtas non iudicauit honorificum eſſe, per ſeipſum cum eo congredi, & ſummam ſuam in eo puniendo potentiam inſumere, ſed hominem infirmum & inter omnes creaturas intellectuales è terra conditum, deſtinauit, vt cum eo in ipſo mundo relicto congrederetur, eiuſque ſuperbiam confringeret; & quemadmodum id Dei honori cedit, ita & eius quoque inimico Dæmoni, dedecori ac ſupplicio, quòd à tam infirmo Dei ſeruo deuincatur. Quis enim explicare poſſet eius confuſionem & verecundiam, quem à tenera puella & homine infirmo illuſum videt ac debellatum, qui ei dicere poteſt: *Nunquid tu es qui te vſque ad Dei ſimilitudinem extollere voluiſti? ecce te vilis vermiculus ſuperauit ac deiecit.* Nouiſtis ex 1. Regum Goliath gigantem qui ſuperbè contrà Deum Iſraël ſe exaltauerat, fuiſſe à Dauide minimo filio Iſaï victum, & proſtratum, non enim magna fuiſſet illius gigantis deiectio, ſi Deus per ſemetipſum eum proſtrauiſſet, cùm eius potentia infinitè iſtius gigantis & cuiuſcumque alterius vires ſuperet; & ideò ad hunc effectum, Dauidem inter ſuos fratres contemptibilem & paruulum deſtinauit, qui nec enſem euaginare, nec arma portare nouerat: & profectò ſi Goliath cùm ira fuit à Dauide victus, remanſiſſet viuus, & conſpicere ſeipſum potuiſſet ad illius pueri pedes deuolutum, illumque de ſe triumphantem, & pedem capiti ſuo ſuperponentem, grauius ei nihil, nec infœlicius ad domandam effrenem audaciam ſuam videri potuiſſet: ita volens Deus Dæmonis ſuperbiam non per ſemetipſum, ſed per hominem infirmum è terra conditum, proſternere, & caſtigare, certum eſt nihil contumelioſus & magis indecorum poſſe ei accidere, quàm videre ſe ad pedes tam vilis vermiculi, qualis eſt homo, in terram dari & conculcari. O admirandum diuinæ ſapientiæ ac prouidentiæ decretum! rationi conſonum valdè erat Dæmoni ſuperbienti, & contrà Deum ipſum ſe extollenti reſiſtere, ſic tamen agere decebat, vt illum confuſum, deluſum & omnimodè contemptum relinqueret: hac de cauſa noluit Deus ſeipſum illi opponere, non enim grandis eſſet Dæmonis confuſio, quòd ab ipſomet Deo vinceretur, cuius potentia cunctas Diaboli vires infinitè excedit; neque etiam contentus fuit Angelum aliquem illi opponere, conſtat ſiquidem Angelos beatos Diabolo exiſtere fortiores; voluit ergo puluerem & cinerem ei opponere, hominem dico, non ex quacumque terra, ſed ex viliſſimo puluere formatum, vt 1. Reg. 17.

cùm ab illo vinceretur, ſummâ confuſione affectus, irriſionique extremæ expoſitus ac deluſus, remaneret. Iuxtà id quod de ipſo exponit S. Auguſt. ſententiam Dauidis: *Draco iſte quem formaſti ad illudendum ei*, quod de pœna ad quam poſt peccatum ſuum ordinatus eſt Diabolus, intelligendum docet, qui in mundo eſt relictus ad illudendum ei, ſicut illuderemus homini ſi fortè contra fortiſſimum Regem aut gigantem ſe ſe vellet erigere, quem tamen puer infirmus & paruulus in terram ferret ac peſſundaret. Hęc eſt igitur prima ratio & cauſa, cur Deus tantam Dęmonum multitudinem, in mundo vel in aëre caliginoſo, in quo conditus erat homo, vt ibi moram traheret, relinquere voluerit.

11. de Ciu. Dei c. 15. & 17. in Pſal. 103.

Secunda ratio Sanctorum Patrum eſt, illud propterea à Deo ordinatum fuiſſe, vt homo perpetuâ curâ & vigilantiâ ſibi proſpiciat, attendens ſe inimicis vndique circumſeptum, qui ei continuò, & vbique inſidiantur, cum quibus nulla pręlij lex, nullum fœdus, qui turpiter vincunt, id eſt cum fraude ac proditione, dum dormiunt homines, & ad mala non aduertunt quæ ex peccato oriuntur: quod oſtendit Chriſtus in parabola zizaniorum, quæ *inimicus homo*, (id eſt Diabolus) *cùm dormirent homines ſuperſeminauit in medio tritici*: quæ verba exponens S. Chryſologus ait, *cùm autem dormirent homines, inſidiator in noctibus latitat, in diebus vigilantes fugit, appetit dormientes*, quibus verbis liquidò conſtat, Dęmonem cùm homines dormiunt, fraudis ac tentationis ſemina immittere; nec illi aduertunt; at poſteà apparent zizania, hoc eſt poſt commiſſa peccata, cùm dies ſuccedit, & ratio diſcurrit, tunc inimici fraudes detegunt, & mala quæ inde ſequuntur aduertunt. Ad hanc ferè ſententiam de Diabolo, vt eſt omnium expoſitio, dicit Iob: *Poſt eum lucebit ſemita*, hoc eſt poſt quam tranſijt tentator in obſcura nocte, & zizaniorum ſemen ſuperſeminauit, lucem relinquit malè patrati operis: ſed notanda ſunt verba: *Poſt eum lucebit ſemita*, non dicit ante eum, non enim antea lumen portat, quis enim in iram incideret, ſi quæ ex ira naſcuntur mala palam videret? quis in libidinem, ſi libidinis mala priùs ſibi obijceret? benè dicit ergo Iob: *Poſt eum lucebit ſemita*; nam poſtquam fraude Dęmonis incidit peccator in culpam, tunc malum panditur, ſequitur tenebras lux, tentationem aduertentia: ſicque ſemper timens, vigilans, & prouidens debet eſſe vnuſquiſque noſtrum, ne circumueniatur à Sathana, vt dicit Paulus, qui perperuò cogitat quomodo poſſit nobis nocere, & quando non aduertimus. Hanc rationem eruditè & eloquenter expendit S. Chryſoſt. in medio illa verba Eccleſiaſtici, iuxtà gręcum adducens: *Agnoſce quod in medio laqueorum tranſis, & ſuper propugnacula vrbium habitas.*

Homo Dæmonibus circumſeptus ſibi proſpicere debet.

Mat. 13.

Iob. 41.

2. Cor. 2.

Eccl. 9.

Qui ſciret vbique inimicos adeſſe, inſidias agentes, & laqueos tendentes, & qui poſitus eſſet in propugnaculis vrbis multis circundatæ inimicis, maximâ curâ & vigilantiâ ſibi proſpiceret. Si quis etiam ſciret ciuitatem in qua habitat, eſſe hoſtibus crudeliſſimis repletam, qui omnes vicos & plateas occuparent, & omnia loca ingredi poſſent, ad obuios quoſq; interficiendos; ſummâ diligentiâ, vigilantiâque cauêret, ne in eorum manus incideret, & eorum ratione nunquam arma deponeret, omneſque eorum incurſus præueniret: ita planè ſcientes in mundo relictos eſſe Dæmones quamplurimos, qui noſtri ſunt hoſtes infenſiſſimi, nobis omni tempore, omni loco, & in omni opere laqueos tendentes, nóſque eſſe eorum furiæ ac rabiei expoſitos, ſicut in propugnaculis alicuius ciuitatis inimicis circundatæ, aut qui in vicis, plateis alijſque eius locis ſtant, certè vigilare & nobis ſedulò proſpicere debemus ne in eorum carnifices manus miſerrimè deueniamus. Et propterea, vt ab eorum inſidijs caueamus, continuò fidei aliarumque virtutum armis & præſidio muniamur, vt habet Apoſtolus, *induite vos armaturam fidei, vt poſſitis ſtare aduerſus inſidias Diaboli.* *Ad Eph. 6.*

Tertia ratio præcedenti affinis eſt, & videtur deprompta à S. Aug. vt videlicet metu tantorum hoſtium, nos ipſos in bonis & ſanctis actionibus ac virtutum exercitio contineamus, & otio non torpeamus, ſi enim his hoſtibus careremus, nullum maius damnum nobis euenire poſſet, in noſtro enim non contineremur officio, nec ad virtutem proſequendam vigiles redderemur. Hæc ratio confirmatur à S. Thom. in ſecundam ad Corint. vbi habet Apoſtolus, *virtus in infirmitate perficitur*, & magis figitur; nomine infirmitatis intelligens etiam perſecutiones & inimicorum congreſſus, quibus ipſa virtus in nobis magis perficitur & radicatur: quemadmodum ſi aliquis contradicat alicui veritati quam apprimè noſti, & illam pro viribus defendas, poſtquam hac ſuper re longiùs contendiſti, animaduertis illam intellectui tuo firmiùs adhærere, quia vt illam defenderes nouas excogitaſti rationes: idem in virtute contingit, cùm enim illam aduerſarius oppugnat, motiua noua quæris vt illam ſerues & in nullo poſſit inimicus eam labefactare; atque adeò tentatio efficit quod ictus in incude, quam illi magis indurant; & quod gelu frumento, facit enim vt magis radicetur, atque ita præclarè dixit Apoſtolus, *virtus in infirmitate, &c.* omnia naturalia fortiùs agunt cùm contrariorum vi repelluntur, vt ignis compreſſus, & aqua cui obſtaculum opponitur, ſic virtus dum contraria inuenit, validiùs inſurgit, Equus à lupo morſus hieroglificum fuit, ſignificans hominem qui in tentatione fortior euadit, quia quando equus cum lupo contendit, &

De Ciu. Dei 10. & 31. Dæmonum metu, nos ſanctis operibus vacare debemus in eiſque perſeuerare. *S. Thom. in 2 ad Cor. 12.*

ab eo vulnus accepit, fortior redditur & animoſior; ſic homo à Dæmone tentatus, magis in virtute radicatur, & ſi reſiſtat, ampliùs perficitur, ac maiora ſibi merita accumulat.

Ad maiorem autem rationis S. Thomę confirmationem, aduertit ipſe quòd ſæpè in ſacra ſcriptura legimus, ipſum Deum noluiſſe deſtruere, & è medio tollere omnes inimicos Iſraëlitarum, ſed aliquos reſeruaſſe, vt ipſi Iſraëlitæ cum illis pugnando, ad virtutem excitarentur, & ne deſidiâ & otio torperent: quem etiam locum antea obſeruauerat S. Chryſoſt. & idem S. Thom. adhuc magis prędictam confirmat rationem, explicans dubium illud; cur baptiſmus non auferat omnia quę pœnam inferunt, & concupiſcentiam quæ bellum indicit. *Hæ ſunt gentes* (inquit) *quas Dominus dereliquit vt erudiret in eis Iſraëlem, & poſteà ediſcerent filij eorum certare cum hoſtibus, & habere conſuetudinem præliandi:* ſicut enim longa pax efficit homines debiles & inertes, bellum verò & armorum exercitatio fortes ac ſtrenuos; ita certamen cum Dæmone fortes ac robuſtos homines reddit, nec non ad prælia & tentationum impetus propellendos magis aſſuetos. Hinc magnus Arſenius cùm precibus ſuis tentationes à ſe repuliſſet, animaduertens deinde, ſe longâ pace ſegnem eſſe factum, dicebat: *video me longâ pace languentem & minus proficientem, pugna enim animam perficit*, cùmque iterùm tentationes eum aggrederentur, nunquam earum amotionem, ſed victoriam poſtulauit. Ideoque S. Paulus non auditur à Deo, cùm ab illo tentationem ſibi auferri exigeret; at potiùs audiuit: *ſufficit tibi gratia mea;* & reddens rationem idem S. Paulus, ſubdit quod ſuprà notatum eſt, *nam virtus in infirmitate perficitur*; efficitque vt ſibi proſpiciant homines, & non otio torpeant; vnde S. Aug. *Tentatio ignis eſt in quo aurum rutilat, palea conſumitur; iuſtus perficitur, peccator miſerè perit.* Tentatio ergò quamuis amara ſit in cortice, dulcem tamen ſæpiùs in medulla fructum continet, vnde propter Dei & amorem & honorem, forti corde infractoque animo eſt ſuſtinenda; tunc enim purgat peccata, diſponit ad gratiam, auget merita, à ſuperbia præſeruat, conformat Chriſto, à futuris pœnis vindicat, docet alijs compati, conſolationem inducit, & vt ſuprà dictum eſt in virtutum exercitio nos continet, efficitque vt otio non torpeamus, ſed in ſanctis operibus hoſtium metu perſeueremus, vt ex S. Auguſt. nobis conſtat, qui quidem vt ſuam firmet & magis roboret rationem, obſeruat prudens cōſilium quod P. Cornelius Scipio Naſica Romanis tradidit, vnde illum vocat Pontificem Maximum Romanorum, illumque Titus Liuius multis laudibus effert: quando enim ſub terrore belli Punici, in ſuſpiciendis ſacris Phrygijs vir optimus quærere-

tur,

D. Chryſ. D. Thom. 3 p. q. 69.

Arſenius.

2. Corinth. 12.

retur, ipſe totius Senatus iudicio fuit deſignatus. Cùm ergò legati Romani qui Carthaginem adierant, ingentem ſe naualis materiæ vim Carthagini inueniſſe renuntiaſſent, & propterea in ſenatu propoſita fuiſſet quæſtio: an Carthago Romę inimica & æmula funditùs diruenda eſſet, quò Romani abſque hoſtibus quietam degerent vitam, & M. Portius Cato illam penitùs ſubuertendam opinaretur: huic ſe ſe Pub. Cornelius oppoſuit, dicens nullum maius damnum Romę euenire poſſe, quàm ſi omninò careret inimicis, hoſtium quippe terror ciuitatem in bonis artibus occupatam detinebat, interque ciues conſeruabat vnionem, impediebatque quominùs otio torpeſcerent, domeſticas etiam inimicitias in hoſtes conuertebat, ac denique omnes in officio reddebat vigilantes. Nec enim, inquit S. Auguſt. fefellit ſententia, nam reipſa probatum eſt illum verum dixiſſe, nam deletâ poſtmodum Carthagine, & ſic amoto & extincto Romanę Reip. metu ac terrore, tanta mala à rebus proſperis orta continuò ſubſecuta ſunt, vt corruptâ dirutâque concordiâ, bellis ciuilibus exardeſcentibus, tantę ſtrages ederentur, tantum ſanguinis effunderetur, tanta tamque immanis proſcriptionum ac rapinarum ferueret auiditas, vt ipſi Romani qui mala ab hoſtibus metuebant, vitę integritate amiſſâ, longè crudeliora à ciuibus paterentur: & qui antea de victoria ab hoſtibus reportanda tantummodò cogitabant, vbi poſteà metus & formido depoſita eſſet, torpor & otium Romanam Remp. tot infecit vitijs, vt per ea deinceps abierit in ruinam. Aliquid ſimile refert Plutarchus de Cleomene, quòd dicenti, cur Argiuos deuictos, qui ſæpè bellum contra vos ſuſceperunt non deleuiſtis? Nequaquam delendi nobis ſunt, reſpondit, ne deſint qui iuuenes exerceant. Idem in Apopteg. Laconum non expreſſo nomine. Quandam vrbem quæ ſæpè negotium exhibuerat Spartanis, Rege ipſorum pollicente ſe funditùs deleturum, non permiſerunt, inquientes: noli abolere aut delere cotem iuuentutis; ferrum (niſi eo vtaris) rubigine obducitur. Otium eſt animæ inimicum: veréque à quodam dictum eſt: arcum frangit intenſio, animum autem remiſſio. Ad propoſitum ergò, de infenſiſſimis inimicis noſtris Dæmonibus idem dicendum, ſi enim è mundo propellerentur, nec ampliùs eos pertimeſcendi anſam haberemus, nihil eſſet quod virtutem perficeret, noſque ad illam ſectandam excitaret: quinimò otium & torpor multis nos vitijs inficeret, & ſic tutiùs eſt, vt ipſi in mundo & in aëre caliginoſo ad noſtram remaneant exercitationem.

Plutarchus tom. 1. Opuſculorum in Apophteg. Lacon.

Idem Plutarch.

SECTIO III.

Quædam aliæ rationes cur Deus in mundo Dæmones reliquerit.

Reliċti ſunt in mundo Dæmones, ne homines de ſua virtute inflentur, &c. 2. Cor. 12.

QVARTA ratio cur ad homines tentandos voluerit Deus in mundo Dæmones relinquere, eſt ne de ſua virtute & conſtantia inflentur, ſed de ſeipſis humiliter ſentiant, & ad Dei auxilium implorandum recurrant, omnemque in eo ſpem ſuam collocent, ſicut ait Apoſtolus. *Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ Angelus Sathanæ qui me colaphiſet.* Vnde Eccleſiaſticus, *Qui non eſt tentatus quid ſcit?* Vtique neſcit nec vires tentationis, nec ſuas, ſed fortè præſumit; hinc multi in tranquillo ſibi nimiùm fidunt de caſtitate & conſtantia, at veniente tentatione ſtatim ſuccumbunt. Itaque qui non eſt tentatus, quomodo ſciret vires ſuas quas non probauit? Quomodo aliorum infirmitati compati poſſet quam nõ eſt expertus? quomodo diffideret ſibi, qui vix ſe putat egere auxilio? Vnde etiam Sanctus Iob, poſtquam tentationes vehementes Dæmonis patienter ſuſtinuit, agnouit earum vtilitatem; quia nimirùm per eas recolimus fragilitatem & infirmitatem noſtram, & quid diuino munere poſſimus, & quid ſimus ex nobis. Sæpiùs namque cor noſtrum decipit nos, vt Petrum, qui dicebat: *Paratus ſum tecum in carcerem & in mortem ire*, & ad vnius puellę vocem ipſum negauit, & in hoc agnouit fragilitatem ſuam; vnde Pſaltes Regius rogans Dominum, aiebat: *Proba me Domine & tenta me*, vt agnitâ propriâ meâ imbecillitate humiliem me. Et profectò ſi anxietatem & afflictionem tentationum auferas, vbi erit humilitas, patientia, manſuetudo, fiducia, conſtantia, fortitudo, & aliæ virtutes quarum proprium munus eſt eas vincere aut tolerare? ô! quomodo nunc lætantur Sancti in cęlo de tentationibus quas vicerunt! quoties repetunt illud Pſalmiſtæ: *Lætati ſumus pro diebus quibus nos humiliaſti, annis quibus vidimus mala!*

Luc. 22. — Pſalm. 25. — Pſalm. 89.

Quinta & poſtrema ratio, & cauſa aliarum ſuprema & communior, eſt illa quam ex S. Aug. & nonnullis alijs Sanctis Patribus aſſignat S. Thom. dicens, Deum in mundo Dæmones reliquiſſe ad hominum vtilitatem, vt ſcilicet regna cęlorum quæ ab æterno illis dare conſtituerat iure conferre poſſit, atque eos gloriâ & honore coronare; illos enim multum diligit, & eorum ſalutem continuò intendit,

S. Auguſt. de agone Chriſti. S. Thom. 1. part. qu. 64. art. 4.

vt ſup. ex S. Chryſ. ſuppoſuimus; ad illam autem gloriam & coronam æternam adipiſcendam neceſſaria eſt victoria, ipſa autem eſſe nequit abſque præcedenti pugna & concertatione, iuxtà illud quod habet S. Paul. *Non coronabitur niſi qui legitimè certauerit*, pugna autem conſiſtere non poteſt, niſi ſint hoſtes & inimici aduerſum quos agatur, & proindè mundum producens Deus, tanquam ſtadium in quo ipſi homines victoriam reportare poſſent, hoſtibus, hoc eſt Dæmonibus, illum replere voluit, vt tot victoriæ coronas ſibi reportarent, quot in eo inimicos & aduerſarios debellaſſent. Hanc rationem confirmat S. Ambr. [a] ex celebri illa ſententia S. Pauli [b], *Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui, in reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex, &c.* His verbis conſtat S. Paulum vt bonum athletam hîc in laboribus, in periculis, in naufragijs decertaſſe, & eâ ratione coronam iuſtitiæ fuiſſe aſſequutum: Ergo nulla eſt victoria præmio & corona digna niſi laborioſa præceſſerint certamina. Hîc S. Iac. *Beatus vir qui ſuffert tentationem*, hoc eſt impugnationem vel à carne, vel à Dæmone, vel à mundo, *quoniam cùm probatus fuerit accipiet coronam vitæ*; cùm videlicet probatus fuerit quaſi in fornace aurum, vel ſicut vas in igne probatur. De hac vitæ corona, fuſiùs dicendum erit in tractatu de anima rationali Cap. 15. Sect. 10. Et idem S. Ambroſius ſuum proſequens inſtitutum, obſeruat Chriſtum non promiſiſſe in Euangelio gloriæ coronam, niſi illis qui in præſenti vita legitimè certauerint, laboreſque ſubierint. Iuxtà illud Actuum Apoſt. *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cælorum. Vnde præproperè* (inquit S. Ambroſius) *coronam exigis antequam vincas, nam cùm tota Reſp. Chriſtiana aliud non ſit quàm ſacra quædã militia, fueris licèt piſtor, vel paſtòr, ſutor, aut ſartor, iuſtitiæ adminiſtrator & togatus, vel mercator, aut mercenarius, niſi certaueris vt bonus miles Chriſti, non admitteris in regnum illius, quod vim patitur, & quod rapiunt violenti.* Hanc eandem rationem proſequitur S. Chryſoſt. docens hac in parte Deum honori noſtro conſuluiſſe, dum voluit & ſtatuit vt regnum cælorum nonniſi interueniente manuum noſtrarũ operâ obtineremus: honorificẽtius enim eſt proprio labore & aduerſùs inimicos decertando, quàm per liberã & merã alicuius Principis donationẽ, regnum cõſequi: & ideò Deũ ſimilẽ eſſe dicit Regi, qui filio ſuo hęredi ad maiorẽ eius honorem, imponit vt cũ inimicis ſuis pugnet, quò triumphum de illis reportans, debitam ſibi Regni coronam faciat & iure obtineat, quamuis omnia perficiat à patre adiutus, & ipſo illi miniſtrante ſumptus, copias, &c. Ita ſanè voluit Deus vt cæli regnum ad quod obtinendum creati ſumus, nobis compare-

Relicti ſunt in mundo Dæmones, vt cum illis decertando eoſque vincendo, tandem coronemur, &c.

2. ad Tim. 2.

a Lib. 1. offic. cap. 15 & 16.

b 2. ad Tim. 4.

Iacobi 1.

Act. 14.

S. Ambroſ.

Homil. 16 in Matth.

Matth. 11. mus per bellum & certamina, vt nos docuit dicens: *Regnum Cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*, indicans armorum vi & conſertione manuum, illud eſſe acquirendum; & propterea illos ſolùm ipſum cōſequi poſſe, qui ſtrenuè pugnauerint & milites ſe ſe fortiſſimos exhibuerint. Figuram habemus de Iſraëlitis, vt benè notauit Origenes; quibus ad promiſſionis terram peruenire, illamque *Homil. 1. in Ioſue.* poſſidere non licuit, niſi priùs armorum vi Chananços Phereſços, Iebuſços, cæteraſque alias barbaras nationes, qui eam occupabant, deuiciſſent & expuliſſent; ita nobis promiſſam cæleſtem hæreditatem acquirere & obtinere, in eaque tanquam Reges coronari nōn valemus, niſi priùs noſtris deuictis inimicis, hoc eſt Dæmonibus, qui ad illam poſſidendam erant deſtinati, ſed propriâ ſuâ culpâ ab ea fuêre deturbati, & ideò nōs continuò ne illam conſequamur, impedire conantur. Vt ergo præpotens Deus nos tanto afficeret honore, & in cælis çoronaret, inimicos dedit, tentari nos voluit; impleturque in homine illud Sapientis: *Honeſtauit illum in laboribus, &* *Sap. 10.* *compleuit labores illius*, honeſtauit inquam id eſt, honorauit, & ſic honor, vtilitas, & corona nobis ſimul adſunt, ſi vt decet, pugnemus, & inde lætabimur in cælo de victoria in tentationibus obtenta, di- *Pſalm. 98.* centes id Pſalmiſtæ: *Lætati ſumus pro diebus quibus nos humiliaſti annis quibus vidimus mala*, ſicut enim miles qui ſtrenuè militauit cùm in patriam reuertitur, diuitijs & honore affluens, omnibus cuncta diſcrimina & pericula, quæ in bello paſſus eſt, enarrat, quæ licet moleſta ei fuerint cùm in eis verſaretur, tamen poſteà perpetuo illi gaudio ſunt: ita cùm nunc tentaris ac tribularis, moleſtè fers, in bello nunc es, in diſcrimine verſaris, at cùm in cæleſti patria fueris, hæc belli diſcrimina, has tentationes ac tribulationes, ingenti cum gaudio narrabis, & recenſebis paupertatem quam nunc pateris, dolores quos toleras, tentationes quas ſuſtines, & in æternam tibi cedent lætitiam: & ſicut cùm Iſraël vidit Ægyptios ſubmerſos, lætatus *Exod. 14.* eſt & decantauit: *Cantemus Domino glorioſè*, &c. ſic cùm hoſtes videris ſuperatos, lętaberis, & cantabis Canticum illud Moyſi, vt San- *Ioan. Apoc. 15.* ctus Ioannes dicit in ſua Apocalypſi: *Vidi eos qui vicerunt beſtiam, & imaginem eius, habentes cytharas Dei, & cantantes Canticum Moyſi ſerui Dei*, ſicut ergo cecinit Moyſes Canticum, videns Ægyptios ſubmerſos, ſic & tu cantabis videns inimicos ſuperatos. Sic etiam Virgilius memorat, deſcribitque Trojanos qui confecto bello, Gręciſque fugatis, procedebant in cantum, dicebantque, hìc contendebant Achilles & Hector, hìc tale commiſſum prelium, &c.

Ex his ſequens reſoluitur quæſtio ſatis difficilis, quam nonnulli tempore Sancti Auguſtini proponebant: cur Deus illos Angelos imò

& homines quos nouit futuros malos, produxerit. Illam explicat, & reſoluit idem S. Auguſt. & docet illos non defeciſſe niſi propriâ ſuâ malitiâ, & illos (inquit) Deus non creaſſet, ipſorum malitiam prę-uidendo, niſi pariter noſſet in commodum & bonum noſtrum eorum malitiam conuertere, vt videlicet varias occaſiones ad excellentes actus meritorios edendos, ſua gratia & fauore haberemus: *Sicut enim* (ait idem S. Auguſt.) *Deus bonarum naturarum eſt optimus conditor, ita malarum voluntatum eſt iuſtiſſimus ordinator, vt cùm illi malè vtuntur naturis bonis, ipſe benè vtatur etiam voluntatibus malis.* Ideoque ſicut Diabolus vſus eſt malè natura ſua bona ad malum, ita voluit Deus benè vti illius voluntate mala ad bonum noſtrum, & vt nobis prodeſſet, per illius ſiquidem tentationes noſtrâ ſalus & gloriæ corona paratur, ſi bellum cum eo agendo victoriam reportemus; gerendo inquam bellum non corporale ſed ſpirituale, non viribus corporis, ſed rationis & ſpiritus; ita enim ille nobiſcum pugnat, inſidias ſuas parat, & laqueos tendit, vt Sanctus Paulus ſæpè expreſſit, & potiſſimùm loco ſup. allegato vbi admonet: *Vt caueamus ne circumueniamur à Sathana, non enim,* inquit, *ignoramus cogitationes eius,* id eſt non ignoramus illum nobiſcum bellum agere, cogitando quomodo decipiat & irretiat.

Lib. 11 de Ciuit. Dei cap. 11. ad 12.

2. Cor. 2.

CAPVT IV.

SECTIO I.

De quatuor præcipuis mali Angeli nominibus.

QVONIAM multùm confert ad præcedentium & ſequentium intelligentiam, ſcire præcipua & generaliora totius generis humani inimici nomina, & potiſſimùm ad eius technas & fraudes detegendas: ideò priuſquam vlteriùs procedamus, nunc à nobis exponenda veniunt. Alia autem quibus crudelioribus brutis animantibus etiam comparatur, in aliud caput huius tractatus conſultò remittimus.

Quatuor ſunt præcipua mali Angeli nomina, & quæ.

Primò itaque vocatur, *Dæmon*, hoc eſt ſanguineus, videlicet propter peccatum ad quod nos inducit, nihil aliud quęrens quàm interitum noſtrum æternamque damnationem, vel dicitur *Dæmon* à ſcientia & rerum peritia, & hoc modo nomen illud etiam bonis An-

Philo. lib. de mundo. gelis conuenire poſſet ob eminentem eorum ſcientiam; vnde Philo Iudæos docuit quoſdam Dæmones eſſe bonos & alios malos. Ita multi alij ſaltem ex antiquis Philoſophis: nunc autem apud Sanctos Patres & Theologos hoc nomen *Dæmon* ſignificat tantùm malignos ſpiritus & Apoſtatas Angelos, perditioni necique hominum intentos; legatur S. Auguſtinus de Ciuit. Dei. Lib. 9. de Ciu. Dei c. 19.

Vocatur etiam *Sathan* Hebraïcè, id eſt aduerſarius ſeu repugnans & reſiſtens, ab ea malitia quâ ſemper tum diuinæ gloriæ, tum noſtræ ſaluti, quantum valet, aduerſari, repugnare, & reſiſtere contendit, & ſemper corda recta & in Deum directa, ad malum vrgendo, falſis cogitationibus & aduerſis ſuggeſtionibus perturbare & euertere nititur. Vnde [a] *ſtabat Sathan à dextris Ieſu filij Ioſedech Sacerdotis magni, vt aduerſaretur ei*; quam appellationem etiam illi Chriſtus tribuit, cùm pro eius temeritate & ſuperbia, quòd ab eo adorationem exigeret, illum à ſe expelleret dicens [b]: *Vade retrò Sathana. Sathan* quoque vt interpretantur quidam, hoſtem ſignificat quod ferè idem eſt ac aduerſarius, quia natiuus noſter hoſtis eſt, & hoſtili animo damnis noſtris & accuſationibus ad Deum, ſemper intentus, & rerum optimarum conatibus, ſemper obſiſtens. Multi credunt idem nomen *Sathan* non ſolùm aduerſarium & hoſtem ſignificare, verùm etiam apoſtatam ſeu defectorem vel tranſgreſſorem. Ita Theodoretus, Iſidorus, & alij.

a. Zachar. 3.
b. Matth. 4.

Solemni quoque & vulgò bene noto nomine *Diabolus* nuncupatur, quod quidem nomen beatus Iſidorus credit eſſe ſimul Hebræum & Græcum, & quod apud Hebræos ſignificat *deorſum fluens*, quoniam de cælis decidit, & apud Græcos idem quod *accuſator; calumniator, & detractor*: & talis eſt Lucifer cum ſuis, qui perpetuò hominum etiam Sanctorum calumniator, delator, & accuſator eſt, omniaque eorum opera licèt iuſta criminatur coram Deo, vt in Apocal. dicitur; vnde *criminator* vocatur per antonomaſiam, quia non tam viribus aduerſatur, quàm calumnijs & criminationibus falſis ac malitioſis; hinc in actis Sancti Montani & ſociorum Martyrum apud Surium 24. Februarij, accuſator & criminator Martyrum vocatur, quia in tribunali iudicum infidelium, vt verus criminator, illos reos eſſe qui Chriſtum colebant, oſtendere nitebatur, ita vt illis imponendo varia ſcelera & crimina, gentiles induceret ad illos perſequendos, & ſæpè dum in idolis reſponſa dabat, clamabat, propter introductos Chriſtianos Deos immiſiſſe fames, peſtes, bella & mala quæ gentiles patiebantur. De his agit egregiè S. Auguſt. [a] & S. Cypr. [b] loquens ad Anthonianum de Sancto Cornelio Pontifice, ait, *quædam de illo inhoneſta & maligna iactabantur; nolo mireris*,

Apoc. 12.

a Lib. prioribus de Ciuit. Dei.
b Lib 4 epiſt. 2. aduerſ. Anthonianum.

cùm ſcias hoc eſſe opus ſemper Diaboli, vt ſeruos Dei mendacio laceret, & opinationibus falſis glorioſum nomen infamet, vt qui conſcientiæ ſuæ luce clareſcunt, alienis rumoribus ſordidentur. Hic olim ſimiliter fecerat, quando in lib. tertio Regum, vt totum populum Iſraël conturbaret, poſitus in ore ſuorum Prophetarum, calumniatus eſt veros Dei Prophetas, ſignanter Michæam apud Regem Iuda & Iſraël, & omnem populum, ſuadens illum fuiſſe mendacem & temerarium. Hac de cauſa illi impij qui iuſtum Naboth apud iudices & populum calumniati, ſunt vocantur filij Diaboli, *adductis*, inquit, *duobus viris filijs Diaboli, qui à parente ſuo didicerunt calumnias & crimina confingere vt accuſarent.* Inſuper hac eadem de cauſa, Chriſtus vocauit Iudam Diabolum, *Vnus ex vobis Diabolus eſt.* Propterea quòd poſteà calumniatus eſt Mariam apud condiſcipulos, ob effuſionem vnguenti ſuper pedes Chriſti. Et ipſum Chriſtum ſimiliter apud Iudęos calumniatus eſt, quia vnguentum ei permiſit expandere; propter quod eſt illius traditor factus. Non deſunt alij qui volunt *Diaboli* nomen ſecundùm Gręcam denominationem, interpretari clauſum in ergaſtulo, eo quòd eſt in determinato loco per æterna ſæcula clauſus: vel quia eius potentia clauſa eſt, hoc eſt abbreuiata, ex eo quòd non poſſit tantùm nocere quantum vellet: vel tandem dictus eſt *Diabolus* iuxtà proximiorem etymologiam vocabuli, à *Dia* quod eſt duo, & *bolus*, quod eſt morſellus, quia duo occidere nititur, corpus vexando & torquendo, & animam eâdem ratione opprimendo.

3. Reg. 22.

Ibidem.

Ioan. 6.

Denique vocatur *tentator*, dum enim S. Matthæus Euangeliſta, pugnam illam ſolemnem inter Chriſtum & ipſum Dæmonem recenſet, (de qua poſteà agemus) illum *tentatoris* nomine donat: *& accedens* (inquit) *tentator*, ſiquidem antonomaſticè illud nomen ei congruit, ſicut Salomon ſapiens dicitur, Cicero orator vel eloquentiæ parens, Ariſtoteles Philoſophus, Virgilius Poëta, vel Poëtarum eximius, &c. quia licèt multi alij fuerint & adhuc ſint ſapientes, oratores, Philoſophi, Poëtæ, &c. attamen ſuprà nominati his in artibus excelluerunt; ita etiamſi non deſint alij tentatores, vt poſteà dicemus, tentationes oriri à propria carne & concupiſcentia, & à mundo id eſt ab hominibus mundanis; Dęmon tamen primus eſt & præcipuus tentator, & ſollicitator ad malum; & forſitan vt volunt aliqui, nullum committitur peccatum ad quod ille non inducat; vnde officium illius eſt tentare tentatione noxiâ, vt docuit S. Aug. [a], & S. Paulus [b] cùm ſic dicit, *is qui tentat.* Officium aliquod aſſumit quiſque, vt ei intendens vitam tranſigere poſſit; propterea in quibuſdam rebuſpub. ſtatutū legimus, omnes teneri alicui officio ſe tradere,

Matth. 4.

a Lib. de dono perſeuer. c. 6. tom. 7.

b ad Theſſal. 3.

illo fungi debere, ne otio langueſcăt; hinc ille Prętor & Iuriſc. iſte Tabellio, hic Medicus, alius opifex, alius agricola, alius mercator, & ſic de reliquis; & nomine officij ſępè hominẽ nũcupamus: ſic Dęmon hoc in mundo agens, officiũ tentatoris ita aſſumpſit, vt nullus vnquã ita alicui intenderit officio, ſicut Diabolus officio tentandi; omnis enim artifex quantumcumque diligens, non perpetuò ſuo inſtat operi, ſed ſuæ artis plerumque opera intermittit, aut quia oportet vt ſomno indulgeat, aut cibo ſumendo intendat, aut à laſſitudine releuetur; at Dæmon nunquam ab officij exercitatione ceſſat, non enim ei opus eſt dormitioni aut refectioni aliquando intendere, aut à laſſitudine ſe releuare, & propterea ſemper indefeſſè, quouis loco & quacumque occaſione, tentationibus homines impetit, nec expectat quouſque mittatur, ſed importunè ſe ingerit. Hinc à Sancto Ignatio martyre fortiſſimo dicitur: *Verſutus, malitiæ Dux, fallendis hominum mentibus egregiè peritus.* Inſinuat ſe ſe penitùs in cuiuſque naturam, mores, conſuetudinem, & ad quemque ſe accommodat, vt nihil dici poſſit callidius. Quod eleganter S. Leo expreſſit in hunc modum: *Nouit cui adhibeat æſtus cupiditatis, cui illecebras gulæ ingerat, cui apponat incitamenta luxuriæ, cui infundat virus inuidiæ, nouit quem mærore conturbet, quem gaudio fallat, quem metu opprimat, quem admiratione ſeducat. Omnium diſcutit conſuetudinem, ventilat curas, ſcrutatur affectus; & ibi cauſas quærit nocendi, vbi quemque viderit ſtudioſiùs occupari.* Hęc Sanctus Leo, *Inſidiæ Dæmonis ſunt multiformes*, ait S. Baſil. *Nullæ ſunt tam callidæ & malitioſæ pupillorum circumſcriptiones, aut fallaciæ in mercimonijs, aut præſtigiæ in circulis, aut in bello doli, ſtratagemata & inſidiæ, quantæ ab eo fraudes ineuntur ad animas capiendas & lacerandas: vt non ſine cauſa Poëta prudens, & poſt illum clariſſimi viri, huic verſuto & callido tentatori, tribuerint nomina mille, mille nocendi artes.* Hæc S. Baſil.

S. Ignatius epiſt. ad Philip.

S. Leo ſerm. 7 de Natiu.

S. Baſil. homil. 2.

SECTIO II.

Vnicuique homini particulari, atque etiam perſonis publicis, prouincijs, &c. aſſignantur à ſupremo Dæmone tentatores Dæmones.

EX ſuprà aſſignatis Dæmonis nominibus, & eorum ſignificationibus, facilè intelligere eſt, præcipuam tanti inimici curam in

hoc iugiter poſitam eſſe, vt hominem perpetuò ad malum inducere conetur, quatenùs illum ſi poſſit, damnet & perdat, & proptereà aduertunt Doctores ad vniuſcuiuſque hominis perditionem, peculiarem inſtitui Dæmonem tentatorem, ſicut nonnulli quoque deputantur, vt perſonis publicis, prouincijs, ciuitatibus, &c. noceant.

Dæmones tentant particulares perſonas & publicas, &c.

Quantum ad primum, id habemus ex S. Thoma [a], docuetatque Abbas Serenus apud Caſſianum [b], inducens librum paſtoris, & varia Scripturæ Sacræ loca; & ex profeſſo etiam docuit Sanctus Gregorius Nyſſenus [c], aſſerens id certum eſſe ſecundùm traditionem, huncque vocat naturæ noſtræ corruptorem in omnibus contrà annitentem, ad malè viuendum impellentem hominem. Ita & id Origeni [d] & Chryſoſt. alijſque, imò & aliqua ratione gentilibus fuit notum; de Bruto enim ſcribit Plutarchus quòd cùm noctu legeret ad lucernam, conſpexit quendam cui dixit: *Tu quis es?* cui illi reſpondit, *tuus malus genius, in philippis me videbis.* Hęc deputatio fit à ſupremo Dęmone tanquam à capite omnium malorum Angelorum, Deo id peculiariter permittente, vt ſaniores Theologi fatentur, quemadmodum à Deo ſingulari ſuâ prouidentiâ, deputantur ad cuſtodiam noſtram boni Angeli, vt potiſſimùm ab incurſibus ipſorum Dęmonum nos liberent & protegant, vt in Tractatu de Angelis ſatis fusè diximus: & eſt quod legitur apud Eccleſiaſticum: *Contrà malum, bonum eſt; & contrà mortem vita; & ſic contrà virum iuſtum peccator, & ſic intuere omnia opera altiſſimi, duo contrà duo, & vnum contrà vnum.* Quem locum extendit S. Auguſt. illam indicans doctrinam quam Philoſophorum Princeps Ariſtoteles tradidit, neceſſarium eſſe, vt ita mundus eſſet conſtitutus, ſi permanere debebat; ſi enim tantùm daretur vnum contrarium (inquit Ariſtoteles) & nullum aliud poneretur quod eius actionem poſſet impedire, illud omninò mundum conſumeret, ſi ſolus daretur ignis in mundo, nec eſſet aqua quæ illi poſſet obſiſtere, totum mundum conſumeret, & ita ſeruata proportione dicendum de alijs contrarijs mutuò inter ſe pugnantibus, vt verbi gratiâ de bono & malo, nota enim peculiaris, atque inſigne diuinæ prouidentiæ eſt quòd vnicuique malo, ſit oppoſitum particulare bonum ad ei reſiſtendum, ne omninò præualere poſſit. At quis neſciat Dęmonem eſſe tanquam ardentem ignem ſuperbiæ, arrogantiæ, iræ, & inuidiæ, qui cuncta conſumeret ſi ei facultas daretur, eiuſque vires non reprimerentur? ideò cùm Deus hunc deuorantem & furioſum ignem in mundo reliquerit, vt ſuprà diximus, totque Dęmones ad noſtrum exercitium, in aëre caliginoſo ad iudicij diem vſque remaneant; nonne vnicuique noſtrum peculiaris Angelus, tanquam aqua continuò

[a] *in 2. ſent. diſt. 11. quæſt. vnica art. 5.*
[b] *Collat. 8. cap. 17.*
[c] *Lib. de vita Moſis, col. 125.*
[d] *Hom. 23. in Luc. & Hom. 5. in imperf.*

Eccleſ. 33.

Lib 11. de Ciuit Dei, c 18.

fluens, ob gratiarum, perfectionum, & candidæ puritatis ac innocentiæ abundantiam, debuit à Deo deſtinari, vt tam incenſo & tam ardenti Dæmonis igni obſiſteret? & ſi ipſe Dæmon in Scriptura Sacra abſolutè malus dicatur, & vnumquemque noſtrum perpetuò impugnet, profectò neceſſe fuit, vt ab ipſo Deo peculiaris Angelus qui valde bonus ſit, & nos maximo proſeqatur amore, aſſignaretur, qui eius vires frangeret & eneruaret, & ita præclarè admodum Sapiens dixit, contrà bonum eſſe malum, & contra virum iuſtum eſſe peccatorem, hoc eſt Dæmonem, atque duos contra duos, & vnum contrà vnum. Quomodo autem ſe ſe aduersùm nos gerant ſinguli illi Dæmones, nos tentando, & ad malum in noſtram perniciem & ruinam inducendo, poſteà dicemus.

Quod ad ſecundum ſpectat; aliqui etiam ſingulares Dæmones, deputantur à ſupremo Dęmone, ſingulis Perſonis Publicis, vt Principibus, & Prælatis, ac etiam Prouincijs, Ciuitatibus, &c. ſicut aliqui Angeli, à Deo ſunt quoque præpoſiti Principibus; Pręlatis, & alijs Perſonis publicis, Prouincijs, Ciuitatibus &c. vt in tractatu de Angelis diximus. Et quemadmodum boni Angeli, continuò illos Principes & Prælatos, ad benè ſua exequenda munia inducunt; ita mali è contrà, eos ad malè obeunda nituntur inducere, quò ſibi alijſque perditionem afferant, & iſti eò altiores & fortiores ſunt, quò perſonæ ad quas impugnandas ſtatuuntur, maiori fulgent dignitate. Ita

Loco cit. Sanctus Thomas; & talem credunt nonnulli fuiſſe Dæmonem, qui B. Iob Patriarcham impugnandum ſuſcepit; quamuis Abbas Serenus cenſeat fuiſſe Dæmonem ſingularem, qui à natiuitate eius impugnationi fuerat deſignatus. Talem inſuper exiſtimant fuiſſe Dæ-

Zachar. 3. monem, qui Ieſum filium Ioſedech Sacerdotem magnum aſſumpſit impugnandum, qui poſteà ſtetit à dextris eius, vt aduerſaretur ei, vt ſuprà oſtendimus. Statuuntur quoque ab eodem ſupremo Dæmone ſinguli Dæmones aduerſus ſingulas Prouincias, maiores aut minores, ac etiam ciuitates, iuxtà earum qualitatem, vt docuit Sanctus Hieronymus[a], quem refert Sanctus Thomas [b], ſicut à Deo boni Angeli ad earum conſeruationem deſtinantur. Tandem his ſingularibus Dæmonibus alij adiunguntur, miſſi à ſupremo illo Dęmone, quos ipſi in ſuum auxilium aduocant, iuxtà diuerſarum occaſionum exigentiam, adeò vt ſæpe-ſæpius multæ Dęmonum Legiones conueniant, ad vnius hominis perditionem procurandam, quod &

Prouincijs ciuitatibus, &c. aſſignantur à ſupremo Dæmone tentatores Dæmones.

a *In cap. 10. Danielis.*

b *Loco etiam citato.*

Luc. 11. Chriſtus Dominus aſſeruit, dum dixit aliquando Dæmonem vnum aſſumere ſecum ſeptem ſpiritus nequiores ſe, hoc eſt multos, iuxtà ſcripturæ phraſim, vt animam alicuius ingrediatur. O quanta mala à Cacodæmone & ſuis ſunt ad hominis perniciem ordinata! veriſſi-

mile eſt enim nullum non mouere lapidem, quò illi Principes, Prælatos Prouincias, Ciuitates, &c. in omnimodam ruinam & perditionem trahant: talis enim eſt verſutia, aſtutia, & malitia ipſorum Dæmonum, vt quantum poſſunt cuncta perturbent, & diſperdant.

SECTIO III.

Exponuntur de tentationibus Dæmonum, quædam auctoritates Job, Apocalypſis, & S. Pauli.

NVLLI dubium eſt, quin vita noſtra diuerſis Dæmonum tentationibus exponatur, id enim de fide eſt, & expreſsè habetur in Sacra Scriptura varijs in locis, quam veritatem docent quoque omnes Patres: vnde apud Iobum habemus: *Militia eſt vita hominis ſuper terram*; Septuaginta vertunt; *Tentatio eſt vita hominis ſuper terram*; quæ lectio eſt communis apud Sanctum Hieronymum [a], tot enim tentationibus plena eſt vita noſtra (inquit Sanctus Bernardus [b]) vt non immeritò tota ipſa, tentatio debeat appellari. Suffragatur S. Gregor. [c] aduertens quòd hæc eadem vita hominis non tentationem habere dicitur, ſed ipſa tentatio eſſe perhibetur. S. Ambroſ. [d] pro eo quod vulgatus *militia* tranſtulit, græcum vocabulum retinens, legit *piraterion*, eſt vita hominis ſuper terram, quia videlicet totam vitam tranſigere debemus, militiam gerentes cum Dæmonibus, aut tentationes eorum ſuſtinentes, qui in mundo tanquam in mari magno pyratarum more agunt, ſummâ namque attentione inuigilant, vt homines qui tanquam naues per illud diſcurrunt, capiant, tantòque maiori aſtu, quantò aliquem viderint pretioſioribus mercimonijs onuſtum; His adde iram, nocendi odium, & occidendi cupiditatem, quibus ſemper & perpetuò perſtant, iuxtà id quod in Apocalypſi habetur: *Væ terræ & mari, quia deſcendit ad vos Diabolus habens iram magnam, ſciens quia modicum tempus habet*, ſupple ad nocendum, tanto enim nocendi & perdendi homines æſtuat deſiderio, vt omne tempus à creatione mundi ad iudicium vſque defluens, modicum & exiguum valdè exiſtimet. Sanctus Paulus ſatis oſtendit quantâ poteſtate & irâ in nos irruat Dæmon, vt ad perditionem inducat, & ruinam ſempiternam, dum ait; *Non eſt nobis colluctatio aduersùs carnem & ſanguinem, ſed aduersùs Principes & Poteſtates, aduersùs mundi rectores, tenebrarum ha-*

Geneſ. 3. Iob 1. Matth. 4. Ioan. 8. 1. ad Theſſal. 3. 1. Petri 5. & 6. Iob. 7.

Variæ Dæmonum tentationes, atque etiam carnis & mundi, latè explicantur.

a *Lib. 2. contrà Pelag.*
b *Serm. 51. ſuper Pſal.*
c *8. Moral.*
d *Serm. 44.*

Apoc. 12.

Ad Epheſ. 6.

tum, contrà ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus: his verbis videtur Apoſtolus quaſi nobis indicare, nullam nos habere cum carne & mundo colluctationem, cùm tamen certum ſit ambo quoque nobis inferre bellum; cum carne quidem, nam ex Apoſtolo ipſa continuò concupiſcit aduerſus ſpiritum, ita vt hæc carnis tentatio ex nobis ipſis procedat, etiamſi nullus Dęmon tentans foret. Dicebat Deus
Gen. 3. Adamo proto-parenti noſtro: *Maledicta terra in opere tuo ſpinas & tribulos germinabit tibi*; licèt terra quam calcamus maledicta ſit & ſpinas germinet, potiùs tamen maledicta eſt terra carnis noſtræ, quæ audiuit: *Terra es, & in terram ibis*, hæc ſpinas & tribulos germinat, tentationes ſcilicet quibus nos pungit, & eò maior eſt carnis tentatio quò potentioribus vtitur armis, videlicet delectationum & voluptatum, gulæ, luxuriæ, &c. quibus, ieiunijs, orationibus, corporis caſtigationibus, & alijs ſimilibus armis, eſt occurrendum & reſiſtendum. Quoad mundum, nobis quoque ingens bellum infert, non quidem mundus ille ſenſibilis conſtans quatuor elementis, vel mundus cœlos & elementa complectens, ſed mundus, qui congregatio eſt peccatorum & hominum mundanorum & carnalium, qui
Pſalm. 16. rebus huius mundi ſenſibilis adhęrent: *Et qui oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram*: dicitur ergo hic mundus, quia in illo ſunt cœli & elementa ad ſimilitudinem vniuerſalis mundi: terra, auaritia eſt; aqua, inſtabilitas; aër, vanitas; ignis, luxuria; ſol, proſperitas; Princeps huius mundi, Diabolus eſt: Hinc Chriſtus: *Nunc*
Ioan. 12. *iudicium eſt mundi, nunc Princeps huius mundi eijcietur foras*;
1. Ioan. 4. quia autem totus hic mundus in maligno poſitus eſt, vt ait Sanctus Ioannes, ideò eſt animæ inimicus, inimicus virtutis & omnium iuſtorum, quos perſequitur, vel ad ſuas vanitates allicere nititur, cuius arma quibus vtitur aduerſus iuſtos ipſos, ſunt exempla praua penè innumera, quæ illorum oculis ſubijcit, vt ipſos ad malum trahat; at fortiter eſt reſiſtendum cum firma in Deum fiducia, & auertendo ac ſeparando ſe à mala eorum ſocietate, ſicut Dominus aiebat de Ba-
Apoc. 15. bylone, *exite de ea populus meus, & ne particeps ſitis delictorum eius.* Quòd ſi ipſi iuſti horum prauorum conſortia deuitare nequeant, quia alias oporteret eos ab hoc mundo exire, cùm mixti bonis mali ſint, alio vti debent remedio, videlicet manifeſtè & publicè declarando, ſe Deum tanto proſequi amore, vt nihil illicitum contrà eius legem vellent vnquam admittere, vt deinceps illi impij eos tentare non audeant; quòd ſi id præſtent, poſſunt negare conſenſum. Liquidò igitur patet, non ſolùm nobis eſſe colluctationem aduerſùs Dæmones, ſed etiam aduerſùs carnem, ſanguinem, & mundum; vndè eſt ſedulò aduertenda circà huiuſmodi Theologorum diſtinctio: mediatè

quidem & remotè, omnes tentationes & peccata, à Dæmone proueniunt, ex quo induxit primum hominem ad peccatum, à quo concupiſcentia, & naturæ corruptio, adeoque cætera peccata conſequuta ſunt, de quo nulla eſt controuerſia; directè verò & immediatè, non eſt Dæmon omnium tentationum & peccatorum cauſa, ſed quędam à mundo proficiſcuntur, quædam ex libertate arbitrij noſtri, propriæque carnis corruptione naſcuntur, iuxtà illud S. Iacobi, *vnuſquiſque tentatur à propria ſua concupiſcentia abſtractus & illectus*; & ratio eſt quia cùm concupiſcentia partim ſuâ naturâ, ſæpè fortuitis quibuſdam caſibus excitetur, non eſt veriſimile à Dęmonibus omnes eiuſmodi tentationes immitti. Idem docent SS. Patres Baſil. Chryſoſt. Leo Papa, & multi alij etiam ex recentioribus: & ideò dum dicit Apoſtolus, in auctoritate ſupra allata, non eſſe nobis colluctationem aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus Dęmones; eſt ſubintelligenda dictio, *tantùm*; cùm etiam ab alijs quam à Dęmonibus, oriantur quoque tentationes, vt dictum eſt. Crederem ergo Apoſtolum illam dictionem *ſolùm* vel *tantùm*, conſultò omiſiſſe, vt moneret pugnam quæ cum carne, ſanguine & mundo nobis eſt, quamuis ita moleſtam & grauem, vt dicat idem Apoſtolus, *infœlix ego homo! quis me liberabit à corpore mortis huius?* Rom. 7. collatam tamen cum ea qua contra Dæmones dimicamus, nullam ferè eſſe, tantæ ſunt vires Dęmonum, tantæ fraudes: vel dicendum cum S. Thoma quòd infeſtatio quam à carne & ſanguine ſentimus, non fiat ab ipſis principaliter, ſed à Dæmone, qui carne & ſanguine vt inſtrumentis vtitur, ad euerſionem animarũ noſtrarum; quod autem per inſtrumentum fit, principaliori agenti tribui ſolet: vel etiam aliter, *non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem*, hoc eſt aduerſus homines quos videmus; ſic enim facilè nos ipſos aut defendere, aut victoriam ab illis reportare poſſemus, ſed aduerſùs ſpirituales nequitias in cœleſtibus quas non videmus, & quarum aſtutias minimè intelligimus. Cœleſtes illæ nequitiæ Principes ſunt, nos puſilli, atque adeò viribus inferiores illis ſumus; ſpirituales ſunt, nos corporei, & proindè ſapientiâ nos vincunt, ita vt quod coram nobis eſt beſtia, hoc ſumus coràm Dæmone, vt ait S. Bern. loco etiam Serm. 11. in ſuperiores ſunt Dæmones ipſi, quod ad bellum maximè iuuat, illi Pſalm. 90. enim cæleſtes, nos terreni; è ſuperioribus pugnant, ſuperiora occupant loca fortiſſima, nonne nobis eſt timendũ & cauendum? Vnde S. Chryſoſtomus, *omnis militum exterior pugna, ſi cum ſpirituali conferatur, ludicra potius puerorum ſpectacula, quàm prælium dicendum eſt.* S. Chryſoſt. Si ergò audis innumeris te circumdatum Dæmonibus rugientibus, pauere & tibi proſpicere debes, teque armis de quibus poſtea

Iac. 1.

dicemus, induere, & forti ac conſtanti animo eorum inſultibus reſiſtere: proh dolor! quàm pauci hæc cogitant! Si videres ciuitatem in qua habitas eſſe vndique inimicis circundatam, & in tali anguſtia conſtitutam, vt vix ſpes euadendi illorum furias ſuperſit, & ſimul tamen videres nobiles ciuitatis nihil arma curare, ſed muſicis inſtrumentis operam dare, aleis & ſimilibus ludis occupari, contrà verò debiles infirmaſque fœminas armis accingi, in prælium prodire, mœnia ciuitatis occupare, an non hoc mirabile diceres? videas quæſo quæ nunc fiant in ſpirituali hoc certamine & colluctatione, de qua loquitur Apoſtolus: aliqui de infirma plebe homines & mulieres Sacramenta frequentant, orationibus inſiſtunt, ieiunant, & alijs bonis operibus ſeſe applicant, vt tantis reſiſtere valeant inimicis; at nobiles & diuites nihil horum præſtant, ſed ludis, conuiuijs, & plurimis inſolentijs vacant; vix ergò ſpes euadendi, & ſe ſe ab illis hoſtibus & eorum inſidijs eximendi, ſupereſſe poteſt.

SECTIO IV.

De innumera Dæmonum tentantium multitudine.

Dæmonum tentantium quàm innumera ſit multitudo, diffuſè exponitur.

SI vnus eſſet Dæmon, vel pauci, forſitan ſperaremus faciliorem de illis victoriam obtinere; at vltrà vires quibus pollent, & aſtutias quibus illæ cæleſtes nequitiæ vtuntur aduerſùm nos, in tanta ſunt multitudine, vt vix ac ne vix quidem, niſi præſtò adſit nobis diuinum auxilium & ſanctorum Angelorum, talem de eis victoriam nobis polliceri debeamus. Iam diximus Luciferum tertiam Angelorum partem ſecum è cœlo traxiſſe, vt ex ſcriptura habemus; aut ſaltem iuxtà quoſdam auctores tot de ſingulis ordinibus cecidiſſe quot vnum poterant conſtituere chorum: alij volunt vnum chorum tot legiones Angelorum continere, quot ſunt particulares Angeli in vna legione; at legio continet 6666. Igitur, &c. at etiamſi omnes qui ceciderant non ſint in mundo relicti, innumeram tamen multitudinem remanſiſſe certiſſimum eſt, & ſuprà notauimus cum probatiſſimis authoribus, nonnullos è loco inferni ad tentandum egredi & poſtea illuc retrudi, quis igitur non paueat? Et præterea inuiſibiles ſunt, vident illi nos, nos verò non item; ſi eos videremus, tam ſunt abominabiles & deformes, vt eos attendere nec poſſemus nec vellemus; vniuerſa verò quæ in mundo ſunt, illis arma ſunt, dies, nox, terra, aqua, aër, herbæ, flores, fructus; omnibus quæ in mundo ſunt,

vtuntur, vt nos expugnent; & illa ipſa quæ arma noſtra ſunt, illis etiam aliquando deſeruiunt; oratione enim, eleemoſynâ, ieiunio, & alijs pijs operibus aliquando nos expugnant, efficientes vt illis ſuperbiamus, vel ficte aut hypocriticè illa operemur. Reperio egregios auctores qui vltra alias expoſitiones horum verborum Pſalmiſtæ, *vim faciebant qui quærebant animam meam*, illa de illis ſpiritualibus nequitijs, quæ continuò animæ noſtræ ciuitatem obſident, intelligunt; vim enim maximam illi faciunt, & nullum, vt aiunt, non mouent lapidem vt ingrediantur & omnia diripiant; Pſaltes Regius in numero plurali loquitur, quia innumeros eſſe illos inimicos qui in mundo relicti ſunt & nos impugnant, notum erat ei, qui dicebat, *multi bellantes aduerſum me*, & iterùm: *multiplicati ſunt ſuper capillos capitis mei, qui oderunt me gratis:* & hæc dicit, quoniam illi ſatis innoteſcebat, non vnicum Dæmonem eſſe in mundo, ſed quamplurimos; & hæc annotat Origenes, in medium afferens quòd contrà Sanctum Ioſue congregati ſunt Reges, & innumera multitudo, & exierunt ipſi, & Reges eorum cum ipſis: *Sicut arena maris in multitudine, & conuenerunt omnes Reges, & coïerunt in vnum ad aquas Merom, pugnare contrà Iſraël. Vide* (inquit Origenes) *quanta aduerſum Ioſue & Iſraëliticum exercitum, contrariarum virtutum, & peſſimorum Dæmonum, examina concitantur*; innumera ergo examina Dæmonum contra iuſtos conueniunt, qui per iſtum volitant aërem, vt diuerſorum vitiorum fraude, genus hominum ſuæ ſubijciant ſeruituti. Imò & millia millium in mundo reperiri, dicebat Sanctus Antonius, vt refert Sanctus Athanaſius in eius vita; & confirmari poteſt, ex eo quòd vna integra Dæmonum Legio, hominem particularem poſſidebat, quos omnes expulit Chriſtus, poſtulauit namque Dominus cùm Dæmoniacum coràm ſe haberet: *Quod eſt tibi nomen?* at ille dixit, *Legio mihi nomen eſt, quia multi ſumus*; & hinc S. Hieronym. in vita Sancti Hilarionis, expendit quàm immane ſit odium, quo Dæmones proſequuntur homines, cùm tanta illorum multitudo ad vnicum hominem torquendum conuenerit; ſolent enim ad modum exercitus ſe ſe vnire, & conſilium ſimul inire ad noſtram perditionem, quam tàm auidè coniurant; ſicut boni Angeli pro noſtra ſalute conueniunt, & concilia congregant. Optimè ergo Dauid de inimicis ſuis videlicet Dæmonibus, vt multi interpretantur, in numero plurali loquitur: *Vim faciebant*, &c. & præterea, *Domine quid multiplicati ſunt qui tribulant me, multi inſurgunt aduerſùm me*; ſed expende illa verba: *Quærebant animam meam*, non quærit Diabolus aurum vel argentum, aut alia fortunæ bona, quæ tanto ardore poſſidere exoptant homines, ſed animam; non contentus fuit quòd in

Pſalm. 37.
Pſalm. 55.
Pſalm 68.
Hom 14. in Ioſue.
Ioſue 11.
Luc 8.
Tom. 1. ad finem.
Pſalm. 3.

eius poteſtate eſſet Iobi corpus, ſed animam quærebat, anima enim quælibet eſt eius cibus electus, vt habet Habacuc: *Data eſt terra ſibi in cibum,* non tamen illum delectat talis cibus, ſed animam concupiſcit, illam quærit vt perdat in gehennam: *Vim faciunt,* ait Dauid, ad hoc omnem virium ſuarum potentiam dirigunt, laqueos tendunt, vel extruunt; & eſt quod ſequitur ad maiorem expreſſionem: *Et qui inquirebant mihi mala, loquuti ſunt vanitates,* vanum illud dicitur quod ſecundùm exteriorem ſpeciem, videtur aliquod bonum intrà ſe continere, ſed reuerà nihil boni habet, vt nux vacua aut amygdala: tales ſunt Dęmonum ſuaſiones, quæ ſecundùm externam ſpeciem, bona, ſpecioſa, pulchra, & delectabilia promittunt, at omni bono interiùs vacuæ comprobantur. Ab his Dæmonum ſuaſionibus, & fallacijs, exoptabat liberari idem Pſaltes Regius: *Domine,* aiebat, *libera animam meam à labijs iniquis, & à lingua doloſa;* per labia iniqua, & linguã doloſam, intelliguntur labia linguaque Dęmonis, non quidem carnea, ſed ſpiritualia, quibus ſpiritualiter loquitur & decipere conatur; quæ per anthonomaſiam dicuntur *iniqua* & *doloſa*, aut fallacia & mendacia, ſicut ipſe propriè & abſolutè dicitur iniquus, *& mendax, ac pater mendacij, & cùm mendacium loquitur, ex proprijs loquitur,* tunc autem agit labijs iniquis & linguâ doloſâ, quando doloſis mendacibuſque promiſſionibus, ad iniquitatem & peccatum pertrahere nititur, cum ſcilicet inducit ad rem illicitam, ſpondens, & promittẽs pecunias, delectationes, & honores, &c. quæ omnia intùs vana ſunt & vacua: & ſic rectè admodum dicit Dauid; *& qui inquirebant mihi mala, loquuti ſunt vanitates;* & poſteà ſuperaddit, *& dolos tota die meditabantur,* hoc eſt fallacias, impoſturas, & fraudes ſine ceſſatione (ait S. Aug. in hunc Pſal.) perpetuò meditabantur. Meditari, eſt attentiſſimâ conſideratione apertiſſimiſque oculis mentis conſiderare; dixit idem Pſaltes de viro iuſto, *in lege Domini meditabitur die ac nocte.* Dum ergò de Dæmonibus ait *dolos meditabantur,* id eſt, omnibus mentis ſuæ viribus attendebant, qua ratione poſſent me decipere, dolis circumuenire, & fraudibus ac machinis irretire, more venatorum ad auiculas capiendas, hoc agit *totâ die*, id eſt perpetuò id operatur, quouis loco & quocumque tempore; ſe ſe quoque ergà nos piſcatoris more gerit; piſcator magnâ curâ vermes vel quidpiam aliud quęrit quod in cibum piſcibus gratum ſit, & illud eis offert, attamen vide quid intra lumbricum & eſcam illam piſcibus lateat, hamus ſcilicet & mors piſcium, cùm enim maximâ deglutiunt auiditate, hamo capiuntur; ita quidem hoſtes noſtri Dęmones ſcilicet, quæ ſecundùm exteriorem formam, delectabilia ſunt & ſpecioſa, nobiſque grata & optata quęrunt, & nobis offerunt,

ſed

Margin notes: Habacuc 1. — Vanum quid. — Pſalm. 119. — Ioan. 8. — Meditari quid ſit. — Pſalm. 1.

ſed latet anguis in herba, latet hamus, latet mors æterna, & multi qui ſe ingenio pollere exiſtimant, illum latentem hamum non aſpiciunt, ſed ſine diſcurſu honores, diuitias, delicias & bona temporalia ſibi iucunda deglutiunt, & ſuam damnationem ſimul; & ſic plerumque, tardiùs quàm par ſit, hos Dęmonum dolos & fallacias ſemper meditantium animaduertunt, atque quemadmodum piſces capiuntur à piſcatore hamo (vt cum ſcriptura loquar) ſic illi capiuntur à Diabolo in tempore malo. Et hęc omnia nobis indicat S. Chryſolog. *Diabolus mali auctor, nequitiæ origo, hominis ſemper hoſtis, laqueos tendit, lapſus parat, foueas fodit, aptat ruinas, ſtimulat corpora, pungit animas, cogitationes ſuggerit, immittit iras, errores ſerit, diſcordias nutrit, pacem turbat, affectus diſſipat, dat virtutes odio, vitia dat amori, violat diuina, humana tentat.* hæc ille. Et penè idem docuerat antea S. Hylar. exponens hunc verſum, *cuſtodiat te ab omni malo. Hæc Diaboli* (inquit) *in hoc tempore officia ſunt, vitijs conſumere, blandimentis ſubrepere, obtrectationibus lacerare, ambitione inſilire, odio proſequi, laſciuijs allicere, & tota virtutis ſuæ poteſtate vaſtare.* Hæc ille.

Serm. 11. Dęmonis nequitia disertè à SS. Chryſologo & Hylario oſtenditur.

S. Hylar. in Pſal. 120.

SECTIO V.

Exponuntur auctoritates quædam Iſaïæ & Dauidis, de diligentia, vigilantia, & potentia Dæmonis ad nocendum.

DÆMONIS malitiam volens oſtendere S. Propheta Iſaïas ſub typo Regis Babylonis, Deo permittente, venientis ad expugnandam ciuitatem Hieruſalem, & habentis arcus paratos & intentos in omnem partem, ait: *Ecce feſtinus velociter veniet, non eſt deficiens, neque laborans in eo, non dormitabit neque dormiet, neque ſoluetur cingulum lumborum eius, nec rumpetur corrigia calceamenti eius, ſagittæ eius acutæ, & omnes arcus eius extenti.* De aduentu igitur Regis Babylonis in Hieruſalem ſic loquitur egregiè Propheta, vt ſibi proſpicerent Hieroſolymitani & vigilarent. Primò igitur dicit *feſtinus velociter veniet*, Hebr. habet *leuis veniet*, id eſt nullo pondere impeditus, & proinde tantâ celeritate vt præueniat omnem diligentiam ciuitatis, ita vt antequam aduertere poſſint ciues, pugnantium ictibus laceſſitos ſe reperient. Deinde experientiam in-

Iſai. 5.

bellando exprimit ſubdens, *non eſt laborans neque deficiens in eo, non dormit, &c.* id eſt nullo labore fatigabitur, adeóque non ſolùm non ſe tradet ſomno profundo, ſed nec leuiter dormitabit: *non ſoluetur cingulum lumborum eius* (id eſt) non ceſſabit ab opere; nam ſicut accingere eſt ſe præparare ad opus, ita ſoluere cingulum iuxtà phraſim Hebraïcam eſt ceſſare ab opere: *nec rumpetur corrigia calceamenti eius,* ideſt, non ligaturam corrigiæ calceamentorum ſuorum ſoluet, nec calceamenta vnquam detrahet, aut deponet, nam ſemper ambulabit, circuibit, & curret; nec denique ad acuendas ſagittas tempus inſumet, iam enim illas acutas habet; *ſagittæ eius acutæ,* quæ penetrare omnia poſſunt; *& omnes arcus eius extenti*, id eſt ita parati & intenti in omnem partem, vt quâcumque parte aliquid appareat, ſubitò illum poſſit ſagittâ transfigere. Timendus profectò erat ille inimicus ſic ad pugnam paratus, ſed multò magis Dæmonem pertimeſcere debemus, cuius aptiſſimè Rex Babylonis figuram gerebat, vt Beatus Greg. oſtendit, de illo enim meliùs quàm de quocumque terreno Rege dicere potuit; *ecce feſtinus velociter veniet,* nullo namque corporis pondere premitur aut impeditur, ſicut homo cuius corpus quod corrumpitur, aggrauat animam: vnde tantus inimicus noſter ſummâ celeritate mouetur & agit, & propterea conatur nos prçuenire & imparatos reperire, ac omnibus modis nos impetere & tentare priuſquam attendere valeamus; vnde Richardus de Sancto Victore, tales tentationes ſubitas vocat, eò quòd plenum rationis iudicium prçueniant, & antequam qui tentatur poſſit aduertere: venit ergo velociſſim[illegible]ens & circuiens, & ideò non mirum (inquit Dydimus in hæc verba Iobi; *Circuiui terram,* &c.) ſi omnem terram imò omnia quæ ſub cęlo ſunt circuiat, & ſubitò per omnia diſcurrat, cùm ſit ſpiritus, imò quaſi auis volet, vt poſteà dicemus, dum de multis brutorum nominibus illi conuenientibus, ſermonem inſtituemus: vnde ſæpè cum tanta feſtinatione mentem in turpem cogitationem inducit, vt priuſquam deliberare poſſit, in delectationem ſubitò rapiatur; ſicque callidus ille tentator quaſi auis volans eſt, cùm ſubitò & ex improuiſo accedit.

Lib. 7. mor. c. 16.

Dæmonis diligentia, vigilantia & potentia, ad nocendum.

Richardus parte 2. in Pſal. 134.

Dydim. in c. 1. Iob.

Inſuper nullo labore fatigatur, nec ſomno indiget aut quiete, cùm non ſit corporeus & carnis infirmitate vt homines, circundatus, & minùs cibo & potu indigeat, & ideò nihil eum impedire aut retardare poteſt, quominùs noſtræ expugnationi indefeſsè intendat; imò tam in procinctu eſt, vt ſagittas iam habeat paratas: *Sagittæ eius acutæ,* quibus omnia poteſt penetrare, *& arcus eius extenti*, & ſagittæ ſuper chordam aut neruum poſitæ, vt in quacumque parte nos viderit, poſſit in nos ſagittam emittere, nam tanta eſt eius aſtutia vt

quemlibet tentet in ea re ad quam propendet, & in quam ſe vertit partem, vel in qua debilis eſt; ſi percipiat te eſurire, vel eſſe ad gulam pronum, obijcit tibi delicias & eſcas, te hoc iaculo transfigere conatur: ſi ſis ſatur & vino ſopitus, ſagittas otij, ſomni, & pigritiæ in te immittit: ſi pauper es & multis rebus indigens, nunc te tentat de impatientia, & murmuratione contrà Deum & diuites, qui tui non ſatis (vt exiſtimas) miſerentur, de detractione, de diffidentia, de iuramentis, de familiæ turbatione, quia ægrè fers inopiam, & illam modò in vxorem, modò in liberos, imò quandoque in ipſum Deum iniquè refers: ſi ſis aliquo modo diues, & negotijs intendas, tentat te de auaritia, de vſura, de negotiatione periculoſa tibi & conſcientiæ tuæ, de fraudibus, prædis, iniquis contractibus, & iniuſtitijs palliatis; hæc acutiſſima iacula in te vibrat. Si in coniugio es multa prole oneratus, tentat te de coaceruatione per fas & nefas, nihil enim aliud animo tuo repræſentat quàm prætextum illum, oportet commodè viuere & honoratè, oportet coniugem & prolem iuxtà ſtatum ſuum alere, neceſſe eſt illis prouidere: ſi ſis in dignitate aliqua, honore, ac in rebus proſperis conſtitutus, te iaculo ſuperbiæ, ambitionis, vanitatis, luxus, &c. confodere conatur, ſuggeritque tibi: tu potes in delicijs viuere, honoreſque conſequi, opes tibi peramplæ ſunt, quibus & lautè viuas, & honores conſequaris: es tu tuâ ſortè contentus, mediocri gaudens poſſeſſione? ſuſcitat potentiorem te vel æqualem, qui tuis inhiet, qui lites moueat, qui ad impatientiam, detractionem, & turbationem maximam te concitet: ô quam acutæ ſunt illæ ſagittæ! ſi forſitan tu es ætate iuuenis ac vegetus, ſagittas luxuriæ, vanitatis, otioſitatis, & conuerſationis periculoſæ in te dirigit, te occaſionibus implicat, vt tandem in peccatum corruas, hoc tibi proponit: oportet ætatem tranſigere iuuentutem more aliorum conſimilis ætatis & ſortis, choreas, ludos, aleas detrectare, tibi foret opprobrio. Si quiſpiam verbum aliquod oneroſum vel iniurioſum leuiori linguâ in te effundat, tentat te de vindicta; de maledictione, de iuramentis, litibus, rixis, & alijs ſimilibus iræ & vindictæ affinibus. Quid prætereà dicam? ſi orationi intendas, mentis euagationem procurat. ſi ſis curioſus & magis quàm par ſit, te ad magiam, incantationem, diuinationem, & ſuperſtitiones excitat & inducit: hoc telo te conficit; ita S. Gregor. & ita dicere poſſumus hunc infenſiſſimum hoſtem, arcus habere extentos ad omnem partem, & ſagittas ſuper chordam aut neruum poſitas, vt illas vibret in quacumque parte nos viderit, & in quocumque exiſtamus loco & tempore; illæ ita acutæ & limatæ ſunt, ita penetrant: nulla tam valida maceries monaſterij quam tales ſagittæ non transfodiant; nul- *Lib. 14. Moral. c. 7.*

bellando exprimit ſubdens, *non eſt laborans neque deficiens in eo, non dormit, &c.* id eſt nullo labore fatigabitur, adeóque non ſolùm non ſe tradet ſomno profundo, ſed nec lèuiter dormitabit: *non ſoluetur cingulum lumborum eius* (id eſt) non ceſſabit ab opere; nam ſicut accingere eſt ſe præparare ad opus, ita ſoluere cingulum iuxtà phraſim Hebraïcam eſt ceſſare ab opere: *nec rumpetur corrigia calceamenti eius*, id eſt, non ligaturam corrigiæ calceamentorum ſuorum ſoluet, nec calceamenta vnquam detrahet, aut deponet, nam ſemper ambulabit, circuibit, & curret; nec denique ad acuendas ſagittas tempus inſumet, iam enim illas acutas habet; *ſagittæ eius acutæ*, quæ penetrare omnia poſſunt; *& omnes arcus eius extenti*, id eſt ita parati & intenti in omnem partem, vt quâcumque parte aliquid appareat, ſubitò illum poſſit ſagittâ transfigere. Timendus profectò erat ille inimicus ſic ad pugnam paratus, ſed multò magis Dæmonem pertimeſcere debemus, cuius aptiſſimè Rex Babylonis figuram gerebat, vt Beatus Greg. oſtendit, de illo enim meliùs quàm de quocumque terreno Rege dicere potuit; *ecce feſtinus velociter veniet*, nullo namque corporis pondere premitur aut impeditur, ſicut homo cuius corpus quod corrumpitur, aggrauat animam: vnde tantus inimicus noſter ſummâ celeritate mouetur & agit, & propterea conatur nos præuenire & imparatos reperire, ac omnibus modis nos impetere & tentare priuſquam attendere valeamus; vnde Richardus de Sancto Victore, tales tentationes ſubitas vocat, eò quòd plenum rationis iudicium præueniant, & antequam qui tentatur poſſit aduertere: venit ergò velociſſim[illegible]ens & circuiens, & ideò non mirum (inquit Dydimus in hæc verba Iobi; *Circuiui terram*, &c.) ſi omnem terram imò omnia quæ ſub cælo ſunt circuiat, & ſubitò per omnia diſcurrat, cùm ſit ſpiritus, imò quaſi auis volet, vt poſteà dicemus, dum de multis brutorum nominibus illi conuenientibus, ſermonem inſtituemus: vnde ſæpè cum tanta feſtinatione mentem in turpem cogitationem inducit, vt priuſquam deliberare poſſit, in delectationem ſubitò rapiatur; ſicque callidus ille tentator quaſi auis volans eſt, cùm ſubitò & ex improuiſo accedit.

Lib. 7. mor. c. 16.

Dæmonis diligentia, vigilantia & potentia, ad nocendum.

Richardus parte 1. in Pſal. 134.

Dydim. in c. 1. Iob.

Inſuper nullo labore fatigatur, nec ſomno indiget aut quiete, cùm non ſit corporeus & carnis infirmitate vt homines, circundatus, & minùs cibo & potu indigeat, & ideò nihil eum impedire aut retardare poteſt, quominùs noſtræ expugnationi indefeſsè intendat; imò tam in procinctu eſt, vt ſagittas iam habeat paratas: *Sagittæ eius acutæ*, quibus omnia poteſt penetrare, *& arcus eius extenti*, & ſagittæ ſuper chordam aut neruum poſitæ, vt in quacumque parte nos viderit, poſſit in nos ſagittam emittere, nam tanta eſt eius aſtutia vt

quemlibet tentet in ea re ad quam propendet, & in quam ſe vertit partem, vel in qua debilis eſt; ſi percipiat te eſurire, vel eſſe ad gulam pronum, obijcit tibi delicias & eſcas, te hoc iaculo transfigere conatur: ſi ſis ſatur & vino ſopitus, ſagittas otij, ſomni, & pigritiæ in te immittit: ſi pauper es & multis rebus indigens, nunc te tentat de impatientia, & murmuratione contrà Deum & diuites, qui tui non ſatis (vt exiſtimas) miſerentur, de detractione, de diffidentia, de iuramentis, de familiæ turbatione, quia ægrè fers inopiam, & illam modò in vxorem, modò in liberos, imò quandoque in ipſum Deum iniquè refers: ſi ſis aliquo modo diues, & negotijs intendas, tentat te de auaritia, de vſura, de negotiatione periculoſa tibi & conſcientiæ tuæ, de fraudibus, prædis, iniquis contractibus, & iniuſtitijs palliatis; hæc acutiſſima iacula in te vibrat. Si in coniugio es multa prole oneratus, tentat te de coaceruatione per fas & nefas, nihil enim aliud animo tuo repræſentat quàm prætextum illum, oportet commodè viuere & honoratè, oportet coniugem & prolem iuxtà ſtatum ſuum alere, neceſſe eſt illis prouidere: ſi ſis in dignitate aliqua, honore, ac in rebus proſperis conſtitutus, te iaculo ſuperbiæ, ambitionis, vanitatis, luxus, &c. confodere conatur, ſuggeritque tibi: tu potes in delicijs viuere, honoreſque conſequi, opes tibi perampla ſunt, quibus & lautè viuas, & honores conſequaris: es tu tuâ. ſortè contentus, mediocri gaudens poſſeſſione? ſuſcitat potentiorem te vel æqualem, qui tuis inhiet, qui lites moueat, qui ad impatientiam, detractionem, & turbationem maximam te concitet: ô quam acutæ ſunt illæ ſagittæ! ſi forſitan tu es ætate iuuenis ac vegetus, ſagittas luxuriæ, vanitatis, otioſitatis, & conuerſationis periculoſæ in te dirigit, te occaſionibus implicat, vt tandem in peccatum corruas, hoc tibi proponit: oportet[illegible]tam tranſigere iuuentutem, more aliorum conſimilis ætatis & ſortis, choreas, ludos, aleas detrectare, tibi foret opprobrio. Si quiſpiam verbum aliquod oneroſum vel iniurioſum leuiori linguâ in te effundat, tentat te de vindicta, de maledictione, de iuramentis, litibus, rixis, & alijs ſimilibus iræ & vindictæ affinibus. Quid prætereà dicam? ſi orationi intendas, mentis euagationem procurat. ſi ſis curioſus & magis quàm par ſit, te ad magiam, incantationem, diuinationem, & ſuperſtitiones excitat & inducit: hoc telo te conficit; ita S. Gregor. & ita dicere poſſumus hunc infenſiſſimum hoſtem, arcus habere extentos ad omnem partem, & ſagittas ſuper chordam aut neruum poſitas, vt illas vibret in quacumque parte nos viderit, & in quocumque exiſtamus loco & tempore; illæ ita acutæ & limatæ ſunt, ita penetrant: nulla tam valida maceries monaſterij quam tales ſagittæ non transfodiant; nul- *Lib. 14. Moral. c. 7.*

lus murus tam fortis circuit moniales, ad quem earumdem ictus non perueniant; nullus Anachoreta ita ſe ad intima deſerti recepit, vt ad eum huiuſmodi tela non pertingāt, quæ & interiora cordis ſæpè attingunt, quibus homo ſentit ſuorum viſcerum pręcordia ſauciari. Tutiſſimus videbatur locus collegium Chriſti, & tamen in illud tela Sathanæ penetrarunt, ita vt tartareus ille lupus, ex tam paruo grege vnam rapuerit ouem: & ſicut Dęmon in initio cecidit nec ſurrexit; ita Iudas ob Apoſtolatus dignitatem quaſi in cælo conſtitutus, cecidit in proditionis ruinam, è qua non ſurrexit, & tam animo quàm corpore continuò mortuus remanet: ſi igitur Sathanæ iacula ad Collegium Chriſti vſque penetrarunt, quid de Eccleſijs cathedralibus, de collegiatis, alijſque dicendum eſt, cùm longè ampliores ſint ipſo Chriſti Collegio, quod duodecim ſolùm Apoſtolos complectebatur? Quid item de religioſorum congregationibus & Collegijs, vbi longè plures conueniunt, iudicandum? quis in illis ſibi polliceri poterit, quod in eum Diabolus, vel ſuperbiæ, vel luxuriæ, vel gulæ, vel liuoris, vel acediæ, vel murmurationis & detractionis, vel inobedientiæ, vel impatientiæ, vel aliorum huiuſmodi defectuum, ſagittas non immittet? eſt profectò valdè difficile, quòd aliqui improbi & ficti quandoque in his ſocietatibus non reperiantur, qui ſibi & alijs forſan ruinam opprobriumque pariant. Non immeritò itaque Pſaltes Regius, has inimici noſtri ſagittas acutas vocat: *Sagittæ potentis acutæ* (inquit) *cum carbonibus deſolatorijs*, potentis nomine iuxtà S. Gregor Nyſſ. Diabolus intelligitur, cuius potentiam ipſe varijs ſcripturæ locis oſtendit, quæ & à S. Iob exprimitur: *Non eſt poteſtas ſuper terram quæ comparetur ei*, in quæ verba ait Nicetas: *Cui nihil ſimile, tum poteſtate, tum nequitia*; ſagittæ illius ſunt tentationes quibus animam impugnat. Hæ aliquando ſunt infirmæ ac debiles, tunc autem ſunt validæ, potentes, & acutæ quando ſunt cum carbonibus deſolatorijs, & his vtitur ipſe quando omnes potentiæ ſuę vires exerit, vultque rem totaliter conficere. Carbones deſolatorij apud S. Baſil. & Chryſoſt. in hunc Pſalm. ſunt qui deſolationem faciunt, & conſumptionem: in Hebręo vt annotat Chryſoſt. dicuntur carbones Iuniperini aut iuniperei, nam inter omnia ligna Iuniperus eſt aptior ad recipiendum & conſeruandum ignem, itavt carbones Iuniperi ardentiorem acutioremque contineant ignem, ad ſuccendendam & colliquandam rem duriorem, etiam lapides ipſos, quo propterea vtuntur conflatores quando duriora metalla volunt emollire & colliquare. Idem eſt ergo cum carbonibus deſolatorijs ac cum carbonibus ardentiſſimis, ignitis, ſplendentibus, micantibus, quales ſunt iuniperi, qui ad ſuccendenda de-

Pſalm. 119.
S. Greg. Nyſſ.
Iob. 41.
Nicetas in Iob.
SS. Baſil. & Chryſoſt.

ſolandaque ea quæ fortiſſima ſunt validiores exiſtunt. Sanctus autem Nyſſ. per hos carbones intelligit honores, bona terrena, facultates, quæ quoniam Dęmon repręſentat tanquam ignita, ſplendentia, fulgentia, ac micantia, tanquam carbonibus ardęntiſſimis, ardore concupiſcentiæ per illa cor ſuccendit, ſicque deſolat corda, & omne animæ bonum conſumit, & ad malum quod vult, eorum promiſſione perducit. O! quam valida igitur, acuta, & penetrantia ſunt illa iacula & ſagittæ Dęmonis cum carbonibus deſolatorijs. Et hoc eſt quod docet S. Auguſt. (*Hoc*, inquit, *eſt continuum ſtudium eius, hoc vnicum deſiderium eius, vt animas deuoret, qui ſiue dormianus, ſiue vigilemus, ſiue comedamus, ſiue bibamus, ſiue quodcumque opus operemur; omnibus modis inſtat, die ac nocte, fraudibus & artibus, nunc palam, nunc occultè, ſagittas venenatas contrà nos dirigens, vt interficiat animas noſtras.*

Greg. Nyſſ.

Lib. ſoliloq. cap. 16.

CAPVT V.

De tentationibus Dæmonum omni tempore ab initio ſæculi.

SECTIO I.

De primorum parentum tentatione in ſtatu innocentiæ, & de noſtra illorum inſtar.

SVPPONO primò, Dęmonem non tentare niſi diuina permiſſione, aliàs nihil hac in re efficere poſſet, vt fuſiùs poſteà dicemus: *Permittit verò Deus* (inquit S. Chryſoſtom. in epiſtolam ad Phil.) *vt vel pœnas ſumat, vel erudiat, vel illuſtriores nos faciat, quemadmodum accidit viro illi ſanctiſſimo Iob.* Illâ autem permiſſione ſuppoſitâ, certum eſt illum ab initio mundi vſque ad finem non quieſcere, ſed continuò homines perſequi & tentare, non enim ſenectute laſſatur, ſed vt ait Iob: *Sicut dies iuuentutis eius, ita erit & ſenectus illius.*

S. Chryſoſt. hom. 6.

Iob 41.

Incepit ergo homines tentare ab initio quo fuerunt in florentiſſimo innocentiæ ſtatu, & non deſiſtet niſi in fine ſæculorum. Quòd primò tentauerit in ſtatu innocentiæ, conſtat de primis noſtris parentibus, quos in tali ſtatu aggredi auſus eſt, eos exteriùs tentauit,

Dæmon primos noſtros parentes in ſtatu innocentiæ in forma Ser-

peatis tentauit. ſuiſque ſuaſionibus ad peccatum impulit: poſt peccatum etiam commiſſum, homines interiùs alliciendo ſeu inclinando tentat, vt poſteà de illius tentationis modo dicemus, quamuis nonnulli velint illos proto-parentes fuiſſe quoque interiùs ad peccatum inductos. Videndum itaque quo pede inceſſerit in huiuſmodi primorum parentum noſtrorum tentatione: id nos docet S. Bernard. *Ille inſatiabilis homicida* (inquit) *primis parentibus noſtris, non vrſos, non leones, non fortia terræ animalia delegauit, ſed tortuoſum & callidum ſerpentem*; & hoc eſt Scripturæ Sacræ conforme: *Sed & ſerpens erat callidior cunctis animantibus terræ.* Omitto hic ancipitem illam naturalem quęſtionem, vulpeſ-ne an ſerpens naturâ verſutior ſit, & verbis ſcripturæ inſiſtens, dico ſerpente tanquam callidiore, vſum fuiſſe Dęmonem verſutiſſimum noſtrum inimicum, ad fœminam in fraudem inducendam, cùm id ſubdolis & captioſis verbis fieri deberet, quamuis tamen & alterius animantis operâ id pręſtare potuiſſet. Callidior porrò dicitur fuiſſe ſerpens cæteris animantibus, id eſt ad blanditias & aſſentationem habilior, & à natura accommodatior: & quidem calliditas appellatur à Nonio vrbana ſcientia; vnde callidus exiſtimari poteſt officioſus, vrbanus; aſſumptus ergo fuit ſerpens à Dęmone ad maiores blanditias, & vt familiariùs mulierem conueniret, eamque faciliùs deciperet, ad peccatumque induceret. Nec audiendi ſunt illi qui dicunt diuinitùs effectum fuiſſe, vt non alio animante quàm ſerpente vteretur Dæmon, quòd fœmina illum horreret, & ſic faciliùs ab eius inſidijs caueret, cùm enim tunc eſſet in ſtatu naturæ integræ, in quo nullum animal homini nocere poterat, nullius profectò horrebat aſpectum: quod de ſerpente nominatim teſtatur S. Baſil. *Serpens tunc non erat horrendus homini, ſed mitis & manſuetus*; & familiariter egiſſe cum primis parentibus, teſtatur Ioſephus. Quòd ſi fœmina tunc horrorem ſerpentis ſicut nunc concepiſſet, fugam arripuiſſet, nec cum illo ad colloquium veniſſet: Dęmon itaque non ſolùm huius ſerpentis caudâ, ſed toto corpore tanquam inſtrumento ad blandiendum, & maiori cum familiaritate adulandum vſus eſt, vt rectè aduertit S. Damaſc. *Serpens* (inquit) *plus cæteris animantibus familiaris erat homini, ad ipſum frequenter accedens, eique placitis corporis motibus blandiens, vnde per ipſum Princeps mali Diabolus, primis noſtris parentibus impietatis ſuæ venenum, inſtillauit.* Suffragatur Procopius Gazeus in eumdem locum: *Serpens* (inquit) *erat gratus mulieri, eumque ceu delicias tractabat, propter inſignem indolem, & quemlibet imitandi ſolertiam; mirabiliter norat blandiri*; & ſic non mirum, ſi Dęmon hoc animal reliquis ad noſtros primos parentes miſerè ſeducendos, prætulerit.

Serm. de quadrup. deb.

Geneſ. 3.

Calliditas quid.

Hom. de Paradiſo.
Lib. 1. antiq. cap. 10.
Serpentis natura ante peccatum.

Lib. 2. de fide orthodoxa cap. 10.

Procop.

Videamus ergò hoc lubricum & verſutum animal à Dæmone aſſumptum, illos aggre ens. Cùm Deus illis prohibuiſſet de arbore ſcientiæ boni & ma deguſtare, ipſe Dęmon aſtrictè contrarium perſuadere volens, blandis verbis partem debiliorem primùm aggreſſus eſt nempè mulierem, & ſe ſe verum Diabolum hoc eſt detractorem & calumniatorem exhibuit, ait. B. Iuſtinus Martyr nam Tertulianus tres celebres calumnias quibus Deo corā parentibus noſtris detrahere voluit, deprehendit: primò enim Deū acc‹u›ſauit quòd graue pręceptum duriſſimumque impoſuiſſet, prohibens lignum pulchrum viſu & ad veſcendum ſuaue; & mendacium inſerens, quo rem duriorem faceret: *Cur*, inquit, *præcepit vobis Deus vt non comederetis de omni ligno Paradiſi? cùm ſit mendacÿ Pater mendacium inſeruit* (inquit S. Ambr.) a *non enim dixit Deus quòd non comederent de omni ligno Paradiſi, ſed potiùs de omni ligno Paradiſi comedes*; quod & omnes ſancti Patres ſimiliter obſeruant: *Conſidera*, inquit Chryſoſt. *malignitatis excellentem ſubtilitatem, inducit namque ſub ratione interrogationis etiam quod non erat dictum, quaſi ſcilicet curam ipſorum haberet, cur inquit, præcepit vobis Deus? quaſi diceret cur Deus qui vobis deberet parare delicias, magnâ vos fruitione priuauit? cur non concedit vt participes ſitis bonorum quæ ſunt in Paradiſo? præſtitit quidem vt veſci frueremini, maiori tamen voluptate interdixit, quare hoc? quæ vtilitas? verſari in Paradiſo, & non frui ÿs quæ in illo ſunt?* Secundò, calumniatus eſt & accuſauit de inuidentia, vt Rupertus expendit cum nonnullis aliÿs Sanctis Patribus, quaſi Deus ex inuidentia prohibuerit eſum fructus illius arboris, inuidens eis fœlicitatem ac ſummum quoddam bonum, in altiori quadam ſcientia conſiſtens. *Scit enim Deus*, inquit, *quòd in quocumque die comederitis, aperientur oculi veſtri, & eritis tanquam dÿ ſcientes bonum & malum:* quaſi diceret, nullum pati vult ſibi ſimilem, &c. & tandem mendacium Deo impoſuit Dæmon, ſuadens illum eſſe mentitum, quando dixit, *in quacumque die comederitis ex eo, morte moriemini*, vnde ait Dęmon; *nequaquam moriemini &c.* quaſi diceret eſt mirum quod vobis quos condidit immortales, comminatus fuerit mortem, *nequaquam &c.* accuſat Deum de mendacio, quaſi vellet cum ſimilem ſibi, mendacem videlicet reddere, & ipſe apertiſſimè mentitur, cùm de facto poſtea morti ſint addicti ſuis cum poſteris: & ſic noſtros decepit parentes, eis promittens non ſolùm diuinitatem & æqualitatem Dei in ſapientia, verùm etiam vitam perennem: quæ omnia nullatenùs intendebat complere, nec poterat. ô verba doloſa Dęmonis! ô promiſſiones falſæ & mendaces! abſit enim quòd eis

Lib. 2 contra Marc.
Tertul.

Calumniæ ... nis. dum noſtros primos parentes tentauit

a *Lib. de Paradiſo.*

Homil. 16. in Geneſ.

In cap. 3. Geneſ.

acciderint quæ pollicitus fuerat, quin potiùs eminentiſſimis Dei donis quibus erant ornati, ſe ſe priuatos animaduerterunt; quid hoc malo pejus? voluit infœlix Eua cum Diabolo miſcere colloquia, nec animaduertit colloquia huiuſcemodi, potentiſſima eſſe nequitię arma. Et eſt mirum quòd ad ſonitum vocis Dæmonis; & ſceleratæ ac impiæ ſuggeſtionis eius, non ſubitò exhorruerit, nec refutarit linguæ impurę & perfidioſæ venenum. In hoc profectò non mediocriter deliquit ([illegible] aiunt SS. Chryſ. & Bern.) In hoc quoque illam deliquiſſe certum eſt, ex eo quòd ad Dei verba addidit, poſtquam enim Dęmoni reſpondens dixit: *De fructu lignorum quæ ſunt in Paradiſo veſcimur, de fructu verò ligni quod eſt in medio Paradiſi, præcepit nobis Deus ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne fortè moriamur*; de proprio addidit illa verba *& ne tangeremus illud*, quaſi innuere volens pręcepti diuini diſplicentiam, tędium ac odium, ſicut in eodem pręcepto hęſitationem, dicendo *ne fortè moriamur*. Cùm enim Deus abſolutè in ſua comminatione loquutus fuiſſet, illa conditionatè & cum hæſitatione, tale pręceptum explicauit per illam dictionem *fortè*; ſicque callidam non cauendo Diaboli deceptionem, ipſe vehementiſſimum in illius cor deceptionis fallaciſque conſilij immiſit iaculum, & ipſa feralem ictum accepit, nam illicò ſubditur: *vidit igitur mulier quod bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectuque delectabile*. Sed vnde agnouit quòd lignum illud eſſet bonum ad veſcendum, cùm ipſum adhuc minimè guſtaſſet? Ex eo quod non tantùm pulchritudinem pomi, ſed & guſtum quem ſola lingua percipere poteſt, quaſi per oculos Diabolus ingerebat, ideòque ſuauiſſimum ad veſcendum mulier videbat pomum, cuius ſaporem nondum adhuc per guſtum perceperat: & ex hoc ictu, proh dolor! omnimoda illius expugnatio ſequuta eſt; nam ſtatim illa tulit de fructu vetitæ illius arboris, & comedit; quodque omnium extitit peſſimum, & quod Dæmon maximè intendebat, *dedit viro ſuo*, vt in textu ſubditur, *& comedit*; quot verò mala, quot pœnę, quot miſerię ab illa diuini mandati tranſgreſſione, ortum duxerint, nullus ignorat; ſed hic mala iſta recenſere noſtri non eſt inſtituti. Super his S. Chryſoſt. expendit verba quæ poſteà dixit Deus ad Adam, *Adam vbi es?* quaſi dicere voluerit, quonam perueniſti? nunquid ad regnum quod tibi Diabolus fuerat pollicitus? ad diuinitatem quam tibi promiſerat? nequaquam, ſed ad omnium miſeriarū cumulum. Aduerte porrò ex S. Auguſt. in tentatione cuiuſlibet hominis ea contingere, quæ in tentatione primorum parentum, nam concupiſcentia eſt mulier, ratio autem eſt vir; cùm in delectationem

te duci

SS. Chryſoſt. & Bern- [illegible]

Serm. contra Iudæos & Gentiles tom. 3.

Lib. 12. de Trin. cap. 12. tom. 3.

te duci conſentis, mulier comedit; cùm verò peccatum efficaciter perpetrandum mente decernitur, iam mulier dedit viro, qui comedens mortem incurrit.

SECTIO II.

Quî fieri potuit, vt parentes noſtri qui eximiâ erant ſapientiâ præditi, ſic decipi potuerint.

QVÆRIT S. Gregor. Nyſſ. quomodo potuerint parentes noſtri, qui eximiâ præſtabant ſapientiâ à Deo infuſâ, credere in paruo pomo tantam eſſe vim & efficaciam, vt manducantes non ſolùm illos redderet diuinos, ſed & Deos faceret: nemini dubium eſt Adam ſaltem cognouiſſe hac in re Dæmonis mendacium: *Neque enim ſeductus fuit in præuaricatione*, ait Apoſtolus, ſed cognouit apertè pomum in ſe rem eſſe parui momenti, & nullatenus illam vim habere quam fingebat Dæmon: illud tamen ipſe Diabolus ſuæ inſtigationis & ſuggeſtonis halitu, ita ſuccendebat ſplendidumque reddebat, vt illud tanquam rem ſuauiſſimam & dulciſſimam repræſentaret, quaſi cibum ipſius Dei proportionatum & aptum ad conferendum, conſeruandumque eſſe diuinum, & oculos aperiendum, vt omnia ſcirent qui eo veſcerentur, & propterea ſibi ab vxore traditum comedit. De ipſo Dæmone ſub ſpecie ceti loquens Deus Iob, ait: *Halitus eius prunas ardere facit*; in Hebræo verbum *Lihat*, quod ſignificat ignire, inflammare, à quo nomen *Lahat* quod ſignificat rem fulgentem & ſplendidam, quo modo depingitur gladius flammeus in manu Cherubim: prunæ autem in Hebræo dicuntur *Gabheleth*, quæ vox ſignificat carbonem, qui cùm ipſe nigerrimus ſit, flatu tamen aut halitu ſplendidiſſimus redditur. Volebat itaque dicere Deus, loquens de Dæmone; flatu aut halitu oris ſui, carbones nigros reddit fulgentes, ſplendentes, & micantes prunas, vt ſolis aut fulgentiſſimæ ſtellæ ſpeciem tenere videantur; hoc eſt, tanta eſt eius vis & aſtutia, quando res aliquas proponit, vt etiamſi in ſe viles ſint & contemptu dignæ, illas tamen inſtillationis ſuæ flatu, & inſtigationis halitu ita accendit, vt eas fulgentes reddat ac ſplendentes: videbis hominem maximo ſtudio quærentem honoris locum, qui in ſe vanitate ipsâ vanior eſt, ſed Dæmon exhibet illum ſuæ ſuggeſtionis & ſuaſionis halitu tanquam fulgentiſſimum ſydus, quo in republica reſplendere queat, ſicut Sol in cœlis collocatus.

Lib. de Opif. hom. cap. 10.

Primi noſtri parentes quamquam ſapientia præditi, fuêre decepti.

1. ad Tim. 2.

Iob 41.

Geneſ. 3.

Dæmon ſuo halitu, res viles reddit ſplendentes, quomodo & quas, latè oſtenditur.

Alium videbis toto conatu opes quærentem, quæ nihil aliud ſunt
Habac. 2. quàm denſum ac vile lutum, vt habet Habacuc; ſed Diabolus illas quaſi fulgentia aſtra repræſentat, quarum influxu omne mundi bonum proueniat. Hominem item reperies mulierculam prophano & obſcœno amore proſequentem, eamque viliſſimam ac immundam, & miraris quomodo vir alioqui prudens id præſtat, ſed ratio eſt, quia Diabolus ſuggeſtionis & ſuaſionis ſuæ halitu, eam menti illius tanquam pulcherrimam & ſplendidiſſimam exhibet: id aliquando contigit Dauidi Regi viro ſecundùm cor Dei, quando enim vidit mulierem ſe lauantem ex aduerſo ſuper ſolarium ſuum, quamuis aliquâ pulchritudine eſſet prędita, Dæmon tamen ſuo flatu & halitu, vt ardentem & inflammantem prunam longè ſplendidiorem, pulchriorem, & quaſi Solem fulgentiſſimum, mentis ſuæ oculis illam exhibebat & repræſentabat, & ita illius mulieris amore cor eius ſuccendit; vt quamuis inſigni eſſet ſapientiâ præditus, & facilè percipere poſſet quàm fallax eſſet illa pulchritudo, & Sathanæ tentationem dignoſcere, adulterium tamen & homicidium non ſine magno ſcandalo perpetrauerit, qua ratione meritò poſteà clamabat: *Lumbi mei impleti ſunt illuſionibus*, quia verè ſe à Diabolo
Pſalm 37. illuſum deprehendit, & omnia quæ illi repræſentauerat fuiſſe illuſoria & phantaſtica, *& non eſt ſanitas in carne mea.* Hoc ipſum quotidie apud ſeipſos experiuntur homines: & quidem tu, quem Diabolus ad peccatum carnis excitat, ita vxorem alienam ſuo halitu tanquam ſplendentem, micantem, & ardentem prunam tibi repræſentat, vt quamuis manifeſtè intelligas delectationem citò tranſituram, manſurumque peccatum ſi illud committas, atque æternæ damnationis reatum, illud tamen viliſſimum & nefandum opus, executioni effrænatè demandes. Mirum eſt, quo modo Chriſto repręſentauit regna mundi, & eorum gloriam, quaſi carbones accenſos, ſplendentes, & fulgidos, potentes corda fortiſſima niſi ſibi proſpiciant, deſolare; & in peccatum in pręceps agere: ita cùm malignus ille hoſtis te de auaritia, rapina, vſura, &c. tentat, opes & & pecunias tibi repręſentat, tanquam ſummum bonum fulgidiſſimum & ſplendidiſſimum, quibus qui abundant omnia quæ deſiderare poſſunt, habent, & quibus qui carent, omnibus ſpoliati iudicantur, & quamuis apertè contrarium cognoſcas, imò hæc omnia terrena, viliſſima eſſe ſtercora, indignaque vt pro eis animæ bona perdas, & te in damnationis periculo conſtituas, & quòd illa omnia in morte cuius diem & horam ignoras, dimiſſurus es, nihilominùs tamen imprudenter & nimio impetu ductum Diaboli ſequens, etiam dum inimicus ille te ad ambiendam dignitatem aliquam impel-

ſit, euidenter cognoſcis vtilius eſſe animæ tuæ rebuſque tuis intendere, quàm talem ambiendo dignitatem nunquam quieſcere, & per immenſas quas facis expenſas, tibi ipſi laqueum parare; ſed quoniam eam tibi ſplendidiſſimam, micantem & glorioſam, tanquam ardentem prunam ſuo flatu & halitu refert, & eam te illuſtriſſimum clariſſimumque reddituram, fit vt toto pondere inſecteris, & conſequi coneris. Denique depingit & repræſentat vindictam iracundo, tanquam rem ſummè honorificam, & in illum errorem practicè inducit, vt credat ſibi omninò expediens eſſe vindictam ſumere. Caue igitur & tibi proſpicias, dum hæc tibi à Dæmone objiciuntur & repræſentantur, & memento illum tibi nocendi teque perdendi animo, id totis conatibus præſtare, ſicut iniquè intendebat primos noſtros parentes ſecum ad damnationem trahere. Vnde animaduertas velim ex S. Auguſt. eodem blandimento decipi nunc per Diabolum homines, quo protoplaſti in Paradiſo ſunt decepti, multis enim vitiorum præſtigijs mentes improborum tentando deludit; nunc quippè promiſſis decipit; nunc rebus tranſitorijs quaſi neceſſarijs allicit; nunc etiam ipſa inferni ſupplicia quaſi leuia & tranſitoria ſuggerit, quò miſerorum corda in cupiditatem laſciuiamque diſſoluat, & ad tartara ſecum ducat: Et S. Gregor. loquens de eo quod Dæmon in Paradiſo egit, hæc habet: *Hoc quotidie antiquus ille hoſtis agere non deſiſtit, verba quippè Dei de cordibus hominum molitur euellere, atque in eis ficta promiſſionis ſuæ blandimenta radicare, quotidie hoc quod Deus minatur leuigat, & adhoc credendũ quod falſum promittit, inuitat, falsò enim pollicetur temporalia, vt mentibus hominum ea ſupplicia leuiget, quæ Deus minatur æterna; nam cùm præſentis vitæ gloriam ſpondet, quid aliud dicit quam guſtate? eritis ſicut dij; acſi apertè dicat temporalem concupiſcentiam tangite, & in hoc mundo ſublimes apparete; & cùm timorem diuinæ ſententiæ amouere conatur; quid aliud loquitur quàm id quod primis hominibus dixit, cur præcepit vobis Deus vt non comederetis de omni ligno Paradiſi?* hæc ille. Quibus verbis liquidò conſtat, Dæmonem in ſuis tentationibus ſe ſe erga nos gerere, vt tanquam callidus ſerpens nos decipiat & perdat, ſicut erga primos parentes noſtros ſe geſſit, vt Dei præceptum tranſgrederentur, de fructu arboris vetitæ comedentes, & (niſi Dei interceſſiſſet miſericordia) ex eo damnarentur, & ideò nihil conſultius in tentationibus & maximè ſecretis fieri poteſt, quàm vt latentes inimici præſtigiæ ac tentamenta prodantur, & prudenti confeſſario vel etiam ſuperiori detegantur: detexiſſe enim machinamenta Diaboli (vt hoſtis ciuitati inſidiantis) euertiſſe eſt & ſuperaſſe.

Lib 1. de Geneſ. contrà Manichæos tom. 1.

Qua arte & modo, procedit in tentando Dæmon.

Lib 14. Moral. cap. 7. & 8.

CAPVT VI.

Quomodo Dæmon diuerſos homines, tùm in lege naturæ, tùm in ſcripta tentauerit.

SECTIO I.

De tentationibus in lege naturæ.

POSTQVAM ſuprà diximus, Dæmonem primò protoparentes noſtros in floréntiſſimo innocentiæ ſtatu tentaſſe, & dum adhuc in tam amœno loco, hoc eſt terreſtri Paradiſo moram gererent; nunc ſecundò eſt videndum, quomodo etiam multò magis poſt peccatum vſque ad Chriſtum, illi permiſerit Deus, vt infeſtiùs homines quàm ante & poſt Chriſti aduentum tentaret & perſequeretur: vt infrà dicemus, & propterea callidiſſimus ille aduerſarius, à S. Hieronym. meritò vocatur inueteratus dierum malorum, & veriùs quam ſenex ille qui Suſannæ honeſtatem conatus eſt proſtituere.

Epiſt. 54. ad Iulianum.

Daniel. 13.

Supponendo igitur, nulla committi peccata ad quæ non tentet & inducat Dæmon, ſicut caro & mundus, iuxtà nonnullorum ſententiam, ſunt recenſenda cuiuſque legis facinora, & ſic videbimus Dæmonum tentationes, ad illa perpetranda tùm in lege naturæ, tùm ſcripta inducentes; quia tamen cùm penè infinitæ ſint, ob innumeram hominum multitudinem, eſt impoſſibile partem illarum vel minorem recenſere, cùm etiam nobis non innoteſcant, & paucas ſcriptura referat: earum tantùm aliquas in exemplum afferemus, vt magis ac magis aſtutias atque nequitias ipſius Dæmonis aduerſùs humanum genus, agnoſcamus. Quod igitur primò ſpectat ad legem naturæ, omnibus ſatis compertum eſt, quomodo Caïmum tentauerit, vt in fratrem ſuum Abelem inſurgeret, illumque enecaret; de quo quidem facinore ac fratricidio loquitur S. Ioannes, qui de Caïmo loquens, dicit ipſum fuiſſe ex maligno, & occidiſſe fratrem ſuum, quia opera eius maligna erant, fratris autem iuſta. Sic ante diluuium malignus ille hoſtis, homines de luxuria & impudicitia tentauit; vnde in Geneſi habetur, *Videntes filij Dei filias hominum, quòd eſſent pulchræ, acceperunt ſibi vxores ex omnibus quas elegerant*, per illos filios Dei intelligi non debent Angeli (quicquid nonnulli

Plures à Dæmone tentati fuêre tum in lege naturæ, tum in ſcripta, vt ſacra narrat ſcriptura.

Geneſ. 4.

In 1. ſua epiſtola, c. 3.

Geneſ. 6.

dixerint) ſed filij Seth, vt volunt penè omnes interpretes; ſic nuncupati, quia in timore Dei fuerunt eruditi, at lapſu temporis libidine ſuperati, ex filiabus à Caïmo oriundis, vt multi docent, filios genuerunt, qui potentes & viri famoſi extiterunt: quo factum eſt vt Dominum pœnituerit quòd hominem feciſſet, & decreuit ipſum è terra delere ſimul ac animalia, propterea quòd *omnis caro corruperat viam ſuam.* Quis tantæ tamque ſæuæ libidinis ignem ſuccenderat niſi Dęmon? fuit igitur quaſi opus aquarum diluuio ad illum ignem extinguendum.

Poſt diluuium, Noë plantauit vineam, bibenſque vinum inebriatus eſt & illo nudato iacente in tabernaculo ſuo, hoſtis ille infenſiſſimus, Cham minorem eius filium tentauit, vt patrem ſuum ludibrio haberet. Aliquo etiam tempore poſt diluuium, homines à Sem filio Noë oriundi, habitantes in terra Sennaar decreuerunt altiſſimam turrim ædificare, quò aliud diluuium (ſi Deus aliquando mitteret) euitarent, ſed quis ad hæc eos mouit niſi Dęmon? & propterea non fuerunt *filij Noë* vocati à Deo, ſed *filij Adam,* quia à Dęmone ſicut Adam ipſe, fuerant decepti. Voluit autem ipſe Deus in tantam audaciam & pręſumptionem animaduertere, nam cùm tunc terra vnius labij eſſet, confuſę fuerunt eorum linguæ, ita vt non audiret vnuſquiſque vocem proximi ſui, & ita diſperſit eos Dominus in vniuerſas terras, & ab opere incepto ceſſarunt. Geneſ.9.

O quàm violentę fuerunt tentationes quibus Dęmon Sodomæ & Gomorrhæ habitatores tentauit, ſuis namque ſuggeſtionibus nefanda & abominanda crimina perpetrarunt: vt in eadem Geneſi habetur, *homines autem Sodomitæ peſſimi erant, & peccatores coram Domino nimis:* & quod eſt mirum ſolus Loth cum ſua familia iuſtus repertus eſt, ſi enim tantùm decem iuſti in illis ciuitatibus reperti fuiſſent, non deleuiſſet illas Dominus, vt habetur Cap. decimo octauo. Sed legatur cap. decimum nonum, continet enim tam horrendum eſſe facinus quod patrare intendebant, vt nihil magis deteſtandum audiri poſſit: cùm enim duo Angeli in virorũ forma fuiſſent domum Loth ingreſſi, ipſi nefandiſſimi Sodomitæ vim eis omnibus modis inferre tentauerunt; ob tantas igitur impietates, & effrenatas libidines, *Dominus* (inquit ſacer textus) *pluit ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem,* poſtquam egreſſus fuit Loth cum ſua familia, *& ſubuertit ciuitates has, & omnem circa regionem, vniuerſos habitatores vrbium & cuncta terræ virentia.* Geneſ. 13. Geneſ 18. Geneſ. 19.

Sanctus Cyrillus obſeruauit ſimiliter hiſtoriam ſancti Loth, quem è Sodomis eductum in montem aſcendere iubent Angeli, & quidem vxore in itinere relictâ, & in ſtatuam ſalis conuerſâ, quæ Sodomis Præfatio cap. Gen. 19.

nimis affecta, poſſet Sodomę memoriam excitare, ad ſublimem perueniens ſpeluncam, ſecurus (inquit S. Cyril.) iam eſſe videbatur, & eſſe de numero eorum de quibus dixit Iſaïas: *Qui ambulat in iuſtitijs & loquitur veritatem, &c. iſte in excelſis habitabit, munimenta ſaxorum ſublimitas eius:* ibi nihilominùs laqueos Diabolus extruxit, & filias ne ſine poſteritate pater earum decederet, ad inceſtuoſos complexus excitauit, ex quibus impia illa Moabitarum & Ammonitarum orta eſt multitudo.

Iſai 33.

Nullus etiam inficias ibit, quin tentauerit omnibus modis Eſaü, vt odio haberet & occideret fratrem ſuum Iacob, cui primogenita ſua vendiderat, & eâ ratione benedictionem primogenituræ à ſuo patre Iſaac obtinuerat: dicit enim ſacer textus, *oderat ergò ſemper Eſaü Iacob pro benedictione quâ benedixerat ei pater, dixitque in corde ſuo venient dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum.*

Geneſ 27.

Geneſ.37. Et alibi in eadem Geneſi, filios Iacob paſcentes greges tentauit ipſe hoſtis impius, vt occiderent fratrem ſuum Ioſeph; quod quidem grande ſcelus executioni demandaſſent ni Ruben & Iuda obſtitiſſent, ſed miſerunt illum in ciſternam veterem, vnde poſteà Iudæ ſuaſionibus extractum, vendiderunt Iſmaëlitis, qui in terram Ægypti illum duxerunt.

Geneſ.38. Poſteà etiam, tentauit Iudam de fornicatione cum Thamar nuru ſua in biuio itineris, dum ipſe iret ad ſuas oues tondendas, exiſtimabat enim illam meretricem, cùm ſolito viduitatis ſuæ habitu non eſſet induta, & vultum eius ne agnoſceretur, operuiſſet.

Non deſunt plura alia tentationum Dæmonum in lege naturæ exempla, ſed iſta ſufficiant. Iam de tentatione Sancti Iob dicendum ſequenti Sectione.

SECTIO II.

De tentatione grauiſſima Sancti Iob.

Tentatio Sancti Iob grauiſſima.

Ex hiſtoria Sancti Iob, ſatis apertè nobis innoteſcit Sathanam in virum illum iuſtum & timentem Deum, eius permiſſu ſuas vibraſſe ſagittas, qui quidem hoſtis acerrimus, ideò his in impugnationibus & tentationibus, in hiſtoria ipſius Iobi hoc nomine *Sathanæ* donatur, quia aperto certamine & quaſi ſigno dato, ei aduerſatus eſt; iam enim ſuprà diximus, illud nomen aduerſarium ſignificare: ideò autem hoc ordine tentationum Dęmonis, hanc Iobi impugna-

tionem reponimus, videlicet in lege naturæ, quia in illa lege extabat, vel illius tempore, ſi verum eſt Dinam Iacobi filiam, à filio Regis Sichem conſtupratam, & à patris conſpectu ſubſtractã, ipſi Iobo fuiſſe deſponſatam, vt credunt Philo & Paraphraſtes Chaldęus, quem ſequitur Genebrardus [a]. S. Auguſtinus [b], ipſum Iobum laudibus efferens, diſertis verbis oſtendit illum extitiſſe tempore legis naturæ & ante legem ſcriptam: *Quàm admirabilis (inquit) eſt ſanctiſſimus Iob, qui antè legem litteris editam, in operibus ſuis exemplar legis oſtendit, nulla in hac cauſa alicuius documento addiſcens, ſed naturâ ipsâ duce, cui Deus iuſtitiæ ſemen naturaliter ineſſe decreuit, vndè creatori reuerentiam piâ deuotione ſeruauit; quantâ ergo laude dignus eſt? & quibus verbis facta eius debent extolli, cui non ante legem, neque poſt legem, parem poſſemus inuenire,* &c. his & alijs verbis quæ in eius commendationem proſequitur, conſtat hunc Patriarcham tempore legis naturæ vixiſſe; quamuis tamen aliqui alij velint illum circa Moſis tempora ſuperſtitem fuiſſe; ſed quidquid ſit, ſatis ex eius hiſtoria diſcimus Sathanam illum acriter fuiſſe aggreſſum, priùs tamen à Deo petitâ & obtentâ licentiâ, aliàs illum nunquam auſus fuiſſet aggredi. Poſtquam igitur Deus ipſe ſanctum virum nonnullis extuliſſet laudibus, dixit Sathanæ: *Ecce vniuerſa quæ habet in manu tua ſunt*, & adhuc, *ecce in manu tua eſt, verumtamen animam illius ſerua*; hoc eſt vitam aiunt aliqui, vel etiam ipſum ſpiritum: ſicque lędendo corpus, infractum animum lędere non potuit, erat enim in gratia, & nullo modo ratione alicuius peccati commiſſi, tot tormenta Sathanæ patiebatur: vnde eleganter dicit Paulus Oroſius: *Expetente inimico famulum ſuum Deus ſpoliat per tentationem, non nudat, aufert ſubſtantiam, & dat gratiam; expetita prædoni præda permittitur, & rurſus prædæ ſuæ cuſtos adhibetur.* Si ergo Sathan Iobum opibus perituris, Dei permiſſione ſpoliauit, ditatus eſt non perituris, videlicet ipſâ gratiâ, & poſteà æterno præmio. Sed vultis ſcire quibus veſtiuit eum ſpoliando? vulneribus, ſic enim loquitur Sanctus Zeno: *Ipſum (inquit) poſtremò Iobum quem diuitijs ſpoliauerat magnis, magnis veſtiuit vlceribus*; vnde in textu legimus; *Egreſſus igitur Sathan à facie Domini, percuſſit Iob vlcere peſſimo à planta pedis vſque ad verticem eius*, hoc eſt putredine fuit coopertus, & vermibus vndique ſcatens, & ideò aiebat; *Putredini dixi, pater meus es: mater mea, & ſoror mea, vermibus*; iam circa ſeipſum & contrà ſeipſum (vt rectè aduertit Origenes) omnia inferni agmina vidit expoſita, & ſe prouocatum non ad ſingulare certamen vnius cum vno, ſed vnius cum innumeris Dæmonum Legionibus, vnde egreſſus eſt domo, imò & à ciuitate, & ſedēs in ſterquilinio teſtâ ſaniem

Philo.
a *Lib. 1. Chronol.*
b *Lib. qq. ex vtroque mixtum qu. 118.*
Iob 1.
Iob 2.
Lib. de Apolog. liberi arbitrij.
Serm. de patientia.
Iob 17.
Origenes.
Iob 2.

radebat; ſed ad quidnam diſceſſus iſte? quia Diabolus omnia huius ſancti viri bona conſumpſerat, & liberos omnes domus concuſſione vnâ horâ interemerat, vt non relictum ei fuerit, vbi caput reclinaret, & proindè extra ciuitatem ſedebat in ſterquilinio ab omnibus ſuis conciuibus, imò & cognatis atque famulis proprijs derelictus, exceptis tribus amicis eius qui eum conſolabantur, & vxore propriâ, quæ etſi erga eum ſtulta & criminoſa verba proferret, virum tamen deſolatum comitabatur, & aſſiſtentiam pręſtabat. Ratio autem potiſſima, cur illum horrori haberent ciues, cognati, & proprij famuli, ita vt extra ciuitatem egredi coactus fuerit, grandis fuit putredo, fœtor, & vermium ſcaturigines quæ ex eo prodibant, atque etiam lepra quâ erat reſperſus, quæ quidem cunctis inſpicientibus horrorem incutiebat, & ea etiam de cauſa ciuitate egreſſus ſterquilinium adijt, in quod ſe deijceret; tam enim horrendus eſt leproſi aſpectus & nocituus, vt Deus in lege leproſos iuſſerit extra ciuitatem eijci debere: ita vt Rex Oſias leprâ percuſſus coactus fuerit regno

Hom. 39. in Euang.

cedere, & vrbe excedere: ſcribit autem S. Gregor. Iobum non quouis lepræ genere, ſed fœdiſſimo & horribiliori Dęmonis operâ affectum fuiſſe: ſed quid hoc dictu, *Teſtâ ſaniem radebat?* in Hebręo habetur *hheres*, quod tegulam aut laterem ſignificat, ad quidnam rem tam aſperam elegit, ad vlcera & ſanioſam carnem mundandam? qui vlceribus affliguntur, ſolent mollioribus panniculis humorem fluentem abſtergere, aut ſaltem blandâ manuum applicatione: cùm omnia deficiunt emundare, quis vnquam ad vulnus aſperam tegulam applicauit? Sanctus Gregor[a]. Apollinaris[b], Origenes[c] dicunt eum voluiſſe ad dolores & plagas quas Diabolus intulerat, grauiores & acriores addere, & in carne ſua excitare, & ideò vt plagas abſtergeret, non accepit molle & dulce aliquid, quò vehementem atque inenarrabilem dolorem mitigaret ac releuaret, ſed teſtam ſeu tegulam duram & aſperam, volens in hoc oſtendere, animum habere his omnibus doloribus & pœnis fortiorem, nec illis ſuccumbere aut deficere, inuictaque armari patientiâ: ſicque in praxim redigebat id quod poſteà dixit Apoſtolus: *Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo*, & in hoc etiam Apoſtolum ſuperabat, quòd grauiùs ſuam affligeret carnem, quàm quidem & Sathanas ipſe diuexabat: dicere quoque poterat cum eodem Apoſtolo: *Cùm infirmor tunc potens ſum. Ita fortis eſt ſuæ carnis infirmitas* (ait S. Ambroſ.) *vt fortem reddat ſpiritum*; & S. Chryſoſt. docet ipſum S. Iobum virtutis ſuæ magnitudine, vniuerſum terrarum orbem colluſtraſſe; & S. Auguſt. illum ita omni laude ſuperiorem iudicat, vt nullum ſibi videatur inuenire nomen, quo inuictam illius fortitu-

a 3. Moral. cap. 3.
b In cathena græca.
c Lib. 2. in Iob.

1. Cor. 9.

2. Cor. 12.
Serm. 25.
Epiſt. 3. ad Olimp. tom. 1. ad finem.
Serm. 225. de tempore.

fortitudinem & prçliandi dexteritatem, pro dignitate declaret, in cuius tanti tamque fortis athletæ victoria, viſus eſt Deus honorem ſuum conſtituiſſe, vt B. Hieronym. annotauit; & Dæmon ipſe fateri coactus eſt ſe eſſe victum, omneſque ſuas machinas eſſe deiectas & acies profligatas, & ita ſuperatus fugam arripuit: hinc perbellè S. Chryſoſt. cuius verba in grçca catena Iob, ex aureo illius ore referuntur: *Hic vir magnus atque admirabilis, qui vbiuis gentium clarus, qui pietatis athleta fuit, qui coronâ donatus, qui cuncta certamina exantlauit, qui innumera aduersùs Diabolum trophæa conſtituit*; Adam in Paradiſo inter nemora cecidit, Iob inter dolores vicit, vt benè notauit S. Auguſt. *Videtis ergo dilectiſſimi* (inquit) *quid agat tentatio, & quàm vtiles ſint huius mundi preſſuræ, & quemadmodum corrumpant terrenæ deliciæ.* Ex plagis Iob, eius virtus foràs prodijt quæ latebat, & in omnem mundi plagam eſt ſparſa, vt omnibus exemplum patientiæ conſtitueretur; vnde eius patientiai n Prouerbium iuit; ita vt vir infractæ patientiæ, & omnibus aduerſis animo fortitudineque ſuperior, Iobi patientiam habere dicatur; illamque more aromatum ex incenſione fragrantium odorem ſuum igne tribulationum latiùs ſpargat; quemadmodum Iobo contigit, quò enim in ipſum ſæuior fuit Sathanas, eò magis enituit, & odorem ſuum ſparſit. Plura alia de patientia dicemus, & potiſſimùm ipſius S. Iob in Tractatu de anima rationali ſubfinem. Diſcamus itaque ab illo non patientiam ſolùm, ſed etiam agendas nobis eſſe Deo prçpotenui gratias, in aduerſis & tribulationibus, nobis repræſentantes illas non eſſe iniurias, ſed beneficia potiùs, quemadmodum ipſe indicauit de calamitatibus quas ſubijt: *Si bona ſuſcepimus de manu Dei, mala quare non ſuſtineamus?* &c. *ſit nomen Domini benedictum*; id nos poſteà docuit Apoſtolus: *Omni tempore benedicentes*, quid eſt omni tempore bene dicere? in poſteris & in aduerſis, inquit ibi Primaſius.

Epiſt. 34 ad Iulianum.

De tempore Barbarico tract. 5.

Primaſius.

S E C T I O III.

De tentationibus Dæmonum in Lege ſcripta.

QVOD ſpectat ad Dçmonis tentationes in lege Moſaïca ſeu ſcripta, tot reperiuntur in libris Exodi, Numerorum, Ioſue, Iudicum, Regum, Machabæorum, &c. Veteris Teſtamenti ſcriptæ Legis, vt illas omnes recenſere, eſſet omninò Lectores tœdio

Plures Dæmonum tentationes in lege ſcripta.

afficere. Inter illas autem tentationes quibus ad diuerſa perpetranda facinora homines tunc temporis inducebat Sathanas, totius generis humani aduerſarius, illæ maximè ſunt quibus idololatriam ſuggerebat, hoc eſt falſorum Deorum adorationem, etiam per ſacrificia&c. vt id nobis magis innoteſcat eſt obſeruandum cum quibuſdam Patribus, quòd cùm Deus vellet populum Hebræum de Ægypto exeuntem, & Gentilitijs ritibus & ceremonijs renunciantem reformare, & ad pietatem verique numinis cultum inſtruere, legem dedit Moyſi in monte Sinaï, vt in Exodo multis in locis patet, vbi omnia præcepta & moralia & ceremonialia & iudicialia diligentiſſimè proſequutus, tandem dedit Moyſi duas tabulas teſtimonij lapideas, digito Dei ſcriptas: cognouit Diabolus quantum ſibi ex illis tabulis detrimentum naſceretur, eam legem fore illius populi ad veram fidem & religionem pædagogum, dediſcendas eſſe ſuperſtitiones Ægyptiacas, abolendas prauas conſuetudines, extinguendam idololatriam, reformandos mores, excolendam fidem, vnum ac verum Deum totis animis amplectendum; & propterea in iram exarſit, & quidquid vi aut fraude potuit, intendit, omnes machinas admouit, vt traditam legem reſcinderet, vt idololatriam nutriret, & fœlicia illius populi ad veram pietatem exordia perturbaret: ſolet enim ſolertiſſimus ille aduerſarius ex quacumque re, quocumque loco & ex quauis occaſione, fortiſſimas conſtruere tentationes, vt bene obſeruauit Philo; ait enim Deum conſultò noluiſſe legem tradere populo ſuo, dum in Ægypto commorabatur, ſed cum peruenit ad deſertum, vbi procul abeſſent ab illis occaſionibus quas in Ægypto habebat ipſe Dæmon ad tentandos eos, & ad ipſius legis tranſgreſſionem excitandos, colebantur namque in Ægypto Dij multi & varij, qui diuinitatis ſpeciem ex altaribus & ſacrificijs præ ſe ferre videbantur, occaſione item ſeruitutis, & timore pœnarum poterant Hebræi ad multa peccata induci contrà legem Dei. Voluit propterea Deus vt Ægypto egrederentur, quò à dijs Ægyptiorum alieni & à potentia tyranni liberati, nihil quod à legis obſeruantia eos excuſaret, reperirent; imò in ſolitudine habitantes, ſolius veri Dei opera contemplabantur, cælos videlicet, lunam, ſtellas, & alia quæ ipſe fundauit, & ita quidem factum eſt. Nihilominùs ex ijs Diabolus tentationes innumeras extruxit, nam contemplantibus illis ſolis elegantiam, lunæ plenæ pulchritudinem, & ſtellarum concentum ac ſplendorem, planetas emicantes & quaſi ſcintillas emittentes conſiderantibus, perſuadere inde cœpit Deos veros eſſe qui tali præſtabant pulchritudine, & tot bona terris inferebant, & ita ad eorum adorationem illos pertraxit, vt neceſſe fuerit Deum prohi-

Exod 10. vſque ad 31. incluſiuè.

Deus legem Moyſi dedit & ad quid.

Exod. 31.

Dæmon omnes machinas aduerſus traditam Moiſi legem admouit.

Lib. de decem Oraculis.

Deus filios Iraël ex Ægypto egredi voluit, & cur.

Variè fuerũt à Dæmone tentati filij Iſraël etiam in ſolitudine.

bere aſtrorum curioſam contemplationem, vt conſtat ex Deuteronomio: ex ipſa inſuper ſolitudine occaſionem accepit perſuadendi eis neceſſarium ſibi eſſe Deum, quem coràm ſe viderent & conſpicerent, qui illos à tam deſerta ſolitudine liberaret, & inde eos impulit ad extruendum vitulum conflatilem: vnde Aaroni dixerunt, *Surge, fac nobis Deos qui nos præcedant:* & ille qui fidem tueri debebat, ad illam deſtruendam inſtinctu Dæmonis patrocinium contulit: oportuit autem vitulum illum comminui & in pulueres redigi, vt à tali impietate auocarentur. Idem pariter Deos filiorum Moab adorarunt [a], & Baal, atque Aſtaroth [b]. Conſtat etiam quamuis longè poſteà de Regibus Salomone & Ieroboam quorum prior [c] cor habuit ita deprauatum per mulieres vt ſequeretur Deos alienos non ſolùm, ſed etiam illis fana conſtrueret, & ſacrificaret; Poſterior verò, [d] vitulos aureos ſibi confecit, eis immolauit, ipſoſque adorauit. Conſtat inſuper de plurimis alijs de quibus meminerunt veteris teſtamenti libri, qui tentati à Dæmone, in idololatriam turpiſſimè prolapſi ſunt, contrà id Exodi, *Non facietis Deos argenteos nec Deos aureos*, & in eodem libro, *non facies tibi Deos conflatiles*, & libro Leuitici, *nolite conuerti ad idola, nec Deos conflatiles faciatis vobis; Ego Dominus Deus veſter*, & tandem in Deuteronomio, *non vidiſtis aliquam ſimilitudinem in die quâ loquutus eſt vobis Dominus, in Horeb de medio ignis, ne fortè decepti, faciatis vobis ſculptam ſimilitudinem, aut imaginem maſculi vel fœminæ, ſimilitudinem omnium iumentorum quæ ſunt ſuper terram, vel auium ſub cælo, volatilium atque reptilium, quæ mouentur in terra, ſiue piſcium qui ſub terra morantur in aquis; ne fortè eleuatis oculis ad cælum ſolem videas & lunam, & omnia aſtra cæli, & errore deceptus adores ea & colas.* Et eſt quod habet Pſaltes Regius, *ſi audieris me, non erit in te Deus recens*, &c. Et idem, *omnes enim dij gentium Dæmonia.* Quibus ſanctæ ſcripturæ locis, conſtat Iſraëlitas & alios ſuadente Diabolo, contrà Dei mandata ſtultè ad idololatriam prolapſos fuiſſe.

Deuter. 4. Dæmon filios Iſraël impulit ad vitulum conflabilem extruendum. *Exod 32.*

a *Num. 25.* b *Iudicum 2. 6. 10. 17.* c *3. Reg. 11.* Dæmon filios Iſraël eorumque Reges, ad idololatriam induxit, cõtra id quod prohibuerat Deus. d *Lib. 3. Reg. 12. & 13.* *Exod 20.* *Exodi 34.* *Leuit. 19.* *Deut. 4.* *Pſalm. 80.* *Pſalm. 95.*

Mitto plura alia Iſraëlitarum & aliorum legis ſcriptæ facinora, eorumque murmurationes, iiſdem Sathanæ ſuggeſtionibus, aduerſùs Deum & ſeruos eius; mitto quoque adulterium & homicidium quæ commiſit Dauid eiuſdem Sathanæ incitamentis vt habetur in ſecundo lib. Regum de quibus iamantea diximus. Miſſum facio pariter nefandiſſimum parricidium ad quod impulit Abſalonem, propoſito regno paterno, quod cum obtinere poſſe ſuggerebat, ſi Patrem occideret. Nec recenſeo tot bella, ſeditiones, contentiones, ſtrages, perturbationes, homicidia, machinas, fraudes, & alia huiuſmodi quas contrà bonum pacis, & charitatem fraternam, inter

2. Reg. 12. Quam plura facinora ſuggeſſit olim Dæmon.

plures, teterrimus ille hoſtis excitauit, vt conſtat non ſolùm in libris Regum, Ioſue, & Iudicum, verumetiam Machabæorum, & aliorum.

CAPVT VII.

De Tentationibus Dæmonis in noua lege.

SECTIO I.

Quomodo Dæmon ab initio Chriſto inuiderit, illumque interimere tentauerit.

Dæmon in antiqua lege, infeſtiùs homines tentabat quàm in noua.

ETIAMSI Deus Dæmoni permittat vt homines etiam in lege Euangelica tentet, vt conſtat experientiâ, ei tamen in antiqua lege multò infeſtiùs homines tentare permiſſum eſt, quã pòſt Chriſti aduentum, tunc enim regnabat in filios diffidentiæ, princeps mundi erat, cui omnes ſubijciebantur; tantaque erat eius potentia propter gratiæ minorem abundantiam, & maiores ipſius vires; vt quaſi vim hominibus inferret. Vnde clamabat Ezechias, *Domine vim patior, reſponde pro me*; at poſtquam Chriſtus venit, à tanta ſeruitute mundum redempturus, eius vires eneruatæ & confractæ fuêre; & arguetur à ſpiritu ſancto quiſquis dixerit, *vim patior*, & hoc eſt quod perdoctè tractat Euſebius, *quod autem poſt tempora ſaluatoris noſtri, potentia Dæmonum fracta iaceat, ipſe Porphyrius Chriſtiani nominis hoſtis, in libro quem aduerſus religionem noſtram conſcripſit, hoc modo teſtatur. Nunc verò mirantur* (inquit) *ſi tam multis annis peſte vexantur, cùm & Aeſculapius & alij dij longè abſint ab ea, poſteà enim quàm Ieſus colitur, nihil vtilitatis à dijs conſequi poſſumus.* Ex his ſequitur quod Dęmon in ſtatu gratiæ, non habet tantas vires ad tentandum, quantas habuit in ſtatu naturæ, & in lege veteri, quia iam per Chriſtum ducem noſtrum fuit ſuperatus, & eius potentia imminuta: quare nos facilè poſſumus eum debellare & ictibus eius reſiſtere, quia inimicus inermis eſt. Hinc etiam paſſim in hac lege gratiæ idolorum reſponſa ceſſarunt, nec tam frequentes ac prodigioſæ elementorum perturbationes ab ipſis Dæmonibus excitari potuerunt, præſertim vbi crucis Chriſti trophæum erectum, aliaque fidei noſtræ ſymbola in vſu eſſent; quo tempore etiam vſque ad perſecutionem Antichriſti Lucifer in inferno alligatus creditur.

Iſaia 38.

Euſeb. lib. 4. præpar. Euangelica cap. 1.

Apoc. 20.

Aduertendum quoque, inter ipſos etiam homines tempore legis Euangelicæ eſſe diſcrimen, quia baptiſatos vniuerſim minùs permittitur Dæmoni infeſtare, præſertim externis & violentis machinationibus, quàm infideles non baptiſatos; vt etiam è terra Ethnicorum ac Gentilium, nempè Indiæ tam Orientalis quàm Occidentalis, multò horribiliora Diabolicæ virtutis ac potentiæ documenta ad nos ſcripta tranſmittuntur, quàm in terris Chriſtianorum audiantur; vt cum illis Dæmones viſibiliter ac familiariter palàm inter homines verſantur, docent, monent, puniunt, cùm ſuprà fidem prodigioſas ſæpè tempeſtates excitent, aliaque eis (Deo vt diximus permittente) nocumenta inferant.

Minus Dæmoni, fideles quàm infideles infeſtare permittitur.

Notandum inſuper, diſcrimen eſſe inter tempora poſtrema ſeu extremo iudicio vicinia, & anteriora dictæ legis nouæ; nam ſub tempus perſequutionis Antichriſti, rurſùm ſoluetur Lucifer, qui maiori tyrannide (Deo quoque permittente) quàm anteà ſæuiet, vt colligitur ex Apocalyp. de qua paſſim agunt Sancti Patres, ſpeciatim S. Cypr. [a], Athanaſius [b], S. Aug. [c], Chryſoſt. [d], & Gregorius [e], qui tempore gratiæ Dęmonem dicit eſſe ligatum, ne tantum noceat quantum vellet; & dum tentat in hac lege gratiæ, Deus vniuerſim pro ſolo ſuę voluntatis conſilio, ac libera electione, hunc grauiùs, illum leuiùs, hunc frequentiùs, illum rariùs, vel in hac, vel in illa materia tentari permittit, ac aliter electorum tentationes moderatur quàm cęterorum, quia in hoc nulli facit iniuriam, & cui vult maiorem gratiam impertitur.

Antichriſti tempore ſoluetur Lucifer.

Apoc. 20.
a *Lib. 7. ep. 4.*
b *In oratione contra gentes*
c *Lib. 20. de Ciuit Dei c. 7. & ſerm. 197. de tempore.*
d *Homil. 1. ad populum.*
e *Lib. 38. moral. cap. 12.*

His ſuppoſitis, videndum de tentationibus Dęmonis, deque eius in lege noua malitia aſtutiaque. Et primò ex ſcriptura ſacra & Sanctis Patribus facilè videre eſt, quomodo Chriſtus Diabolicæ inuidiæ præ reliquis fuit expoſitus; ab initio enim ipſe videns humanitatem noſtram in vtero virgineo Deo vnitam, & ſuper omnem creaturam exaltatam, gloriâque & honore coronatam putans omnem illam gloriam & celſitudinem ſibi potiùs deberi, vtpotè Angelorum primo vt antea dictum eſt, exarſit in inuidiam, & furens ſubitò exurgit aduerſus Dominum & aduerſus Chriſtum eius. Duellum hoc monſtratum fuit Sancto Ioanni, *Vidit* enim *draconem ſtantem ante mulierem, quæ erat paritura, vt cùm peperiſſet, filium eius deuoraret.* Agebantur hæc in cælis, antequam inde draco hoc eſt Lucifer præcipitaretur; tam enim illi in primo ſuę conditionis inſtanti quàm cæteris omnibus ſpiritibus, obiecta fuit per diuinam reuelationem fortiſſima illa mulier Maria, in cuius vtero oſtendebatur Chriſtus Homo-Deus; vt ab omni creatura adoraretur: expauit ad hanc diuiniſſimam gloriam draco, illique vehementiſſimè inuidens, ante mulierem ſtat, vt

Dæmon ab initio Chriſto inuidit, illumque interimere tentauit.

Apoc. 12.

plures, teterrimus ille hoſtis excitauit, vt conſtat non ſolùm in libris Regum, Ioſue, & Iudicum, verumetiam Machabæorum, & aliorum.

CAPVT VII.

De Tentationibus Dæmonis in noua lege.

SECTIO I.

Quomodo Dæmon ab initio Chriſto inuiderit, illumque interimere tentauerit.

Dæmon in antiqua lege, infeſtiùs homines tentabat quàm in noua.

ETIAMSI Deus Dæmoni permittat vt homines etiam in lege Euangelica tentet, vt conſtat experientiâ, ei tamen in antiqua lege multò infeſtiùs homines tentare permiſſum eſt, quã pòſt Chriſti aduentum, tunc enim regnabat in filios diffidentiæ, princeps mundi erat, cui omnes ſubijciebantur; tantaque erat eius potentia propter gratiæ minorem abundantiam, & maiores ipſius vires; vt quaſi vim hominibus inferret. Vnde clamabat Ezechias, *Domine vim patior, reſponde pro me*; at poſtquam Chriſtus venit, à tanta ſeruitute mundum redempturus, eius vires eneruatæ & confractæ fuêre; & arguetur à ſpiritu ſanćto quiſquis dixerit, *vim patior*, & hoc eſt quod perdoćtè tractat Euſebius, *quod autem poſt tempora ſaluatoris noſtri, potentia Dæmonum fracta iaceat, ipſe Porphyrius Chriſtiani nominis hoſtis, in libro quem aduerſus religionem noſtram conſcripſit, hoc modo teſtatur. Nunc verò mirantur* (inquit) *ſi tam multis annis peſte vexantur, cùm & Aeſculapius & alij dij longè abſint ab ea, poſteà enim quàm Ieſus colitur, nihil vtilitatis à dijs conſequi poſſumus.* Ex hiis ſequitur quod Dęmon in ſtatu gratiæ, non habet tantas vires ad tentandum, quantas habuit in ſtatu naturæ, & in lege veteri, quia iam per Chriſtum ducem noſtrum fuit ſuperatus, & eius potentia imminuta: quare nos facilè poſſumus eum debellare & ićtibus eius reſiſtere, quia inimicus inermis eſt. Hinc etiam paſſim in hac lege gratiæ idolorum reſponſa ceſſarunt, nec tam frequentes ac prodigioſæ elementorum perturbationes ab ipſis Dæmonibus excitari potuerunt, præſertim vbi crucis Chriſti trophæum erećtum, aliaque fidei noſtræ ſymbola in vſu eſſent; quo tempore etiam vſque ad perſecutionem Antichriſti Lucifer in inferno alligatus creditur.

Iſaiæ 38.

Euſeb. lib. 4. præpar. Euangelicæ cap. 1.

Apoc. 20.

Aduertendum quoque, inter ipſos etiam homines tempore legis Euangelicæ eſſe diſcrimen, quia baptiſatos vniuerſim minus permittitur Dæmoni infeſtare, præſertim externis & violentis machinationibus, quàm infideles non baptiſatos; vt etiam è terra Ethnicorum ac Gentilium, nempè Indiæ tam Orientalis quàm Occidentalis, multò horribiliora Diabolicæ virtutis ac potentiæ documenta ad nos ſcripta tranſmittuntur, quàm in terris Chriſtianorum audiantur; vt cum illis Dæmones viſibiliter ac familiariter palàm inter homines verſantur, docent, monent, puniunt, cùm ſuprà fidem prodigioſas ſæpè tempeſtates excitent, aliaque eis (Deo vt diximus permittente) nocumenta inferant.

Minus Dæmoni, fideles quàm infideles infeſtare permittitur.

Notandum inſuper, diſcrimen eſſe inter tempora poſtrema ſeu extremo iudicio vicinia, & anteriora dictæ legis nouæ; nam ſub tempus perſequutionis Antichriſti, rurſùm ſoluetur Lucifer, qui maiori tyrannide (Deo quoque permittente) quàm anteà ſæuiet, vt colligitur ex Apocalyp. de qua paſſim agunt Sancti Patres, ſpeciatim S. Cypr. [a], Athanaſius [b], S. Aug. [c], Chryſoſt. [d], & Gregorius [e], qui tempore gratiæ Dęmonem dicit eſſe ligatum, ne tantum noceat quantum vellet; & dum tentat in hac lege gratiæ, Deus vniuerſim pro ſolo ſuę voluntatis conſilio, ac libera electione, hunc grauiùs, illum leuiùs, hunc frequentiùs, illum rariùs, vel in hac, vel in illa materia tentari permittit, ac aliter electorum tentationes moderatur quàm cęterorum, quia in hoc nulli facit iniuriam, & cui vult maiorem gratiam impertitur.

Antichriſti tempore ſoluetur Lucifer.

Apoc. 20.

a *Lib. 7. ep. 4.*
b *In oratione contra gentes*
c *Lib. 20. de Ciuit Dei c. 7. & ſerm. 197. de tempore.*
d *Homil. 1. ad populum.*
e *Lib. 31. moral. cap. 12.*

His ſuppoſitis, videndum de tentationibus Dęmonis, deque eius in lege noua malitia aſtutiaque. Et primò ex ſcriptura ſacra & Sanctis Patribus facilè videre eſt, quomodo Chriſtus Diabolicæ inuidiæ præ reliquis fuit expoſitus; ab initio enim ipſe videns humanitatem noſtram in vtero virgineo Deo vnitam, & ſuper omnem creaturam exaltatam, gloriâque & honore coronatam putans omnem illam gloriam & celſitudinem ſibi potiùs deberi, vtpotè Angelorum primo vt antea dictum eſt, exarſit in inuidiam, & furens ſubitò exurgit aduerſus Dominum & aduerſus Chriſtum eius. Duellum hoc monſtratum fuit Sancto Ioanni, *Vidit* enim *draconem ſtantem ante mulierem, quæ erat paritura, vt cùm peperiſſet, filium eius deuoraret.* Agebantur hæc in cælis, antequam inde draco hoc eſt Lucifer præcipitaretur; tam enim illi in primo ſuę conditionis inſtanti quàm cæteris omnibus ſpiritibus, obiecta fuit per diuinam reuelationem fortiſſima illa mulier Maria, in cuius vtero oſtendebatur Chriſtus Homo-Deus; vt ab omni creatura adoraretur: expauit ad hanc diuiniſſimam gloriam draco, illique vehementiſſimè inuidens, ante mulierem ſtat, vt

Dæmon ab initio Chriſto inuidit, illumque interimere tentauit.

Apoc 12.

In opuſculis de gloria Angelorum bonorum.

illam cum filio perdat; & hanc explicationem putat litteralem Catherinus. Hic ergo draco, inquit, deſcribitur eſſe ante mulierem quæ erat paritura, vt quem peperiſſet, filium deuoraret: in quo ira illa magna & odium impotens, ex inuidia peſſima declaratur, & homicidium inſigne Chriſti Domini & Matris eius. Nondum in terra, ſed in cœlis ſolùm coràm Angelis apparuit Maria, habens in vtero cœleſtem Regem filium ſuum, & filium Patris æterni, cui & diuinitas erat, & poteſtas ac imperium; & ſubitò draco & Angeli eius ardentes inuidia, aſtant mulieri illi puriſſimæ Mariæ, & tali furente inuidiâ, Chriſtum Ieſum in eius vtero exiſtentem perſequuntur, vt illam cum filio perimant, at tunc vana & ſine viribus ira fuit.

Dæmonis de Chriſto dubitatio. *Matth.* 4.

Cùm autem iam in mundo hoc viſibili, factus homo natus eſſet ex eadem virgine, continuò dubitauit Draco an idem et eſſet, quem ab initio ex inuidia fuerat aggreſſus, expectans eius partum, vt illum cum matre perimeret: & ea ratione multoties & multis modis niſus eſt diſcernere, an reuerà ille eſſet, potiſſimùm verò cum ductus à Spiritu Sancto in deſertum, poſt baptiſmum de manu Sancti Ioannis ſuſceptum, poſt ieiunium quadraginta dierum & totidem noctium, videns illum eſurire, anſam & occaſionem illum tentandi, pluribus alijs Dæmonibus comitatus certaminis ſpectatoribus arripuit, vt id de quo dubitabat, agnoſceret, & an eſſet ille quem in cœlo viderat & fuerat perſequutus, vt poſteà fuſiùs dicemus.

SECTIO II.

Dæmon tribus tentationibus Chriſtum in deſerto eſt aggreſſus.

3 part. qu. 41. art. 4.

Eo modo quo Dæmon, primos parentes tentauit, ita & Chriſtum. *Geneſ.* 3.

Lib. 9. de Ciu. Dei, c. 21.

Lib. 31 Moral. cap. 32.

SANCTVS Thomas docet ipſum Dæmonem tentando Chriſtum, eundem ſeruaſſe ordinem, quem in tentatione primorum noſtrorum parentum tenuerat: nam primò ſollicitauit eos ad eſum ligni vetiti, & ſic ad gulæ peccatum: ſecundò ad inanem gloriam, cùm dixit aperientur oculi veſtri: tertiò perduxit tentationem ad extremam ſuperbiam cùm dixit: *Eritis ſicut Dij ſcientes bonum & malum*; dum ergo idem Dæmon qui erat Lucifer Princeps Dæmonum, & vt exiſtimauit S. Auguſt. peculiari Dei permiſſione inferno egreſſus, Chriſtum tentauit in deſerto, eundem ordinem ſeruauit, qui ordo eſt quem tenere ſolet quando ſpirituales viros tentat, incipiens à leuioribus, & ſtatim ad maiora perducens, vt etiam notat S. Gregor. Primò igitur Chriſtũ tentauit de eo quod appetunt

quantumcumque ſpirituales viri, ſcilicet de ſuſtentatione corporalis vitæ per cibum, & quamuis non fuiſſet gulæ vitium, Chriſtum eſurientem comedere panes ex lapidibus factos, tamen occaſione famis obedire aliqua in re Diabolo, gulæ vitio aſcribendum fuiſſet. Secundò, proceſſit ad id in quo ſpirituales viri quandoque deficiunt, vt ſcilicet aliqua ad oſtentationem operentur, quod pertinet ad inanem gloriam. Tertiò, perduxit tentationem ad id quod iam non eſt ſpiritualium virorum, ſed carnalium, vt ſcilicet diuitias & mundi gloriam concupiſcant vſque ad contemptum Dei; & ideò in duabus primis tentationibus dixit: *Si filius Dei es*, non autem in tertia quæ non poteſt conuenire ſpiritualibus viris qui ſunt per adoptionem filij Dei, ſicut duæ primæ: ita S. Thom. Hæ tres tentationes ſunt tres lanceæ huius Ioab Dęmonis, tria capita huius aquilæ, tres incantationes huius magi ſeu venefici, tres gulæ huius cerberi, tria acumina fulguris huius Iouis, quem adhuc loco Dei adorat Mundus, tres cuſpides ſceptri huius Neptuni, qui in tumeſcente mari paſſionum noſtrarum inordinatarum regnat, tres rotæ currus huius Plutonis inferorum Dei à poëtis dicti, qui tribus quaſi equis trahebatur, atque tridentem in manu tribus munitum acuminibus tenebat; quid dicam ampliùs? hæ tres tentationes tres ſunt furiæ, à poëtis quoque depictæ, Alecto, Megera, & Tiſiphone: & in ſumma ſi Scripturæ Sacræ adhęreamus, hæ tres tentationes illæ ſunt de quibus loquitur Sanctus Ioannes: *Omne quod eſt in mundo, aut concupiſcentia carnis eſt, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ*, per mundum hîc non intelligitur phyſicè mundus creatus, ſed homines mundani, mundique bona & illecebras ſectantes; in quo quidem mundo, eſt concupiſcentia carnis, hoc eſt gula & luxuria; concupiſcentia oculorum, hoc eſt auaritia & curioſitas; & ſuperbia vitæ, hoc eſt ambitio, faſtus, appetitus excellentiæ & gloriæ, & ad hęc cuncta reuocantur vitia. De his ergo tribus tentauit Sathanas Chriſtum; concupiſcentiâ carnis, quando dixit: *Dic vt lapides iſti panes fiant*; ſuperbiâ vitæ, cùm eum ad inanem gloriam aucupandam vrſit, vt de faſtigio templi pręcipitaret ſe, quò magnam hoc modo apud omnes videntes, acquireret gloriam & venerationem, & Angelorum manibus ſuſtineretur; concupiſcentiâ oculorum, cùm oſtendens ei omnia regna mundi & eorum gloriam dixit: *Hæc omnia tibi dabo ſi cadens adoraueris me*: ſed in vanum his tentauit Chriſtum, cùm in omnibus ab eo fuerit ſuperatus, vt in ſequentibus fuſiùs dicemus. Aduertit autem quidam inſignis Doctor, Chriſtum contrario modo quàm primum parentem agere voluiſſe, nam Adamus in loco deliciarum & ſocietatis coniugis Euæ, tentatus & proſtratus fuit, ideoque Para-

Eſdræ 2. Tres Dæmonis tentationes quibus Chriſtum tẽtauit, quibus comparentur.

1. Ioan. 2.

De quibus Dæmon tentauit Chriſtum.

diſo excluſus & eiectus; Chriſtus autem in deſerto Diabolum expugnauit, vt homines ad Paradiſum deduceret. In Paradiſo de fructu vetito comedit, vt ergo illum repararet in deſerto ieiunauit Chriſtus.

Chriſti tentationes expanduntur.

Has igitur tres tentationes breui expendamus, Dęmon in deſerto dum cognouit Chriſtum eſurire, voluit explorare an verus Dei filius eſſet, an purus homo, etſi enim plurima habuit indicia, ad ſuſpicandum hominem illum eſſe Chriſtum & Filium Dei naturalem, illi tamen in oppoſitum multa alia occurrebant, quibus mens eius excœcabatur perplexáque & dubia hęrebat, cùm enim obſcurè Prophetarum oracula, deſcriberent futurum cum poteſtate magna regiaque Majeſtate Meſſiæ aduentum, & tamen illum in deſerto pauperem, deſpectum & eſurientem videret; ideò an eſſet Filius Dei an purus homo ſatis dijudicare non poterat: vnde offerens ei lapides aiebat: *Si Filius Dei es, dic vt lapides iſti*, &c. Ibi meminit panis ſed offert lapides, ſolùm nomen eſt panis, & ſubſtantia lapidis. Sic paſcit author mortis, ait S. Chryſol. Heu quàm multi nomine tenus Chriſtiani, re autem marmore duriores, Dęmonis inſtar Chriſto eſurienti lapides offerunt, non dulces cibos: ſed quando eſurit niſi quando eorum conuerſionem vt Samaritanæ ſummopere deſiderat? & proh dolor! vt eius fami ſatisfaciant, nihil niſi lapides hoc eſt corda adamante & ferro duriora ei offerunt, continuò enim bonis eius inſpirationibus reſiſtunt eaſque à ſe repellunt ac nihili ducunt! quid magis horrendum? Marmor aqua cauat, ferrum calidum malleus domat, ſanguis hirci frangit adamantem, & nihil eſt quod eorum corda domare & emollire poſſit. Notate Chriſtum cùm eſuriret inueniſſe ficum ſterilem & ſine fructu, & proinde ei maledixiſſe, & ſubitò aruiſſe; ille eſurit, maximè veſtram conuerſionem & pœnitentiam exoptans, ſi ergò ſteriles & induratos abſque pœnitentiæ fructibus vos reperiat, eſt valdè pertimeſcendum ne ſuam ſuper vos inducat maledictionem. S. Chryſoſt. ad hęc verba, *dic vt lapides, &c.* ait Dęmonem apud ſe cogitaſſe; ſi poterit de lapidibus facere panes, verè filius Dei eſt, ſi autem non poterit, homo eſt; ſi igitur filius Dei eſt, illum cognoſcam per miraculum quod patrabit, ſi autem purus homo, eum ad gulam excitabo. Intendebat autem Dæmon, ſi illum agnoſceret eſſe purum hominem, à ieiunij propoſito ipſum auertere, & prouocare ad inordinatum cibi appetitum, quem vehementer fame oppreſſum videbat; aut ad triſtitiam, quòd cùm grauem eſuriem pateretur, ne buccellam quidem panis haberet; aut ad Dei contemptum, qui eum in deſerto ad quod ſe receperat vt ei inſeruiret, non ſuſtentabat, ſicut ſuſtentauerat Iſraëlitas & Eliam.

Dæmon meminit panis, & non niſi lapides Chriſto offert.

S. Chryſol.

Chriſtus noſtram eſurit conuerſionem.

Matth. 21.

Chriſtus ſterili ficulneæ maledicens, quid hoc denotare voluit

Opere imperf. in 4 Matth. hom. 5.

Quid intendebat Dæmō tentando Chriſtum.

Quoniam

Quoniam autem hęc omnia ad gulæ peccatum ſpectant, communiter cenſent patres Dęmonem his verbis quę ſuprà inſinuauimus Chriſtum de gula tentare voluiſſe. Ita S. Ignatius [a], & S. Cypr. [b] Ita quoque S. Greg. Nazianz [c]. aſſerens Dęmonem voluiſſe Chriſtum deijcere per eſum, ſicut Adam, quod ijſdem verbis dixerunt SS. Chryſoſt. Baſil. Ambr. Aug. & Greg. Aiebat ergò Cacodæmon, *ſi filius Dei es, dic*, &c. quibus verbis duo petit quæ Dei propria ſunt. Primum eſt modus operandi, proprium enim eſt Dei operari ſola dictione, aut verbi ſui imperio, cuius ad nutum omnia obediunt, vnde idem eſt, dic ac impera, iube, præcipe, manda, tanquam totius naturæ Dominus, cuius dicere facere eſt: & exemplum habemus in Pſalmis vbi poſt dicere habetur mandare & pręcipere, vt oſtendatur duo illa idem ſignificare. *Ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandauit & creata ſunt.* Alterum quod Cacodęmon petit, eſt immutatio naturæ lapidis in panem, *vt lapides iſti panes fiant*, vt enim docuit S. Ambroſius, *Solius Dei proprium eſt, pro ſua voluntate rerum immutare naturas, vt conuertere vxorem Loth in ſtatuam ſalis, virgam in ſerpentem, aquam in vinum, vt in nuptijs factum in Chana Galileæ.* Dolo itaque voluit explorare an lapidum naturam poſſet in panes conuertere, vt inde poſſet diſcernere an eſſet Dei filius & omnium ſubſtantiarum creator; & hac in parte videtur modernis hæreticis fidelior, difficilior enim creditu eſt lapidis in panem conuerſio, virtute diuina & per miraculum ſupra omnem naturæ ordinem, quàm eadem virtute panis in corpus Chriſti tranſſubſtantiatio; maior enim eſt proportio naturalis inter carnem & panem, qui ipſi carni nutriendæ inſeruit, quàm inter carnem ipſam & lapides, vt ex Theophylacto colligere facilè eſt; non enim nutritur caro lapidibus ſicut nutritur pane, vnde notanda ſunt valdè ipſius Theophylacti verba. *Nequem (inquit) conturbet, quòd credendus ſit panis caro; etenim in carne ambulante Domino, & ex pane alimoniam admittente, panis ille qui manducabatur, in corpus eius mutabatur, & ſimilis fiebat ſanctæ eius carni, & in augmentum & ſuſtentationem conferebat, iuxta humanum morem; igitur & nunc panis in carnem Domini mutatur.* Apparet igitur difficiliùs eſſe lapides in panes conuertere, quàm panem in carnem: Si ergo Pater & caput hęreticorum Diabolus, primum credidit dum Chriſto dixit, *ſi filius Dei es, &c.* cur ſecundum non credunt quod quotidie fit in altari? Quòd ſi dicas Magos Pharaonis, & inter alios Iamnes & Mambres quorum meminit S. Paulus, virgas tranſmutaſſe in ſerpentes, aquam in ſanguinem, & ranas ſubitò produxiſſe, & apud Gentiles Apollonium Tyanęum & alios admirandas tranſmutationes operatos fuiſſe; dicendum eſt illas non fuiſſe

a *Epiſtola 8. ad Philip.*
b *Lib. de ieiunio & tent. Chriſti.*
c *In oratione de laudibus S.* b *Cypr.*

Duo quæ Dei propria ſunt, à Chriſto petebat Dæmon & quæ.

Pſal. 48.

Oratione de fide reſurrect.

Dæmon hæreticis fidelior videtur.

Theophyl in cap. 6. Ioan.

a *Ad Timoth. 3.*

veras tranſmutationes, ſed ſimulatas & fictas, atque tantummodo apparentes, vt docet S. Thomas[a]. De his loquens Iuſtinus Martyr[b], ait: *Quæ ab incantatoribus facta ſunt, operâ Dæmonum facta ſunt, qui ſpectantium oculis eas præſtigias effuderunt, vt qui ſerpens non eſſet eum viderent quaſi ſerpentem, & non ſanguinem quaſi ſanguinem, & non ranas quaſi ranas.* Nonnulli docent illas transformationes factas à Magis fuiſſe veras non quidem virtute ipſâ Diabolicâ, ſed inuiſibiliter applicando actiua paſſiuis, ſunt enim in rebus naturalibus virtutes occultæ, & nobis ignotę, vt in quibuſdam herbis, lapidibus, aquis, ſuccis, animalibus, quæ incredibiles effectus producunt, quorum nonnulla exempla perhibent Plinius[c], & Albertus Magnus[d]. Harum notitiam Diabolus habet, quibus & Deo permittente vti poteſt, & effectus producere admirandos, qui tamen vera miracula non ſunt, vt demonſtrat S. Thomas quia virtute non ſuperante naturam, ſed potiùs facultate naturali producuntur; & ita credunt aliqui Sancti Patres factos fuiſſe dracones in Ægypto à Magis, vt Aug.[e] Theodoretus[f], & hanc ſententiam tenuiſſe videtur Philo[g] qui de Magorum ſerpentibus tanquam de veris ſerpentibus agere videtur; & eandem ſequuti ſunt ſententiam Abulenſis, Lyranus, Caietanus, &c.

Opiniones diuerſæ circa nonnullas tranſmutationes.

a *Loco cit.*
b *Quæſt. 26. ad orthod.*
c *Lib. 2.*
d *Lib. de mineralibus & animalibus.*
e *3. de Trinit cap. 7. & 8*
f *In Exodum q. 79.*
g *Lib. de vita Moyſi.*

Quicquid ſit, certum eſt Dęmonem aut Magos nullatenùs poſſe virtute ſuâ rerum naturas tranſmutare, & propterea Diabolus, ad inueſtigandum an Chriſtus verus eſſet Deus, non ſimpliciter poſtulauit vt transformaret lapides in panem, ſed vt hoc faceret ſolâ voluntatis ſuæ iuſſione, mandato, & dictione, *dic*, inquit, *vt lapides iſti panes fiant.*

Dæmon & Magi, non poſſunt rerum naturas tranſmutare.

SECTIO III.

Gladio verbi Dei, primæ Dæmonis tentationi occurrit Chriſtus.

SED quid huic primæ tentationi reſpondet Chriſtus? *Scriptum eſt* (inquit) *non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei*; qua reſponſione nihil certum addiſcere potuit Dæmon, an Deus eſſet, an homo: nam non dixit *poſſum & volo*, ne ſe oſtenderet ei filium Dei, nec dixit *non poſſum*, ne ſe oſtenderet mendacem, quia cùm eſſet homo-Deus, reuerà poterat; & ideò, *mediè reſpondit* (inquit S. Ambroſius[a]) *& ſuam profeſſus huma-*

Quid primæ tentationi Chriſtus reſpondit.

a *Lib. 4 in Luc.*

nitatem, ſuam diuinitatem diſſimulauit, ſicque vt ait S. Chryſoſt. [b] *in maiorem ſuſpenſionem quam anteà tenebatur, induxit.* Sed vnde hanc ſententiam deſumpſit Chriſtus? ex Deuteronomio, & eſt enallage præpoſitionis, *in omni*, id eſt, *ex omni verbo*; Hebraicè habetur *ſuper omne quod egreditur os Domini, viuit homo*, hoc eſt re quâcumque quam iuſſerit Dominus, vel ordinarit ad vitæ ſuſtentationem, nutrietur & ſuſtentabitur homo, vti Iudæos in deſerto ſine pane nutriuit, & ſolo mannâ cæleſti, ac Moſem, & Heliam aluit per 40. dies ſuo colloquio, ſuâque virtute naturam eorum conſeruante; & ſi vellet vt ſine omni cibo viueremus, vt multos ſanctos orationi & contemplationi addictos, ſpiritualibus delectationibus pauit, adeò vt omnem cibum humanum faſtidirent, id præſtare poſſet: vt de facto exemplum habemus de Sancta Catharina Senenſi, de Sancta Lutgarda, priſciſque Anachoretis: ita aluit Ioannem Abbatem per tres annos ſolâ Euchariſtiâ quam die Dominicâ ſumebat, vnde Angelus ei dixit: *Chriſtus tibi verus erit cibus*; teſte Palladio in Lauſaïca; ſic Sanctam Mariam Ægyptiacam ferè per 47. annos, aluit in deſerto ſine cibo terreſtri, paſcens eam lachrymis & gaudijs cæleſtibus: ſic de Sancta Magdalena, & pluribus alijs. Rectè igitur dicebat Chriſtus Dæmoni ei lapides offerenti, vt in eos panes conuerteret, *Scriptum eſt quia non in ſolo pane viuit homo, &c.* Deinde aptiſſimè dicit Chriſtus, *ſed in omni verbo:* ſicut enim homo ordinariè loquendo indiget nutrimento corporeo, ad ſui in corporali vita conſeruationem; ſic ad conſeruandam in vita gratiæ animam, indiget verbo Dei: vnde meritò ipſum Dei verbum cibus animæ dicitur, quia id ſpiritualiter agit in anima, quod corporeum alimentum in corpore, materiale enim alimentum reſtaurat deperditum, confortat naturam, ad debitam quantitatem perducit, in vita conſeruat, & refectum lætificat: ſic verba diuina hominem inducunt ad pœnitentiam, quâ deperdita tempora & bona amiſſa, opera quoque virtuoſa per mortale peccatum mortificata, recuperantur, interiores animæ vires confortantur, & ad debitam ſpiritualis profectus menſuram perducuntur, hortando, comminando, iubendo, conſulendo, ac alijs modis, ſicut ait Apoſtolus: *Omnis ſcriptura diuinitùs inſpirata vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iuſtitia; vt perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum inſtructus*, conſeruat quoque animam in vita gratiæ actibuſque virtutum, & breuiter, verbum Dei intellectum illuminat, ad fidem inducit, ſpem roborat, charitatem accendit, opera dirigit, contrà tentationes confortat, in bonis cor ſtabilit, conſolatur, atque delectat, morteṁque culpæ, videlicet vitia & errores ab anima expellit;

[b] *Hom. 5. operis imperfecti in Math.*

Deuteron. 8.

Abſque pane multos nutriuit Deus.

Cap. 61.

Verbum Dei eſt animæ cibus.

2. ad Timoth. 3

Verbi Dei effectus.

Pſal. 118. hinc Regius vates: *Lucerna pedibus meis verbum tuum: & lumen ſemitis meis*; & hoc eſt quod diſertis verbis docet Rabanus in hęc verba: *Non in ſolo pane, &c. Sicut* (inquit) *corpus humanum non viuit ſine terreno cibo; ita anima viuere non poteſt ſine Dei verbo, cùm enim ſpiritualis ſit, ſpirituali ſolùm indiget alimento*; non ergo in ſolo pane viuit homo, hoc eſt non ſolùm corporeo alimento indiget homo, vt bene ſubſiſtat, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei, id eſt per verba Sacræ Scripturæ homo ſalubriter viuit, eiſque indiget vt benè ſubſiſtat, ac ſpiritualiter roboretur.

SECTIO IV.

De ſecunda Chriſti tentatione à Dæmone.

DIABOLVS autem cùm eſſet primâ tentatione gulæ à Chriſto victus, nec certior euaderet, an eſſet Dei Filius naturalis, an purus homo, animo non deſpondit, ſed de inani gloria, ſi fortè id explorare poſſet, tentauit, ait enim Sacer Textus: *Tunc aſſumpſit Diabolus in Sanctam Ciuitatem, & ſtatuit eum ſuper pinnaculum templi.* Hæc ciuitas ſancta eſt Hieruſalem in qua ſola erat ſanctum Dei templum, & vnius Dei cultus, ac vera religio, ait S. Hieron. veriſimile eſt autem ipſum Dęmonem deportaſſe Chriſtum per aëra, nemine tamen vidente, nec etiam cùm ſuper pinnaculum illum conſtituit, quamuis exiſtimaret Dæmon, ipſum Chriſtum à multis viſum fuiſſe: & hoc factum eſt, quia Chriſtus impediebat, ne corpus ſuum ſpecies viſibiles ex ſe emitteret; vel quia non concurrebat cum oculis videntium, ad actum viſionis corporis ſui, ne viderent illum rapi per aëra, & ſic nè eum videntes crederent illum eſſe Magum, & conſuetudinem cum Dæmone habere, ſicque Dęmon illuſus fuit à Chriſto, quia eo inſcio ita egit Chriſtus vt à nemine videretur, ſicut alia vice: *Tranſiens per medium Nazarenorum ibat*, ſi enim Habacuc (inquit Chryſoſt.) purus homo à nullo viſus eſt, quando ab Angelo per comam capitis portabatur de Iudæa in Babylonem, quantò magis eſt credibile de Chriſto non fuiſſe viſum, quando volens fuit aſſumptus à Dęmone? Quemadmodum autem Angelus qui portauit Habacuc, videbatur ſolùm vnum capillum capitis ſui tangere & tenere, ſed tamen ne pondere corporis caderet, virtutem ſuam inuiſibilem ad totum corpus extendebat, illamque toti eius moli applicabat: ita dicendum de Dęmone, qui dum aſſumpſit Chriſtum,

Epiſtola 150. ad Hedibiam quæſt. 8.

Dæmon portauit Chriſtum nemine vidente, ſuam ad totum eius corpus applicando virtutem.

Luc. 4.
S. Chryſ.

tenuit manum eius aut brachium, ſi in hominis figura quam primò acceperat, permanſit, ſed nihilominùs ad totum eius corpus ſuſtentandum & ferendum, virtutem ſuam applicauit. Permiſit autem ei Chriſtus vt eum duceret quò vellet, & ſuis ipſius Dæmonis viribus ſuſtentaret, ac ſi purus eſſet homo, vt notant SS. Gregor. Hieron. &c. qua in re S. Chryſoſt. non Diaboli potentiam, ſed Chriſti patientiam expendendam obſeruat, quæ talis fuit vt ab ipſo Dæmone duci ſe permitteret: *Et ſtatuit eum ſuprà pinnaculum templi*, pinnaculum hebraïcè dicitur à verbo *panah* quod proſpicere ſignificat, quaſi pinnaculum ſignificet aliquid eleuatum, omnium proſpectui expoſitum, aut ex quo quis poſſit aliquid proſpicere. Locus autem ſuprà templum, ſuper quem ſtatuit Diabolus Chriſtum, erat templi altior pars, templum verò altitudine centum & viginti cubitorum erat, vt refert Ioſephus: ritè igitur locus iſte ita eminens, & omnium proſpectui expoſitus, dici poterat pinnaculum. Veriſimile eſt autem, pinnaculum hoc templi, fuiſſe faſtigium ſiue cacumen veſtibuli & frontiſpicij templi: vel vt ait Venerabilis Beda, erat tectum templi planum ſicut alibi tecta in Iudęa, & vltrà planitiem (vt etiam notat Lyranus) aſcendebat quædam clauſura in circuitu per modum propugnaculorum ad decorem & defenſionem: & ibi Diabolus Chriſtum collocauit, & dixit ei: *Si Filius Dei es mitte te deorſum*; certum eſt his verbis voluiſſe Dæmonem tentare Chriſtum de inani gloria; voluit quidem ille iterùm explorare, an verus Filius Dei eſſet, ita tamen vt ſi purus eſſet homo, cum induceret ad deſiderium inanis gloriæ, quo affectaret appeteretque ab hominibus æſtimari & magnificari. Ita SS. Ambroſ.[a] Chryſoſt.[b] Auguſt.[c] Gregor. Nazian. Bern. Thomas, & alij multi.

S. Chryſ. Hom. 5. operis imper. in M t.

Pinnaculum quid.

Lib. 15. antiq. cap. 1.
Toletus in c. 4. Luc.

In 3 Reg. cap. 6.

Chriſtum voluit tentare Dæmon de inani gloria.

[a] *In 4 cap. Luc.*
[b] *In Pſ. 40.*
[c] *Serm. 14. in Pſalm. qui habitat.*

De inani ergo gloria cum tentaturus (inquit Abul.[d]) aptè è deſerto extrahit, & in celeberrimam totius orbis ciuitatem ducit, & in loco totius ciuitatis eminentiori ſtatuit, inanis enim gloria tunc validè excitatur, cùm quis in conſpectu plurimorum habetur excellentiſſimus. Sanctus Ioannes Climachus, huius naturam formicæ comparauit; namque ſicut formica tritico ad maturitatem perducto & purgato, egreditur ad illud rapiendum & comedendum; ita cœnodoxia aut inanis gloria, opere aliquo ad perfectionem deducto; & ſic erga Chriſtum ſe geſſit Dęmon, videns quod ieiunium compleuerat: dixit ergo ei. *Si Filius Dei es, mitte te Deorſum. Erras Diabole* (inquit Petrus Rauennenſis) *cadere non poteſt Deus, conuenientiùs dixiſſes, ſi Filius Dei es, aſcende ad cælum, cùm ſit hominis vtique ad ima cadere, Dei ſit conſcendere ad ſuperna, ſed ſicut ſuis ſuadet, ſuis prouidet ſemper; ſic ſuos eleuat vt de alto præcipitet citiùs in ruinam.*

[d] *In cap. 4. Matth. qu. 33.*

Vnde inanis gloria excitatur.

Dei eſt ad ſuperna conſcendere, ſed hominis ad ima cadere.

Pſal. 118. hinc Regius vates: *Lucerna pedibus meis verbum tuum: & lumen ſemitis meis;* & hoc eſt quod diſertis verbis docet Rabanus in hęc verba: *Non in ſolo pane, &c. Sicut* (inquit) *corpus humanum non viuit ſine terreno cibo; ita anima viuere non poteſt ſine Dei verbo, cùm enim ſpiritualis ſit, ſpirituali ſolum indiget alimento;* non ergo in ſolo pane viuit homo, hoc eſt non ſolùm corporeo alimento indiget homo, vt bene ſubſiſtat, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei, id eſt per verba Sacræ Scripturæ homo ſalubriter viuit, eiſque indiget vt benè ſubſiſtat, ac ſpiritualiter roboretur.

SECTIO IV.

De ſecunda Chriſti tentatione à Dæmone.

DIABOLVS autem cùm eſſet primâ tentatione gulæ à Chriſto victus, nec certior euaderet, an eſſet Dei Filius naturalis, an purus homo, animo non deſpondit, ſed de inani gloria, ſi fortè id explorare poſſet, tentauit, ait enim Sacer Textus: *Tunc aſſumpſit Diabolus in Sanctam Ciuitatem, & ſtatuit eum ſuper pinnaculum templi.* Hæc ciuitas ſancta eſt Hieruſalem in qua ſola erat ſanctum Dei templum, & vnius Dei cultus, ac vera religio, ait S. Hieron. veriſimile eſt autem ipſum Dęmonem deportaſſe Chriſtum per aëra, nemine tamen vidente, nec etiam cùm ſuper pinnaculum illum conſtituit, quamuis exiſtimaret Dæmon, ipſum Chriſtum à multis viſum fuiſſe: & hoc factum eſt, quia Chriſtus impediebat, ne corpus ſuum ſpecies viſibiles ex ſe emitteret; vel quia non concurrebat cum oculis videntium, ad actum viſionis corporis ſui, ne viderent illum rapi per aëra, & ſic nè cum videntes crederent illum eſſe Magum, & conſuetudinem cum Dæmone habere, ſicque Dęmon illuſus fuit à Chriſto, quia eo inſcio ita egit Chriſtus vt à nemine videretur, ſicut alia vice: *Tranſiens per medium Nazarenorum ibat,* ſi enim Habacuc (inquit Chryſoſt.) purus homo à nullo viſus eſt, quando ab Angelo per comam capitis portabatur de Iudæa in Babylonem, quantò magis eſt credibile de Chriſto non fuiſſe viſum, quando volens fuit aſſumptus à Dęmone? Quemadmodum autem Angelus qui portauit Habacuc, videbatur ſolùm vnum capillum capitis ſui tangere & tenere, ſed tamen ne pondere corporis caderet, virtutem ſuam inuiſibilem ad totum corpus extendebat, illamque toti eius moli applicabat: ita dicendum de Dęmone, qui dum aſſumpſit Chriſtum,

Epiſtola 150. ad Hedibiam quæſt. 8.

Dæmon portauit Chriſtum nemine vidente, ſuam ad totum eius corpus applicando virtutem.

Luc. 4. *S. Chryſ.*

tenuit manum eius aut brachium, ſi in hominis figura quam primò acceperat, permanſit, ſed nihilominùs ad totum eius corpus ſuſtentandum & ferendum, virtutem ſuam applicauit. Permiſit autem ei Chriſtus vt eum duceret quò vellet, & ſuis ipſius Dæmonis viribus ſuſtentaret, ac ſi purus eſſet homo, vt notant SS. Gregor. Hieron. &c. qua in re S. Chryſoſt. non Diaboli potentiam, ſed Chriſti patientiam expendendam obſeruat, quæ talis fuit vt ab ipſo Dæmone duci ſe permitteret: *Et ſtatuit eum ſuprà pinnaculum templi*, pinnaculum hebraïcè dicitur à verbo *panah* quod proſpicere ſignificat; quaſi pinnaculum ſignificet aliquid eleuatum, omnium proſpectui expoſitum, aut ex quo quis poſſit aliquid proſpicere. Locus autem ſuprà templum, ſuper quem ſtatuit Diabolus Chriſtum, erat templi altior pars, templum verò altitudine centum & viginti cubitorum erat, vt refert Ioſephus: ritè igitur locus iſte ita eminens, & omnium proſpectui expoſitus, dici poterat pinnaculum. Veriſimile eſt autem, pinnaculum hoc templi, fuiſſe faſtigium ſiue cacumen veſtibuli & frontiſpicij templi: vel vt ait Venerabilis Beda, erat tectum templi planum ſicut alibi tecta in Iudęa, & vltrà planitiem (vt etiam notat Lyranus) aſcendebat quædam clauſura in circuitu per modum propugnaculorum ad decorem & defenſionem: & ibi Diabolus Chriſtum collocauit, & dixit ei: *Si Filius Dei es mitte te deorſum*; certum eſt his verbis voluiſſe Dæmonem tentare Chriſtum de inani gloria; voluit quidem ille iterùm explorare, an verus Filius Dei eſſet, ita tamen vt ſi purus eſſet homo, eum induceret ad deſiderium inanis gloriæ, quo affectaret appeteretque ab hominibus æſtimari & magnificari. Ita SS. Ambroſ.[a] Chryſoſt.[b] Auguſt.[c] Gregor. Nazian. Bern. Thomas, & alij multi.

S. Chryſ. Hom. 5. operis imper. in M. t.

Pinnaculum quid.

Lib. 15. antiq. cap. 11.

Toletus in c. 4. Luc.

In 3 Reg. cap. 6.

Chriſtum voluit tentare Dæmon de inani gloria.

a *In 4 cap. Luc.*

b *In Pſ. 40.*

c *Serm. 14. in Pſalm. qui habitat.*

De inani ergo gloria eum tentaturus (inquit Abul.[d]) aptè è deſerto extrahit, & in celeberrimam totius orbis ciuitatem ducit, & in loco totius ciuitatis eminentiori ſtatuit, inanis enim gloria tunc validè excitatur, cùm quis in conſpectu plurimorum habetur excellentiſſimus. Sanctus Ioannes Climachus, huius naturam formicæ comparauit; namque ſicut formica tritico ad maturitatem perducto & purgato, ègreditur ad illud rapiendum & comedendum; ita cœnodoxia aut inanis gloria, opere aliquo ad perfectionem deducto; & ſic erga Chriſtum ſe geſſit Dęmon, videns quod ieiunium compleuerat: dixit ergo ei. *Si Filius Dei es, mitte te Deorſum. Erras Diabole* (inquit Petrus Rauennenſis) *cadere non poteſt Deus, conuenientiùs dixiſſes, ſi Filius Dei es, aſcende ad cælum, cùm ſit hominis vtique ad ima cadere, Dei ſit conſcendere ad ſuperna, ſed ſicut ſuis ſuadet, ſuis prouidet ſemper; ſic ſuos eleuat vt de alto præcipitet citiùs in ruinam.*

d *In cap. 4. Matth. qu. 33.*

Vnde inanis gloria excitatur.

Dei eſt ad ſuperna conſcendere, ſed hominis ad ima cadere.

Hâc agendi calliditate, vicit Dęmon Heronem Anachoretam, vt refert Caſſianus, quòd cùm quinquaginta annis in deſerto eſſet commoratus, rigorem continentiæ perpetuò ſeruans, & miro feruore opera mortificationis exercens, ſolo pane & aquâ contentus, tandem ab Angelo Sathanæ fuit deluſus, apparens enim illi tanquam Angelus lucis, perſuaſit illi eum adeò eſſe ſanctum & tanti meriti apud Deum, vt Angeli etiam ex alto ruentem exciperent, nullamque inde læſionem corpus eius reciperet; præcipitem ergo in puteum ſe dedit, miſerèque perijt, amittens per ſuperbiam, quod per mortificationem & abſtinentiam, tot annorum ſpatio, lucratus fuerat. Diabolus ergo qui è cœlo deorſum cecidit in Tartara, vellet quoque Chriſtum & quoſcumque alios, ad eadem ſi poſſet demittere & trahere; & dum aliquem noſtrum ad peccatum inducit, non aliud facit, quàm vt ipſe mittat ſe deorſum; vnde Chriſtus Iudæis aiebat: *Vos de deorſum eſtis, ego de ſupernis ſum,* tunc enim Diaboli filios per imitationem vocabat. O incomparabilis malitia, Chriſto ſuadere vt ſe mittat deorſum! quod Chriſtus ſuadente Diabolo non præſtitit, multi eodem ſuadente pręſtant, & maximè illi qui ſolas diuitias, gloriam, dignitates quærunt, & quotidie d...riores fiunt; nec dicendum tamen Dæmonem vim illis inferre, cùm nulla ratione liberum arbitrium cogere poſſit, ſicut de facto dum Chriſto ſuaſit, vt mitteret ſe deorſum; *Non impulit* (inquit Chryſoſt.) *non tetigit, non appropinquauit, ſed tantùm dixit mitte te deorſum, quia omnis qui obaudit Diabolo, ipſe ſe deponit deorſum, nam Diabolus ad malum hortari poteſt, cogere non poteſt*; quod & eiſdem verbis annotauit Aug. vnde in Apocalypſi dicitur ab Angelo ligatus, vt non ſeducat ampliùs gentes, poſteà tamen in fine ſeculi ſoluendus; & ſic tantùm nocere poteſt ijs, qui ad eum tentationibus conſentiendo acceſſerint: quod obſeruat S. Auguſt. *Dicet,* inquit, *aliquis, ſi alligatus eſt, quare adhuc tantùm præualet? verum eſt fratres chariſſimi, quia multùm præualet, ſed tepidiſſimis & negligentibus, & Deum in veritate non timentibus dominatur, alligatus eſt enim tanquam innexus canis catenis, & neminem poteſt mordere, niſi eum qui ſe illi mortiferâ ſecuritate coniunxerit: iam videte fratres, quàm ſtultus eſt homo ille, quem canis in catena poſitus mordet, tu te illi per voluptates & cupiditates ſaculi noli coniungere, & ille ad te non præſumet accedere; latrare poteſt, ſollicitare poteſt, mordere omninò non poteſt niſi volentem, non enim cogendo, ſed ſuadendò nocet, nec extorquet à nobis conſenſum, ſed petit.* Id faciliùs ſimilitudine intelligi poteſt. Si lapidem ferro confrices ad excutiendum ignem, licet ſcintillæ diſſiliant, nihil tamen efficis niſi fomitem adhibeas vt accendatur: ita

Lib. 2. Coll. cap. 4.

Peccator ſe deorſum mittit.

Ioan. 8.

Homil. 5 in imperf.

Dæmon tentando non cogit voluntatem.

Tract. 12. in Ioan.

Apoc. 20.

Serm. 197. de tempore.

licet Sathan per tentationem quaſi ferrum fuſile, è ſenſualitate noſtra ignem conetur elicere, nihil tamen ei proderit, nec accendetur, niſi tu adhibeas conſenſum & voluntatem quaſi fomitem, quo ignem ille peruerſus accendit. Suſcitet ergo Dæmon quas voluerit ſuggeſtiones, cogitationes in corde pariat, quaſi ad ianuam cordis pulſans, vt poſſit ingredi; nihil proficit quandiu firma reſolutione tanquam ſerâ cor obſeratum eſt, quandiu iſta nobis diſplicent nec conſenſum damus; ſicut enim puella non poteſt matrimonio iungi quandiu negat conſenſum, quandiu dicit non, licet multis ſollicitationibus importunè vrgeatur & perturbetur: ita voluntas Diabolo non poteſt obligari quandiu dicit non, & licet vrgeatur per lenocinantis voluptatis ſenſum, quandiu negat conſenſum nihil in eam poteſt Dæmon: *Illius quidem eſt ſuadere* (inquit Chryſoſt.) *ſed noſtrum eſt perſuaſiones eius per legis obſeruantiam ſuperare*, propterea nemo culpam ſui caſus & interitus Diabolo aſcribere poteſt, quaſi ipſe ab illo ad hoc vel illud peccatū coactus & attractus fuerit, ſed ſibi ipſi malum illud debet aſcribere, quia ex propria & deliberata voluntate, ſuggeſtionibus Diabolicis conſentit, & eis locum dat, contrà id quod habet Apoſtolus[a]: *Nolite locum dare Diabolo.* Locus (inquit Sanctus Thomas [b]) datur Diabolo per conſenſum voluntàtis; ideoque nullum locum in nobis ille habet, niſi quem libero noſtræ voluntatis conſenſu, ei conceſſerimus. Ipſemet Dæmon id benè nouit, cùm illud indicauit Sancto Antonio; ipſe enim ſemel huic ſancto viro occurrens, conquerebatur quòd omnes homines ſibi maledicerent, Reſpondit Sanctus Antonius, id meritò & ſuâ culpâ fieri: *Quia tu* (inquit) *omnes vexas & turbas*, cui Dæmon, *ego nihil efficio, quia in nolentem nihil poſſum, ſed ſi ipſi ſeipſos adinuicem perturbant, ipſi ſuo in ſuggeſtionem conſenſu, ſibi mali ſunt authores*; & ſic præclarè dicit S. Chryſoſt, *Chriſto non dicit, mitto, ne vim facere videatur, ſed mitte te deorſum dicit, vt oſtenderet, quòd vnuſquiſque noſtrum libertate arbitrij voluntatis ſuæ culpa cadit in mortem.*

Hom. 5. in va-ryis in Matth.

a *ad Epheſ. 4.*

b *In cap. 4. ad Epheſ.*

Locum dare Diabolo quid ſit.

Loco citato

SECTIO V.

Allegat Dæmon malè ſcripturam, vt Chriſtum ad ſe præcipitandum inducat, at aliam ad rem facientem, adducit ipſe Chriſtus.

Dæmon ſcripturam allegat, vt Chriſtum ad ſe præcipitandum inducat.

Pſalm. 90.

Hom. 5. ex diuerſis in Mat.

DÆMON maximè exoptans aſſequi quod de Chriſto intendebat videlicet vt ſe deorſum mitteret, & ſic ab omnibus illum videntibus, in maiori admiratione & veneratione haberetur, locum Sacræ Scripturæ ex Pſalmo nonageſimo deſumptum allegat: *Scriptum eſt* (inquit) *quia Angelis ſuis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. O nefanda artis aſtutia* (clamat Chryſoſt.) *& damnanda temeritatis audacia! qui viderat ſe à Domino reſponſo legis fuiſſe percuſſum, iam non tantùm nequitiæ ſuæ armis vtitur, in quibus inutilis repertus eſt, ſed & ipſe legis teſtimonium mutuatur, & inde tentat vincere, vnde dolebat ſe fuiſſe iam victum, & qui audierat ſcriptum eſt, audet dicere ſcriptum eſt.* Aduertendum autem, hanc Diaboli tentationem allegando ſcripturam, fuiſſe fatuam, & irrationabilem; fatuam quidem, quia ſi Chriſtus præcipitaſſet ſe de pinnaculo, nemo credidiſſet hoc eſſe deuotionis ſignum, ſed potiùs fatuitatis & vanitatis; irrationabilem verò, quia irrationabile valdè eſt, vt ille qui ratione omnia gubernat, ſine aliquo profectu præcipitet ſe de alto. Prætereà authoritas quam in medium adduxit, eſt inſufficiens propter tria: primò quidem quia ex hoc quod dicitur: *Angelis ſuis*, &c. non probatur, vt ait Chryſoſt. quod Chriſtus ſe debeat præcipitare: ſecundò authoritas eſt incompleta, eamque Dęmon truncat & mutilat in duobus: primò quia malitioſè omiſit verba: *Vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis*, quia ad præcipitium, non ad viam hortabatur, inquantum volebat vt ſe Chriſtus pręcipitaret, pręcipitia enim non ſunt viæ, in quibus nos cuſtodiant Angeli; quod ſcitè habet S. Bernard. *Quid* (inquit) *mandauit? nempè quod in Pſalmo ſequitur, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis, nunquid in præcipitijs? non eſt via, ſed ruina, & ſi via tua eſt, non illius*: ſecundò eſt authoritas hæc incompletè à Dæmone adducta, quia tacuit illud quod ſequitur: *Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis & conculcabis leonem & draconem*; ipſe enim Diabolus ſecundùm Origenem eſt aſpis, eſt leo, eſt draco, &

Quàm fatua & irrationabilis fuit ſcripturæ allegatio à Sathana, & ob quid.

Malè Dæmõ ſcripturam allegat, & ob quid.

In Pſalm qui habitat, ſerm. 14.

Hom. 31.

eo, & Baſiliſcus, & omnium ſerpentium regulus, nocentiora habens venena quàm cęteri. Non ſolùm autem Chriſtus in tentationibus hunc ſerpentem conculcauit, verùm etiam id poteſt quicumque iuſtus Dei gratiâ adiutus. Dęmon igitur citauit ſcripturam ſacram diminutè, tacens illud tanquam aſtutus, quòd ſibi contrarium videbatur, & ſolùm referens quod ſuo aptum videbatur inſtituto. Et rectè Origenes de eo dicit: *ſilet & tranſit verſiculos qui contrà ſe ſcripti ſunt.* Et S. Hieron. *de ſua conculcatione quaſi tergiuerſator tacet.* Ita in Pſalmum ſuprà citatum hoc idem faciunt, hodie membra eius, hoc eſt hęretici; dum peſtilentes errores ſuos, verbis Sacræ Scripturæ tum mutilatis tum deprauatis fulciunt, vt ſimplices decipiant. Tertiò hęc auctoritas non eſt ad propoſitum & ad rem de qua agebatur, nam filius Dei (inquit Chryſoſt.) Angelorum manibus non portatur, ſed ipſe magis Angelos portat & omnem creaturam; Vnde Apoſtolus, *Portans omnia verbo virtutis ſuæ.* Intelligitur autem hęc auctoritas de quolibet viro ſancto & iuſto, qui Angelorum auxilio indiget, non verò de Chriſto qui maior eſt Angelis, & meliùs ipſis hęreditatem conſequutus eſt & nomen. *Nulli enim*, ait Apoſtolus, *vnquam Angelorum dixit Deus, filius meus es tu, ego hodie genui te.* Hanc auctoritatem ſatis latè expoſuimus in Tractatu de Angelis; ſed ſolùm hic addimus, quòd ſi cuſtodiant nos Angeli in omnibus vijs noſtris, non tamen in pręcipitijs, vt ſuprà monuit S. Bernardus, nam ô peccator, ſi ad ſupplicia temerè diuertere velis, & ad illa tendas, nequaquam ſperes, vt cuſtodiant te Angeli, quinimo te deſerent; ſi tu iuuenis graui te periculo exponis, vt tuæ ſatisfacias libidini; ne credas quòd quantumcunque te Angelo commendes, adſit tibi in re iniuſta fauorem pręſtiturus; ſi tu virgo contrà legem Dei, parentumque obedientiam, matrimonium clandeſtinè machinaris, & te pręcipitem das; ſi tu immoderato ludo totaliter intendis; ſi tu ambitionem tuam ſequens, Regum frequentas curias, maiores expenſas faciens, quàm tuæ facultates permittant; ſi tu familiarem cum aliena vxore conſuetudinem contrahere contendis; hęc pręcipitia ſunt, in ijs ne ſperes quòd Deus mittet Angelum ſuum qui te cuſtodiat, quinimo miſerè rues, & pedem tuum, imò te totum ad lapides multos allides & offendes, ſicque peribis, ac proindè tibi proſpicias. Aduerte autem hîc quòd quemadmodùm ipſe Dęmon inducebat Chriſtum vt ſe demitteret, ei pręidicens ex Scripturis Sacris, nullum incurſurum periculum, propterea quòd ex Dei mandato Angeli illum manibus ſuſtinerent: ita ſolet homines inducere, vt ſe à virtutis ſtatu demittant ad ima vitiorum, ſcriptum eſt enim quoniam Deus

In cap. 4. Matth. & in Pſalm. 90.

Hom. 13. in Matth.

Hebr. 1.

Ibidem.

Peccatores cuiuſcumque generis ſe præcipites dant.

Dæmon homines inducit, vt ſe à virtutis ſtatu demittant.

eſt miſericors, qui poſuit Angelos, ſacerdotes ſcilicet & miniſtros Sacramenti pœnitentiæ in ingenti numero, qui te manibus excipient, vt peccatum nullatenùs te offendat, nec exitium inferat, *Mitte te deorsùm*, nam ſcriptũ eſt, *in quacumque hora ingemuerit peccator omnium iniquitatum ſuarum non recordabor.* Sed ſicut Chriſtus vt vim vi repelleret, & clauum clauo truderet, contrà ſcripturam extrà propoſitum à Dęmone allegatam, in medium adducit ipſe ſcripturam ad rem facientem, & ait illi. *Rurſum ſcriptum eſt non tentabis Dominum Deum tuum:* ita ei oppone ſcripturam; *Perdes omnes qui operantur iniquitatem*; & item; *Ira eius in peccatores reſpicit.* Et deinde; *Vultus Domini ſuper facientes mala.* Ac denique oppone illi eandem ſcripturam quam allegauit Chriſtus; *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Tentaret enim Deum ille qui ſub ſpe veniæ & facilis abſolutionis à Sacerdotibus, in peccatum laberetur. Sed quid eſt propriè Deum tentare? dicitur homo Deum tentare, quando vult per miraculum obtinere quod naturali viâ obtineri poteſt, vt Dei virtutem experiatur, & quando à Deo ipſo vult fieri, id quod per cauſas ſecundas, ſecundùm naturæ curſum à Deo ſtatutas, poteſt obtinere, & hoc eſt peccatum, ait ibi Lyranus, *Vtere,* inquit, *medijs ordinarijs, nec ea neglige.* hanc doctrinam egregiè latèque proſequitur S. Auguſtinus, & hanc celebrem habet propoſitionem; *Pertinet ad ſanam doctrinam, vt quando habet quod faciat homo, non tentet Dominum Deum ſuum,* ſicut verbi gratiâ verè agricola Deum tentaret, qui cùm poſſet meſſes colligere terram colendo & ſerendo, his omiſſis actionibus, vellet miraculoſè à Deo ſibi eas exhiberi; Prędicator item qui cùm poſſet per ſtudium concionem pręparare, nullo pręcedente ſtudio, eam agere aggrederetur; ille quoque tentaret Deum & eius potentiam, qui ſe exponeret periculis quæ poſſet vitare, vt experiretur an Deus illum eriperet. Item Deum tentaret qui ſine gubernaculis mare ingrederetur; Prætereà illum tentaret qui in morbis periculoſis, aut tempore infectionis mali aëris ſeu peſtis, non vteretur medijs ad ſe conſeruandum, ſperans quòd Deus illum miraculoſè aut ſanaret aut conſeruaret: ac denique ille Deum tentaret qui de eminenti quodam loco ſe pręcipitaret dicẽs, videbo ſi Deus auxiliabitur mihi: hoc modo Dæmon Chriſto ſuadebat vt de pinnaculo templi ſe præcipitem ageret, quia eum Angeli erant ſuſtentaturi; at ſi id præſtitiſſet, Deum tentaſſet; vnde reſpondet; *Scriptum eſt non tentabis Dominum Deum tuum*; poterat enim Chriſtus ex illa eminentiori parte templi per communem ſcalam deſcendere, hæc patens erat deſcendendi via, ideoque ſi eâ relictâ voluiſſet deſcendere ſe demittendo,

Deut 6.
Pſalm. 5.
Eccleſ. 5.
Pſalm. 33.

Opponenda Dæmoni ſcriptura.

Tentare Deũ quid ſit, & quomodo illum multis modis homines tentent.

Lyran. in c. 4. Matth.

Lib. 22. contra Fauſtum c. 35.

ſperans ab Angelis ſuſtentationem, verè Deum tentaſſet, & ideò ait Dæmoni, *non tentabis, &c.* Bene igitur ad ſanam doctrinam pertinere dicit S. Aug. vt quando homo habet quod faciat, non debet Dominum Deum ſuum tentare. Iuxta quam multi ſunt, qui Deum tentare videntur, tu videlicet, qui quæris vt Deus Angelos mittat ad portandum te in cœlum, cùm tibi ſit patens ſcala mandatorum, quam cùm tenere poſſis, ne quidem vis eam attingere: tu itidem Deum tentas qui te demittis voluntariè ad occaſiones peccati, ſperans quòd Deus manibus ſuis te ſuſtentabit, ne offendas ad lapidem pedem tuum, cùm tibi pateat ſecuritatis via quam poſſis tenere, tales fugiendo occaſiones: tu pariter tentas Dei ſapientiam, ſi abſque ſtudio vel doctrina maiorum, vis per teipſum ſapere & alios docere, quod proprium eſt hæreticorum; tu tentas eius bonitatem, dum poſt tot commiſſa aduerſus illam peccata, tu emendationem vitæ procraſtinas, & differs de die in diem; tu denique tentas eius patientiam, perſeuerando in peccatis tuis: tentas eius clementiam dum negligenter oras, & ſine deuotione. Nota illud Eccleſiaſtici: *Ante orationem præpara animam tuam, & noli eſſe quaſi qui tentat Deum;* Tu denique tentas Dei iuſtitiam, dum precaris illum, quò de inimicis tuis vindictam ſumere poſſis: vnde duo Apoſtoli reprehenduntur à Chriſto dum aiunt: *Vis dicemus vt ignis deſcendat de cœlo?* Tot & multis alijs modis tentatur Deus; & propterea cùm Dæmon ſuaderet Chriſto vt Deum tentaret, præcipitando ſe deorſum, quia non erant defuturi Angeli qui illum ſuſtentarent, præclarè reſpondit, *Non tentabis, &c. Ex hoc autem reſponſo incertus Dæmon*, ait S. Chryſoſt. *ad tertiam tranſiit tentationem, dixit enim apud ſe; Tria hæc retia habeo extenſa ſuper omnem mundum, vt quiſquis euaſerit de retibus gulæ, incurrat in retia vanæ gloriæ, qui euaſerit de retibus vanæ gloriæ, incidat in retia auaritiæ: hic autem iam retia gulæ dirupit, & retia vanæ gloriæ tranſiuit: ponam ei nunc retia auaritiæ, & oſtendam illi omnia regna mundi; ſi concupierit ea, ſcio quia homo eſt, ſi autem contempſerit ea, ſcio quia filius Dei eſt, nec enim poteſt deſiderare quæ ipſe creauit, nec delectatur terrenis qui fruitur cœleſtibus.* Hæc Chryſoſtom. Ideò Dæmon ad tertiam ſe accingit tentationem, de qua in ſequenti Sectione.

Loco citato.

Eccleſ. 18.

Luc. 9.

In operis imperf. Matth. hom. 5.

SECTIO VI.

De tertia Chriſti tentatione à Dæmone.

ITERVM aſſumpſit eum Diabolus in montem excelſum valdè, & oſtendit ei omnia regna mundi & gloriam eorum, & dixit ei; *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me.*

Num 23. & 24. Legimus Balaamum Ariolum omnes vires ſuas applicaſſe, vt populo Dei malediceret, id autem in primo congreſſu conſequi non valens, loca mutabat, & ad aliam partem diuertebat, inſtigante Rege *In lib. Num.* Balaac qui credebat (vt ait Rupert.) ex mutatione locorum mutandam populi fortitudinem, & quòd quem ex vna parte fortem inuenerat, ex alia deprehendere poſſet infirmum; igitur ſecundò & tertiò loca mutauit; ita Dæmon volens ſuperare Chriſtum, loca mutauit, videns enim ſe illum circa gulam in deſerto vbi deerat panis, vincere non potuiſſe; tulit eum in Sanctam Ciuitatem quæ valdè populoſa erat, vt ad inanem gloriam induceret; & cernens ſe iterùm à Chriſto victum, locum tertiò mutat, ducens eum in montem excelſum, & promittens omnia regna mundi, ſi eum adoraret, & hoc vltimo loco, ſupremam fortioremque tentationem extruxit, & omnem ſuam euacuauit poteſtatem, vt aiunt Chryſoſt. [a] & Ephrem [b].

Tertio Dæmon Chriſtum tentat, & quomodo.

a Hom. 13. in Matth.
b Lib. de pæn. ante medium.

Quiſnam autem fuerit ille mons ſuper quem Diabolus duxit Chriſtum, non conueniunt inter ſe multi Doctores: Non pauci opinionem eorum qui terram Sanctam deſcripſerunt ſequuntur, qui quidem notant illum montem eſſe vicinum deſerto Quarantanæ, vbi ieiunauit Chriſtus, & gulâ tentatus fuit à Diabolo, vnde illum vocant Diaboli montem: Valde notanda ſunt Adrichomij verba in deſcriptione terræ Sanctæ: *Mons Diaboli* (inquit) *diſtat duobus milliaribus à Quarantana; eſt à latere Bethel & Haï auſtrali: in eum deductus fuit à Sathana Chriſtus cùm oſtenderet & adpromitteret illi omnia regna mundi ſi procidens adoraret ſe.* Sic Brocardus & Bredenbachius in deſcriptione terræ Sanctæ. Non reſpuunt alij opinionem eorum qui volunt hunc montem fuiſſe Nebo, qui erat eminentiſſimus in campeſtribus Moab, vltrà Iordanem, in quem Deus duxerat Moyſem, vt illi promiſſionis terram oſtenderet, ibique mortuus eſt. Sed quidquid ſit, ex illo monte, *oſtendit*, Dæmon Chriſto, *omnia regna mundi, & gloriam eorum*: in Hebræo gloria di-

Quiſnam fuerit ille mons ſuper quem Dæmõ duxit Chriſtum.

P. 19. Num. 90.

Deut. 33.

citur *Chabod*, quæ vox ſignificat id omne quod illuſtre eſt & ſplendidum, vt ſunt diuitiæ, deliciæ, honores, dignitates, & quidquid conducere poteſt, vt aliquis inclytus excellenſque appareat: qua voce filij Laban vſi ſunt de Iacob loquentes: *De illius* (ſcilicet Laban) *facultate ditatus, factus eſt inclytus*. In Hebræo, *fecit gloriam*. Oſtendit ergo Chriſto Diabolus omnia regna mundi & gloriam eorum, id eſt quidquid in eis eſt ſplendidum, illuſtre, glorioſum, fulgidum, honorificum, &c. ſcilicet, vrbium ſplendorem, gentium multitudinem, terrarum pulchritudinem, Regum, Principumque opes, famulos, veſtes, rhedas, exercitus, palatia, triumphos, & quicquid in quolibet erat ſpecioſum & magnificum, vt ea concupiſceret, & concupiſcens, ſibi promittentem adoraret; at cùm Chriſtus omni concupiſcentiâ eſſet liber, & proindè omnia terrena deſpiceret, nulla horum omnium cupiditas, eius animum pupugit.

Geneſ. 31.

Per mundi regna &c. quę Chriſto oſtēdit Dæmon, quid intelligendum.

Sed notemus hic Dæmonem more ſuo agere, Chriſto oſtendens ſolùm id quod erat gloriæ & ſplendoris exteriùs fulgentis & nitentis in regnis mundi, non verò dolores, afflictiones, moleſtias, angores, timores, anxietates, curas, lacrymas, oppreſſiones, ſuſpiciones, difficultates, & alia innumera mala quibus ipſe abundat, & plenus eſt: nam S. Ioannes rectè ait: *Totus mundus in maligno poſitus eſt*; hæc ſemper molitur Diabolus, ſic peccatores decipere feſtinat, eis voluptates, gloriam, & ſplendorem in regnis, principatibus, & alijs ſimilibus præeminentijs oſtendendo: triſtitias verò, dolores, moleſtias, &c. ab eorum mentibus longè faciendo. Mulier illa, quæ Babylon vocatur, habebat poculum aureum in manu ſua, plenum abominatione, & immunditijs; poculum aureum oſtendit Diabolus, latentes abominationes non detegit; ſunt nempè mundi honores, diuitiæ, voluptates, ſicut vuæ acerbæ, & poma viridia, atque immatura, quibus dentes comedentium obſtupeſcunt, ſed ſpeciem tantùm & viriditatem Diabolus oſtendit, acerbitatem tacet. Ad hoc demonſtrandum Rex Salomon (vt habet S. Chryſoſt.) poſtquam omnia comprobauit, librum edidit Eccleſiaſtes, hoc eſt concionatoris, in quo oſtendit, experientiâ ſe didiciſſe cuncta quæ in mundo ſplendida & glorioſa apparent, eſſe laboribus & triſtitijs plena: *Vidi* (inquit) *cuncta quæ fiunt ſub ſole*, (hoc eſt in vniuerſo mundo) *& ecce vanitas & afflictio ſpiritus*: quod inductione ab ipſamet experientia deſumpta elegantiſſimè proſequitur; exponit namque ſe pecunias innumeras auri & argenti coacervaſſe, & ſubſtantias Regum & Prouinciarum obtinuiſſe, delitijs cunctis vacaſſe, omni ciborum genere fuiſſe oblectatum, innumerâ ſeruorum multitudine ſeptum, ædificaſſe domos, plantaſſe vineas, feciſſe hortos, & pomaria conſeuiſ-

Mundi gloriam honores, &c. oſtendit Chriſto Dæmon at non dolores, afflictiones, &c.

1. Ioan 5.

Apoc 17.

Hom. 55. ad populum.

Eccleſ. 1.

Eccleſ. 2.

ſe, & conſeruiſſe eâ cuncti generis arboribus, extruxiſſe piſcinas aquarum, poſſediſſe ſeruos & ancillas, multamque familiam habuiſſe, armenta quoque & magnos ouium greges, feciſſe ſibi cantores & cantatrices, ſcyphos, & vrceos ad fundenda vina: *Et omnia* (inquit) *quæ deſiderauerunt oculi mei, non negaui eis, nec prohibui cor meum quin omni voluptate frueretur, & oblectaret ſe in his quæ parauerant, &c. vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi*; & quod Salomoni contigit, illud idem Regibus & Principibus contingere ſolet, cunctiſque alijs qui mundi nitent gloriâ; difficilè eſt enim explicare quibus doloribus torqueantur, quantis & quàm innumeris anxietatibus & curis affligantur, quod ampliùs oſtendit idem Salomon: *Verti me ad alia*, inquit, *& vidi calumnias, quæ ſub Sole geruntur* alij legunt oppreſſiones, circunuentiones, fraudes *& lacrymas innocentium, & neminem conſolatorem, &c.* Mos ergo Dæmonis eſt, ſolùm gloriam fulgentem & nitentem oſtendere, non verò tot mala quæ ſub tali gloria abſcondita latent: vnde perbellè ait S. Gregor. *Hic Dæmonis eſt mos, quòd vt trahat animas hominum, ea tantum illis oſtendit quæ voluntati eorum poſſunt placere, allicereque eorum appetitum, ſub quibus grandia multaque abſcondit mala quæ incurrant*: ita explicat de eo illud Pſalmiſtæ: *Sub lingua eius labor & dolor.* Linguam eius vocat inſtigationem ſuaſionemque illius, quam facit proponendo ſolummodò ea quæ videntur bona, ſub quorum ſpecie abſcondit, laborem & dolorem, qui in eis inuenitur, & mala ad quę pertrahere conatur, ſicut piſcator ſub ſpecie cibi conuenientis quem oſtentat, abſcondit hamum quo piſcem capiat; & ideò cauendum & ſibi proſpiciendum.

Eccleſ. 4.

Lib. 14. Moral. cap. 5.

Quomodo Dęmon Chriſto mundi regna oſtendit

Quomodo autem Chriſto Dæmon oſtenderit omnia mundi regna & eorum gloriam, non omnes conueniunt. S. Chryſ. [a] Euthimius, & alij, cum S. Thoma [b] aiunt ideò Dæmonem Chriſtum duxiſſe in montem excelſum, vt ex eo cuiuſque regni, ſi non ita expreſſè, ſaltem confuſè, plagam & ſitum oſtenderet: verbi gratiâ dicendo & quaſi digito indicando, verſùs hanc partem eſt Regnum Perſarum, verſus iſtam, eſt Romanorum Regnum, ibi ſita eſt Syria, ibi Africa, illic Aſia, iſtic Europa, hîc Iudæa, & ſic de alijs. Franciſcus Lucas putat Dęmonem omnia regna Chriſti oculis obieciſſe per artem perſpectiuæ, vel opticæ, cuius ipſe eſt peritiſſimus; alij alio modo rem exponunt, ſed tot diuerſis opinionibus dimiſſis, in illam quæ eſt doctiſſimorum etiam modernorum deſcendo, qui quidem poſt Theophylactum & Ianſenium, docent Dęmonem inſtar pictoris omnium regnorum imagines & ſimulachra ex aëre condenſato, per varias fulgoris ſolis refractiones, vti fit in Iride, nouo quodam mo-

a *Hom. 5. in c. 4. Matth.*

b *3. p. qu. 41. art. 4.*

do repræſentaſſe; & quaſi pinxiſſe, feciſſeque vt per eas omnia quæ in regnis erant, ſplendida atque glorioſa apparerent, & Chriſti oculis obijcerentur. Hoc modo repręſentat Diabolus Sagis Palatia illuſtriſſima, omnibus mundi ornamentis excellentia, quę ſubitò diſparent: ſic idem Diabolus in aëre certâ arte illum denſandò, contemperando, & inficiendo, pinxit multa ſpectra & horribiles figuras, vt leonum, ferarum, ſerpentum, & monſtrorum, eaque oculis Sancti Antonij obiecit vt eum terrefaceret, vt notauit S. Athanaſius in eius vita; ita B. Antoninus refert idem S. Catharinæ Senenſi acci- diſſe. Ita ergo credunt hi authores, quibus aſſentio, Diabolum oculis Chriſti exteriùs omnium regnorum, ciuitatum, hominum &c. ſpecies ex aëre denſato & vaporibus efformaſſe, vt apparerent vera mundi regna, veraque eorundem gloria & magnificentia, prout in mappa aliqua geographica mundus à nobis conſpicitur; *oſtendit autem illi in momento*, vt ait S. Lucas, hoc eſt breuiſſimo tempore, ſecundùm communem ſcripturæ locutionem, quâ per Iſaïam ait Dominus, *Ad modicum, in puncto*, (id eſt per breue tempus) *dereliqui te.* Ita Euthimius [a] S. Ambr. [b] docet ideò in momento Diabolum regna mundi Chriſto oſtendiſſe, quia in momento hoc eſt breui tempore, cuncta illa prętereunt, & ſæpè honor ſæculi abijt antequam venerit [c]: *Mundus tranſit & concupiſcentia eius.* Hoc Ethnicus Seneca benè perpendit, dùm ſic ſcribit, *quid miraris? quid ſtupes? omnes huius mundi diuitias? pompa eſt, oſtenduntur iſtæ res, non poſſidentur, & dùm placent, tranſeunt.* In momento ergò ſubſiſtunt, & finem accipiunt, quia non poſſidentur niſi tempore præſenti, tempus autem pręſens vnico ſolummodò inſtanti ſubſiſtit; & ſi ab ipſo humani generis exordio (inquit Greg.) vſque ad hoc tempus in quo ſumus, mentis oculos ducimus, omne quod finiri potuit quàm breue fuerit videmus; ponamus enim quemlibet hominem primo die mundi conditum, vſque ad hodiernum diem vitam duxiſſe; hodie tamen eandem vitam quam quaſi longam ducere videbatur, finire, ecce finis adeſt, præterita iam nulla ſunt, quia cuncta tranſierunt; futurum in hoc mundo nihil eſt, quia nullum ad vitam vel breuiſſimum reſtat momentum, vbi eſt ergo longum tempus, quod inter initium finemque deprehenſum, ita conſumitur, ac ſi nec breue vnquam fuiſſet? Hæc Greg. Vnde Iob, *Gaudium hypocritæ adinſtar puncti*, id eſt ad momentum vel inſtans; quaſi diceret, gaudium mundi quo hypocrita exultat, repentè extinguitur, & euaneſcit quaſi ſcintilla, quæ hoc ipſo quòd ſuccenſa ſplendorem emittit, extinguitur & abſumitur: quod & impij ipſi etiam fatentur, *nos nati continuò deſinimus eſſe*, hoc eſt adinſtar puncti, nullâ intercedente morâ, quaſi

S. Antoninus 3. p. histor. tit. 23.

Luc 4.

Iſaiæ 26.

Dæmon regna mundi Chriſto oſtẽdit in momẽto, & quid hoc denotet.

[a] *In cap. 4. Matth.*

[b] *Lib. 4. in c. 4. Lucæ.*

[c] *1. Ioan 2.*

Seneca epiſt. 110.

S. Gregor.

Quàm ſubitò eſſe deſinant homines.

Iob 20.

Sapient. 5.

non maiorem durationem contraxerit gaudium, quàm efformatio puncti in continuo. Ita S. Gregorius. In hoc ergò quod Euangeliſta notauit, Dęmonem ſubitò & citiùs quàm omnes necromantici poſſent operari, regna mundi & eorum gloriam Chriſto oſtendiſſe, & illius oculis obieciſſe, apertè voluit deſignare quàm exiguæ entitatis omnia illa ſint, quæ tam facilè breuiſſimoque inſtanti, luſtrari poſſunt; vnde etiam vniuerſa illa pompa illicò diſparuit. Iuxta iſtam ſententiam, credit & appoſitè quidam vir eruditiſſimus, innumeras Dæmonum legiones aſtitiſſe ſuo Principi famulaturas, quem videbant in prioribus congreſſibus ſuperatum, quæ omnes ex aëre varia omnium regnorum expreſſerunt ſimulachra, & omnes ciuitates eorum pulcherrimas ita expreſſerunt, vt quidquid in vnoquoque regno & in quâcumque ciuitate, pretioſum, ſplendidum, concupiſcibileque eſſe poterat, fulgentiſſimum coram Chriſti oculis exhibuerint; vt omnia regna mundi & eorum gloriam manifeſtè conſpicere videretur. Illic, Romam exhibebant triumphantem, iſtic, Babylonem pulcherrimis muris cinctam, & ampliſſimis palatijs conſtantem; ex illa parte, regnum Ophir auro ſplendidiſſimo abundans; ex iſta, regnum aliud illuſtriſſimum, &c. Regna itidem repręſentabant; nobiliſſimis clariſſimiſque plena viris, & innumerâ hominum multitudine redundantia, fontibus ornata limpidiſſimis, fertiliſſimis nemoribus circundata, exeultiſſimis hortis inſignita, in quorum agris ingentes pecudum copiæ apparerent; mare ſimiliter triremibus & omnis generis nauibus opertum; inſulas etiam, &c. Et iudicabat Dæmon, quòd ſi Chriſtus eſſet homo tantùm, validè poſſet illum inducere ad ſui adorationem, cùm vniuerſa mundi regna tam illuſtria, cum omni quam conſpiciebat gloria, tam liberaliter offerret; nam homines vnius tantùm regni cupiditate, ad quodcumque facinus impelluntur; omniaque ſibi licere vt regnent cenſere ſolent. Hunc dicendi modum tenet S. Chryſoſtomus, quem breuibus verbis concluſit S. Bonauentura, *Omnia*, inquit, *concupiſcibilia, in quibus & per quæ homines regnant oſtendit.* neque incongruum eſt credere, Dæmones omnia prędicta repræſentantes, ſupremo illi eorum Principi, varijs & plurimis reuerentiæ ſignis fuiſſe obſequutos, & ea ſubiectionis & obſequij ſigna dediſſe, quę coram legitimo rege regna ſolent exhibere, vt validiùs hoc ipſo perſuaderet Chriſto ſe illorum regnorum omnium, plenum Dominium & poteſtatem accepiſſe; id ſiquidem indicare videntur verba illa quæ apud S. Lucam Diabolus dixit: *Tibi dabo poteſtatem hanc vniuerſam, & gloriam illorum;* hoc eſt omnimodam regendi authoritatem; quaſi diceret iuxta mentē S. Bonauenturæ, *Tibi dabo vt habeas hoc Dominium poteſtatis, & præ-*

Dæmones Regnorū, &c. ſimulachra ex aëre efformarunt, dum ab eorū Principe Chriſtus tentaretur.

S. Chryſoſt. S. Bonauent. in c. 4. Luc.

Dæmones ſuo Principi reuerentiam exhibentes, & ob id.

Luc. 4.

S. Bonau. loco citato.

& præconium laudis, vt tibi illud exhibeatur, ſicut vides mihi exhiberi. Vt ergò ad ſui adorationem Chriſtum induceret, ait illi: *hæc omnia tibi dabo, &c.* & S. Lucas addit, *quia mihi tradita ſunt & cui volo do illa: Tu ergo procidens ſi adoraueris coram me, erunt tua omnia.* Dilemnate acutiſſimo apud ſe Diabolus agebat; aut hic eſt verus Filius Dei, aut purus homo; ſi Dei Filius eſt, certum eſt quòd non ſuſtinebit me ſuperbientem, & poſtulantem adorationem ſibi ipſi ſoli debitam; ſi autem purus homo eſt, vtique tam ingenti bonorum & honorum copiâ allicietur, ad id præſtandum quod tam facilè & breui tempore, & ſine labore facere poteſt, ſcilicet me adorare.

Dæmonis dilemma.

SECTIO VII.

Mendacem ſe exhibet Dæmon in promiſſis ſuis.

SED vide ventoſa Dæmonis verba, iactat enim ſe poteſtatem & authoritatem ſuper omnia regna habere, & ſe illam Chriſto conceſſurum modò illum adoret, *In quo ſeipſum*, ait S. Chryſoſtomus, *exhibet & facit legitimum & naturalem Dei filium, omnium rerum creatorem, & totius mundi gubernatorem, cui omnia tradita ſunt: qui & propterea tanquam legitimus omnium Dominus, poſſit in quemcumque vſum, ad ſuam voluntatem omnia conuertere.* Egregiè S. Irenæus [b] hæc Diaboli verba expendit, & eius detegit mendacia, ſicut mendax eſt ab initio, quæ tria ſunt. Primum eſt, cùm ait nimiâ arrogantiâ ad ſe pertinere omnia, reclamante Domino ac dicente in Pſalmis, *meus eſt orbis terræ, & plenitudo eius.* Quod Sancta Anna declarat, in lib. 1. Regum, *Domini namque ſunt cardines terræ, & poſuit ſuper eos orbem;* id eſt ipſius ſunt omnes præcipuæ partes terræ, Oriens, Occidens, Meridies, atque Septentrio, ſuper quas tanquam ſuper fundamenta quædam, totum reliquum orbem conſtituit, ac proinde in ſua poteſtate habet omnia pro libito ſuo in hoc mundo diſpenſare atque commutare. Alterum Dæmonis mendacium eſt, quòd omnia pro ſuo arbitratu queat elargiri, & hoc eſt quod ait idem S. Irenæus, ipſum mentiri in eo quòd dicit ſe dare regna cui vult, *cui volo do illa*, cùm æterna ſapientia dicat. *Per me reges regnant, per me principes imperant*, hoc eſt Daniele teſtante, *Deus transfert regna, atque conſtituit.* Suffragatur Apoſtolus, *non eſt poteſtas niſi à Deo.* Mentitur ergò Dæmon dum ait Chriſto, ſua eſſe mundi regna, ſeque illa poſſe dare cui voluerit, cùm Dei ſint quæ ipſe

Hom. 13. in Matth.

b *Lib. 5. contra hær. à cap. 21. vſque ad c. 24.*

Quamplura Dæmonis in ſuis promiſſis mendacia.

Pſal. 49.

1. Reg. 2.

Dæmon cuncta ad ſe pertinere ait, etiam ſi de facto nihil poſſideat.

Dæmon nihil poteſt elargiri, cùm nihil habeat, latè id oſtenditur.

Lib. cit. cap. 24.

Prou. 8.

Dan. 2.

Ad Rom. 13.

gubernat, dat, & transfert; quòd ſi regna habeat Dæmon, ſunt ipſa vitia, ipſe enim eſt Rex ſuper filios ſuperbiæ, *in his regnas*, (inquit Cyprian. [a]) *quos inquinas, & in his quos polluis, dominaris.* Quod & S. Auguſt. [b] tradidit exponens Apoſtolum ad Epheſios, qui vocat Dæmones principes, poteſtates, & rectores mundi tenebrarum harum, *Ne fortè* (inquit) *cùm dixiſſet* (mundi) *intelligeres Dæmones eſſe rectores cæli & terræ; mundi dixit tenebrarum harum, mundi dixit amatorum mundi; mundi dixit impiorum & iniquorum; mundi dixit de quo dixit Euangelium, & mundus eum non cognouit.* Huius igitur mundi Dæmon eſt Rex & Princeps, prout etiam docet ipſe Chriſtus, *Princeps huius mundi eÿcietur foras.* Sed ſi de mundo hoc ſenſibili, ſi de regnis, prouincijs, & ipſorum gloria ac magnificentia, ſi de honoribus, diuitijs, pecunijs & alijs huiuſmodi ſermo ſit, nihil horum habet pręter verba inflata, ventoſa, & inania promiſſa, ſicque nihil dare poteſt. Quod oſtendit Michaël Pſellus in lib. de Dæmonibus, vbi ait: & ſi Dæmonia diuitias nobis & gloriam promittunt, nihil tamen ex ſe tradere poſſunt: quippe cùm imperium nullum habeant; ſed viſu tantùm quędam inania ſuis cultoribus afferunt, varia prorſùs & inſtabilia. Sic innumerabilibus proceſſibus conſtat quòd maleficis in principio ſubuerſionis, pecunias argenteas (ſicut etiam S. Antonio Sportam argenteam oſtendebat) promittat, oſtendat & det, quas cùm putant ſe habere, & eis volunt vti, pecuniæ reſolutæ ſunt in ſtercora equorum, aut aliam vilem materiam. Ita Binsfeldius, de Confeſſionibus maleficarum, refert Ioannem Cuno filium Annæ de Rouer, quæ ſaga erat, & eum ad tantum crimen induxerat, recepiſſe in auri ſpecie quatuordecim coronatos à quodam Dęmone, qui cuiuſdam filiæ quam dictus Cuno amabat, formam aſſumpſerat, quam quidem pecuniam tandem conuerſam in putredinem ſe repeiſſe, coram iudicibus faſſus eſt. Et ſic apparet Dæmonem verba ſolùm habere ventoſa, & nihil eorum quæ promittit dare poſſe; & ideo in eum egregiè quadrat illud Prouerbiorum, *Nubes, & ventus, & pluuiæ ſubſequentes, vir glorioſus, & promiſſa non complens.* Videbis in æſtate nubem atram extenſam, emittentem ſonora tonitrua, & fulgentiſſimas coruſcationes, quæ abundantiſſimam aquæ copiam promittere videtur: & quidem homo inſipiens qui Philoſophiæ regulas neſcit, talibus tonitruis & fulgurationibus motus, aquam certò euenturam ſperat; qui tamen ſapiens eſt, irridet huiuſmodi indicationes, nouit enim nubem illam non habere in ſe niſi partes ſiccas, & exalationes aridas & ardentes, ex æſtatis calore genitas, tumentes vento illic incluſo; quæ omnia in ventum tandem reſoluta ſubitò tranſibunt: ita ſe habet Diabolus,

[a] In oratione exhortatoria aduerſus gentes.
[b] In Pſal. 54. Ad Epheſ. 6.
Ioan. 1.
Ioan. 12.
Pſellus.
Binsfeldius prelud. 10.
Prou. 25.

quem Salomon vocat virum glorioſum, in Hebræo, *Mithallel*, quod idem eſt ac iactans, tumens, laudans ſeipſum, quomodo legit Pagninus; nihil namq; magis illi proprium eſt quàm iactantiæ verba effutire. Tertium Dęmonis mendacium eſt, quod Chriſto eſſet omnia regna daturus, & eorum gloriam, ſi eum adoraret: quia vt aiebat, erant ei tradita, & cui volebat, illa dabat, ô aſtutia verè ludibrio habenda! ô temeritas nimia! nemo dat quod non habet, Diabolus autem in ſe nihil habet gratiæ, gloriæ, deliciarum, diuitiarum, honorum, &c. Ergò illa omnia nequit dare; & ſic temerè & in vanum illa promittit: & ſi quæras quid ergò in ſe habeat, dicam illum habere ſolùm dolorem, timorem, rabiem, inuidiam, ſulphur, ignem infernalem, damnationem & pœnam, & illa ſunt quæ habet Dęmon, & quæ dare vel procurare poteſt; vt diſertè docet S. Cypr. qui illum impium & mendacem vocat, quia promittit; & quod dare poſſit non habet, prçter languores, fœtores, & ſupradicta ſimilia, ſicut ſcabiem, putredinem, & vermes dedit Iob Patriarchæ, mortem eius filijs, deperditionem eius ſubſtantiæ; cœcitatem, ſurditatem, &c. tortiones ei quem ingreſſus eſt; mortem & ſubmerſionem porcis in quos ei ingredi conceſſum fuit, &c. Quòd ſi auari & ambitioſi huius ſæculi aduerterent, & diuitias & honores dona Dei eſſe arbitrarentur, ad illa conſequenda relicto Dęmone Deum colerent & illũ non offenderent: At proh dolor! quaſi non Deus ſed Diabolus largitor eorum eſſet, Diaboli voluntatem exequuntur, Dei verò contemnunt. Non ſunt ergò bona aliqua à Dęmone ſperanda, vt ſunt gloria, diuitiæ, deliciæ, honores, &c. cùm ex his nihil habeat, nec poſſit niſi ſupradicta mala (adhuc Deo permittente,) quorum eſt princeps, concedere, ſolus Deus eſt bonorum omnium author & largitor, & ab ipſo ſolo ſunt ſperanda, vt docet S. Auguſtinus, & ideò ait Sapiens; *Longitudo dierum in dextra eius, & in ſiniſtra diuitiæ & gloria*, & Aggeus Propheta; *Meum eſt aurum, meum eſt argentum, dicit Dominus exercituum.* Hac de cauſa Ieremias vehementer excandeſcit contrà eos, qui temporalia bona accepta ferebant Reginæ Cæli, hoc eſt Lunæ, aut ſyderum conſtellationibus, & dicebant; *Ex eo tempore quo ceſſauimus ſacrificare Reginæ Cæli, & libare ei libamina, indigemus omnibus, & gladio & fame conſumpti ſumus.*

> *Pagninus.*
>
> Dæmon nihil habet quod poſſit dare, præter dolores pœnas, &c.
>
> *Tractatu de ieiunio & tentatio Chriſti.*
>
> Deus ſolus eſt omnium bonorum author & largitor.
>
> *Lib 10. de Ciuit. Dei, c. 14.*
> *Prouerb. 3.*
> *Agge 2.*
> *Ierem. 44.*

Tandem mentitur Dæmon (inquit Chryſoſt.) quia nullatenùs intendebat dare, quod promittebat, etiamſi illa eſſent in ſua poteſtate; ſic parentes noſtros decepit, promittens eis diuinitatem & æqualitatem Dei in ſapientia, quod nullatenùs intendebat complere nec poterat: vnde idem Chryſoſt. expendit verba quæ poſteà di-

> Dæmon non intendebat Chriſto dare quod ei promittebat, nec etiam poterat.

Serm. contra Iudæos & Gentiles de nuptiis, to. 3. xit Deus ad Adam: *Adam vbi es?* quaſi dicere voluerit, *quonam perueniſti? nunquid ad regnum quod tibi Diabolus fuerat pollicitus? ad diuinitatem quam tibi promiſerat?* & concludit, *omnia offert, & vniuerſa ſpondet ſe dare, qui nihil penitùs habet quod det.* Itaque (ait quidam modernus author) noli vel ipſi vel ipſius miniſtris, hoc eſt, mundanis hominibus multa promittentibus, & nihil ſoluentibus confidere, quia vtplurimùm quicquid loquuntur fraudis plenum eſt. Sic olim Pſeudoprophetæ promittebant Regi Achab, inſignem de Syriæ Rege victoriam, verùm in prælio occubuit: ſolo ergo vento Dæmon homines paſcit, quaſi Chamæleon dum vana pollicetur, & nihil præſtat: hinc Eccleſiaſticus: *Sicut qui ſequitur vmbram, & apprehendit ventum, ſic qui attendit ad viſa mendacia.* Vltrà autem tot mendacia Dæmonis, manifeſtè quoque fraus & dolus in ſua pollicitatione apparet, inquantum futurum pro præſenti commutat, *dabo*, inquit, adorari vult de præſenti pro ſpe recipiendi promiſſa, & in futurum tempus differebat, quæ dare non poterat, vt ſic ſperantem deciperet ac confunderet. Simili modo & fraude nititur ipſe Dæmon hominibus perſuadere, vt voluptatibus & ſibi dent tempus præſens, & futurum ac ſenectam pœnitentiæ & Deo reſeruent, cùm tamen ſenectus incerta ſit, & ad pœnitentiam inhabilis, vti monet S. Gregor. Rurſum perſuadere conatur vt homines bona momentanea æternis, humana diuinis, terrena cœleſtibus, caduca ſtabilibus, ſtultè inconſideratèque præferant. Fraude quoque & dolo ſe ſe ſimulat Diabolus animarum mercatorem, cum Sodomorum Rege: *Da mihi animas, cætera tolle tibi;* ſicut namque Chriſtus fœneratur animas, ita & ille, hic quidem ex amore, ille verò ex rancore, vt æternis eas tormentis excruciet; offert hic pro vnius acquiſitione mundum vniuerſum, vt animæ præſtantiam conſideres, eamque non vili vendas pretio, quippè quam Dæmon vniuerſo præfert orbi; Chriſtus autem multò cariùs emit, creando in illius vſum cœlum & terram, & quidquid illius ambitu continetur, redimendo eam pretioſiſſimi ſui ſanguinis effuſione, adeò vt ne guttulam quidem vnam reſeruaret ſibi, ſed animam ſuam pro ea oppigneraret, rem ſcilicet pretij inæſtimabilis dedit, videlicet ſemetipſum, vt nos redimeret. Quando pyratæ capiunt in mari merces alicuius mercatoris, ſi videres illum mercatorem pro illis redimendis immenſas dare diuitias, inde colligeres, quàti ſint valoris tales merces: nos ſumus Dei merces, vt dixit S. Gregorius Nazianzenus, quas cepit pyrata infernalis; vt has redimeret diuinus negotiator dedit omnia ſua, immò & ſeipſum, ſuam diuinitatem, potentiam, gloriam, ſanguinem, ani-

Marginal notes: 3. Reg. 22. — Eccleſ. 34. — S. Gregor. — Non ſunt humana cæleſtibus præferenda. — Geneſ. 14. — Animæ valor & quantum ipſa eſt æſtimanda, latè oſtenditur. — Ad Titum 2. — S. Greg. Naz.

mam, &c. vt nobis innoteſcat quàm pretioſa ſit anima noſtra: ſtulteſcit igitur peccator qui eam primo occurrenti & minimum offerenti vendit. Imago magnâ arte & ſtudio ab aliquo famoſo Apelle aut Zeuxe elaborata, non ſolet leuiter vendi; anima hominis per gratiam ornata & Dei manu effecta, imaginem filij eius in ſe delineatam habet: vnde raram eius pulchritudinem Angeli mirantur, dicentes: *Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto delicijs affluens?* & illam peccator tam vili æſtimat, vt pro re viliſſima ſubindè alienet: ebrioſus eam tradit pro vini hauſtu; luxurioſus pro ſordida & momentanea carnali voluptate; auarus pro exiguis temporalibus bonis, &c. Si quis reſoluit animam ſuam diuendere, ſaltem hoc non fiat priuatâ emptione, ſed publicâ auctione, vt per concurſum multorum eam cedat plus offerenti: hâc enim praxi vtuntur homines vt res venales ad iuſtum pretium aſcendant: vnde præco auctionis, non ſtatim cedit rem cuicumque, & quodcumque pretium offerenti, ſed repetitis vocibus, dicens, nemini pretioſior, nemini carior eſt? ô Chriſtiane! alienaturus animam, voca pium aliquem Theologum, vt ab eo reſcias quo pretio illam redimere & conſeruare tenearis, & tibi dicet, quod omnia bona terræ danda eſſent ſi haberemus, imò vita: nam dicit S. Ioannes: *Nos debemus pro fratribus animas ponere.* O carnalis homo! noli mulieri vendere animam, *Pretium enim ſcorti vix eſt vnius panis: mulier autem viri pretioſam animam capit,* ait Sapiens: imò licet Diabolus tibi promittat omnia regna mundi, & gloriam eorum, vt Chriſto promittebat, ne cedas eam, ſed fiat proclamatio publicæ auctionis, conuenient aliqui qui quidem eius dignitatem probè cognoſcentes, offerent quod eſt maioris valoris; aderit pater cœleſtis qui valorem eius agnoſcens, pro eius liberatione proprium ſuum tradet filium, vt ait Sanctus Paulus: *Proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum;* ipſe quoque Dei Filius conueniet, & tanti eam faciet vt mortem pro ea ſubire non renuat, quod oſtendit Sanctus Paulus; *Dilexit nos & tradidit ſemetipſum pro nobis,* multis igitur multa offerentibus ne tradas eam, niſi prius conuoces Patrem & Filium, eos rogans an non ſit illis carior, &c.

Cantic. 8. *1. Ioan. 3.* *Prouerb. 6.* *Ad Rom. 8.* *Ad Epheſ. 5.*

SECTIO VIII.

Multa pollicetur hominibus Dæmon, vt illum adorent.

QVEMADMODVM autem ipſe Dæmon, obtulit Chriſto omnia regna mundi, ſi cadens vellet eum adorare, & nihil ab eo obtinere potuit, imò confuſus aufugit; ita tentationum ſuarum aſtu nos cupit attrahere, vt eum adoremus, & cùm ſit ſuperbus & arrogans, vult pro Deo reputari, quanquam nec pulchritudine, nec bonitate polleat, neque vllo beneficio hominibus ſe commendet, quin potiùs ſit deformis, abominabilis, nequitiæ, ac malitiæ plenus, ſemper noſtro intentus exitio, & proindè indignus cui vel in minimo obſequamur: vt igitur à multis adoretur & colatur, ſicut voluit adorari à Chriſto, cuncta quanquam non ſua pollicetur, & perpetuò in ore habet, *dabo tibi*. Carnalem trahit ad luxum dicens, dabo tibi delectationem; auarum ad furtum dicens, dabo tibi pecunias; mulierculam ad perditionem, dicens, dabo tibi victum & veſtitum; iracundum ad vindictam dicens, dabo tibi honorem, &c. præcipua tamen promiſſio aut pollicitatio eſt, quâ bona huius ſeculi promittit, inter quæ præcipuum locum habent diuitiæ, pecuniæ, ac facultates. Propterea S. Bernard. dixit diuitias, & temporalia bona eſſe laqueum, quem Dauid vocat venantium; de quo quidem laqueo habet Apoſtolus: *Qui volunt* (inquit) *diuites fieri incidunt in tentationes & laqueum Diaboli*, hunc laqueum pauci euadunt; quod adeò verum eſt, vt nec Iudas qui Apoſtolus erat, laqueum iſtum quem ei Dæmon parauit, euaſerit, cùm enim ei argenteos repræſentauit, tam potens fuit ille laqueus vt illum ad Domini ſui proditionem ex qua mors eſt ſubſequuta, induxerit. At quod peius eſt, dum laqueum tendit & parat, vult adorari vt Deus, & dicit, vt Chriſto: *Hæc omnia tibi dabo, &c.* & ita multi ab eo deluſi, ei ſe miſerè vouent & dedunt. Sit etiam exemplum de Magis & Sagis ſperantibus ab eo diuitias, voluptates, honorem, fauorem & gratiam; procerum euerſionem & vindictam inimicorum, &c. & tamen è contrà accidit, nam ipſi miſeriores, egentiores, & magis exoſi remanent, quippè mendax eſt ipſe Dæmon, & fraude plenus in omnibus, præterquam in vltione, idque in certos ſolùm homines, & quantum permittit Deus, vt patet ex Iobi hiſtoria. Nunquam Magus fuit arte ſuâ locupletatus.

Quænam pollicetur Dæmon, vt adoretur.

Serm. 3. in Pſ. qui habitat. 1. ad Timot. 6.

Magi & Sagæ fruſtra à Dæmone ſperant diuitias, &c.

& auctus obolo, vt benè notauit Bodinus in Dæmonomaniâ, & nunquam ſaga comperta eſt quæ ſic fucare faciem ſuam potuerit, vt viſa ſit ſpecioſior, ſed contrà dici ſolet, deformis vt Saga. Honores autem, tantùm abeſt vt arte magicâ quis conſequi valeat, vt Magos videamus abominationi eſſe omnibus ob eorum turpitudinem, quâ maior excogitari non poteſt, cùm Sathanam in forma hirci fœtentis cogantur adorare, eaque in parte oſculari, quæ nec dici nec ſcribi honeſtè poteſt. Quod autem ad diuitias ſpectat; certum eſt magnos in terræ ſinu theſauros eſſe abſconditos, eorumque ſedes Sathanæ eſſe cognitas, ſed nunquam Magus extitit qui arte iſtâ aureum vnum compararit, vt fatentur omnes, imò quicumque diuites qui ſe rebus magicis addicunt vt diuitijs augeantur, ferè in paupertatem abeunt, egentes verò, totâ vitâ paupertatem perferunt, omnis enim poteſtas, honor, dignitas, diuitiæ, &c. à Deo dantur. Sed cur theſauros humi conditos ſuis mancipijs non impertitur Sathanas? cur eos egenos relinquit? certè nec aliter vult Deus, nec Diabolus poteſt; ſi enim diuites poſſet reddere eos qui ei addicti ſunt, vt ſagas, & quos ad Magiæ idololatriam pertrahit, & qui ei fidelitatis iuramentum ſeu homagium (vt vocant) inconſideratè & vt cæci præſtant, veriſimile eſt quòd plurimos in ſuas partes adduceret. Et hæc ſunt quæ ad propoſitum noſtrum, ſunt collecta ex Bodini Dæmonomania, ad Magorum & Sagarum inſanias, & Dæmonis fraudulenta mendacia detegenda, ne quis ab eo miſerè deceptus, ad eum Chriſto contempto, ad ſuam damnationem recurrat. *Lib. 2. cap. 8. & lib. 3. cap. 1.*

SECTIO IX.

Quamnam Dæmon à Chriſto exigebat adorationem, ad quam etiam homines inducit.

DÆMON itaque vt Chriſtum ad eum adorandum induceret, dixit ei, *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me*; quibus verbis magis ac magis ſuam prodit arrogantiam & faſtum, cùm non ſimplicem & inferiorem adorationem ab eo exigat, ſed ſupremam ſoli Deo debitam, quæ latria nuncupatur: quod ex Chriſti reſponſione ſatis conſtat, dum ait: *Scriptum eſt Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies*, vbi etiam vox illa *ſeruies*, ex S. Auguſt. debet intelligi de illa ſeruitute, quæ ſoli Deo tanquam ſupremo Do- *Epiſtola 66. ad Maximum.*

mino debita eſt, quod verba ei adiuncta, *illi ſoli*, ſatis iudicant. Deus enim ſeruitutem illam petit quæ ſibi ſoli debetur, & quam alijs dijs impendere prohibuit. non itaque prohibet Deus adorationem & cultum impendere ſanctis eius, quam duliam vocant, hoc eſt inferiorem cultum, & minùs adhuc Virgini ſacræ quæ hyperdulia dicitur, quicquid garriant hæretici; neque etiam ipſe impedit adorationem ſeu venerationem, quam vt Apoſtolus docuit, Regibus & principibus tenemur exhibere, neque pariter ſeruitutem dominis temporalibus debitam, quam Spiritus Sanctus, eiuſque Apoſtoli & Prophetæ præceperunt & commendarunt, cùm vt dictum eſt, loquatur tantùm de adoratione & ſeruitute ſuprema, quæ ſoli Deo debita eſt, tanquam verò Deo & ſupremo Domino; duo namque ille habet, eſt enim verus Deus, & eſt quoque ſupremus Dominus; quia eſt verus Deus, illi debetur adorationis ſupremus cultus; & quia ſupremus eſt Dominus, ſuprema ſeruitia ipſi ſoli ſunt exhibenda. Vt autem B. Auguſtinus notauit, dictio, *ſoli*, perſonam alienæ naturæ excludit, quia ex eo quòd ſolus Pater eſt ſupremâ adoratione colendus, non excluduntur Filius, & Spiritus Sanctus, quia licèt ſint diſtinctæ perſonæ, ſunt tamen eiuſdem numerò naturæ. ſic vim vocum excluſiuarum interpretandam S. Thomas ex Sacra Theologia docuit. Ex his ergò liquidò patet, quàm ſit execranda Diaboli ſuperbia, eiuſque intolerabilis inuerecundia, qui non quamcumque adorationem aut ſeruitutem, ſibi à Chriſto impendi poſtulauit, ſed illam omnium ſupremam, quæ ſoli Deo debita eſt, ipſique ſoli exhibenda.

Adoratio multiplex.

Epiſtola citata.

Dictio (*ſoli*) quid excludat.

S. Thomas.

Quemadmodum autem ex nimia ſuperbia ab initio optauit, procurauit, & omni conatu contendit exaltare ſolium ſuum, & ſimilem ſe altiſſimo exhibere; & vt ait S. Greg. Nazian. *Primariæ excellentiſſimæque pulchritudinis gloriam, ſummumque ac regium Dei honorem affectauit*; ſed nihil aliud conſequutus eſt quàm vt pro luce tenebris obtegeretur, pro excellentiſſimis quibus affulgebat muneribus, innumeris malis maneret ſubiectus, vt ſuo loco diximus: ita vult etiam nunc Chriſto oſtendere, ſe illam retinere altiſſimi ſimilitudinem, dùm ab eo ſuperbè nimis ac temerè latriæ adorationem exigit, at ſtatim audiemus quam ab eo paſſus fuerit repulſam. Idem S. Gregor. Naz. oſtendit quomodo ſemper ſub tot deorum ſimulachris ſeipſum expoſuit, vt ſi non ſub vna ratione, ſaltem ſub alia adoraretur. Propterea poſuit ſe ſub ſpecie ſolis, lunæ, ſtellarum, ignis aëris, aquæ, terræ, plantarum, animalium, hominum, fontium, fluuiorum, montium, vallium, &c. vt in quacumque re ad quam quiuis oculos converteret, eum colere, & ſub quacumque re ad quam quiuis

S. Greg. Naz.

Dæmon etiã nunc adorari vult & quomodo.

Oratione in Sancta lumina.

uis eſſet propenſus adorare poſſet; qui lucis pulchritudine delectantur, in Sole; qui tenebras amant, in Plutone; qui cælorum influxus attendunt, in ſtellis; qui ſublunarium mutationem, in Luna; qui ſapientiam diligunt, in Mercurio; qui bella, in Marte; qui luxum, in Priapo; qui ciuitates & diuitias quęrunt, in Ioue; qui atra bili triſtantur, in Saturno; qui ſanguinei ſunt, in Venere; qui ardoribus æſtuant, in fontibus; qui hominum frequentias faſtidiunt, in montibus. Huiuſmodi mores Diabolus tenet, qui cùm ſuperbiſſimus ſit, nullâ re ita delectatur, ſicuti cùm ei reuerentia illa exhibetur, cuius ille nulla ratione capax eſſe poteſt: idcircò tot adorationis genera, tot ſacrificiorum oblationes inſtituit, quibus à Gentilibus tanquam Deus honoraretur, vt poſteà dicemus, vbi ipſum eſſe Simiæ ſimilem oſtendemus. *Omnibus* (inquit Greg. Nazian.) *omnia fieri ille doloſus procurauit, vt omnes ſibi redderet ſubiectos.* Quòd ergò ab exordio appetijt ſimilem eſſe altiſſimo, perpetuò proſequutus eſt, quęrens ab omnibus hominibus, tanquam auctor omnium adorari: nec eſt mirum ſi ſic creaturas velit habere ſubiectas, & ab illis adorationem exegerit, cùm caſu & maxima corporis demiſſione & ſubiectione, ab earum conditore Chriſto, qui altiſſimus altiſſimique Dei Filius eſt, velit adorari; vt ſcilicet Chriſtus eum adorando, cadat in faciem humiliando ſe, & quaſi Deum ac omnium creatorem, illum recognoſcendo, *ſi cadens adoraueris me*, & ita non ſolùm ſedem ſuam ſuprà ſidera exaltare nititur, vt ſimilis ſit altiſſimo, ſed & ſuprà altiſſimum ſedem ſuam extollere contendit, quo patet ſuprema eius ſuperbia, hirſutum cor, inflexibiliſque ad malum voluntas. Sed ſi cùm in principio voluit ſe altiſſimo æquare, ab illo ad tartara deiectus fuit cum Angelis ſuis, nunc cum ſuprà altiſſimum ſe extollere proponit, acriori vulnere confodiendus erat, quia etiam nunc ad ſimilem caſum & ſubiectionem, quam ab ipſo altiſſimo exigebat, inducit quotidie homines. Et quomodo non erit acriori pœnâ dignus? De tali hominum caſu & adoratione Dęmonis, loquens S. Irenæus, ait: *Adorare Dæmonem, & voluntatem eius facere, eſt cadere à gloria Dei*; at qui ambiunt honores & quærunt diuitias, faciunt Dæmonis voluntatem, & illum adorant; & ideò cadunt à Dei gloria, & ab eius voluntate decidunt. Quod ſimiliter annotauit S. Hieron. inferens verè illum corruere qui Dęmoni ſe ſubijcit, & quia intendebat ipſe Dæmon, vt ei Chriſtus, vt dictum eſt, ſe ſubijceret eum adorando, ea ratione dixit ei, *Hæc omnia tibi dabo ſi cadens adoraueris me.* Symbolicè Gloſſa. *Qui Diabolum adoraturus eſt, ante corruit quàm adoret.* Et rurſum, *Diabolus quia è cælo cecidit, hinc omnes ad caſum & ipſum ſuum vt ſocios habeat, ſollicitat.* Hinc inſignis quidam Author

S. Greg. Naz.

Suprà altiſſimum ſe extollere voluit Dæmon: & ideo acriori pœna dignus.

Lib. 5. aduerſus hæreſes cap. 22.

In cap. 4. Matth.

Quinam Diabolum adorant, & propter quid.

id clarè expendens ait, omnes auari, omnes ambitioſi, qui bona ſua, terrenam ſubſtantiam ſuam, opera Diaboli, id eſt per cupiditatem, per fraudes, per mendacia, per iniuriam proximi, per adulationem, per munerum corruptionem, per quodcumque nefas conquirunt, illi vt ea conquirerent, cadentes de ſtatu gratiæ, deſerentes Deum & iuſtitiam eius, Diabolo qui hęc illis omnia ſuggeſſit, obſequium prętiterunt. Quod ergò auari & ambitioſi facere ſolent, ad hoc Chriſtum hic tentat Diabolus, videlicet vt cadens illum adoret, qui tamen cum Deus eſſet, ab ipſo Dæmone adorari debebat. Quis vnquam talem ſuperbiam & ambitionem excogitare poſſet? ſed quæ maior inſania, quòd tales auari & ambitioſi, ad obtinendas diuitias, cadentes Dæmonem adorant? Commune fuit Prouerbium, *quid non mortalia pectora cogis, auri ſacra fames?* & propterea Dęmon hoc fundamentum ſternit, & ſuper eo grauiores tentationes fundat, atque per illius occaſionem, ac diuitiarum cupiditatem, multos illaqueare & decipere ſolet; vnde egregiè dixit Spiritus Sanctus, *multi dati ſunt in auri caſus, & facta eſt ſpecie ipſius perditio ipſorum.* Clarius Gręca, *multi dati ſunt in caſum propter aurum.* Innumeri enim fuerunt & ſunt quos Dęmon ad ſui adorationem trahit, facitque vt cadentes eum adorent, ex eo quòd aurum eorum oculis oſtendit, & illius ſpeciem ipſorum menti repræſentat, ſicut oculis Iudæ repręſentauit nummos, quibus allectus ad Chriſti proditionem ſe accinxit, & ſic facta eſt in ſpecie auri perditio ipſius; inuerecundè namque (vt ait S. Cyprianus) Dæmon eos aggreditur quibus pecunias offert, ab eis liberè petens vt cadentes eum adorent, ſpecie auri oſtenſa quid non obtinet? quot peccata propter aurum committuntur? quot periuria, fraudes, mortes, diræ crudelitates? profectò oſtenſo auro & pecunijs, quęcumque vult Diabolus hominibus ſuadet, quos illius promiſſione pertrahit vt Dei mandata tranſgrediantur, & ſeipſos illi tradant in ſeruos & adoratores, licèt vt iam dictum eſt, fallax ſit & non ſtet promiſſis. O miſeros! qui victi cupiditate auri, pecuniarum, & aliarum rerum caducarum Cacodęmonem adorant, qui ſe illi grauiore admiſſo peccato turpiſſimè ſubſternunt proculcandos. Hinc ab Apoſtolo auaritia eſt ſimulachrorum ſeruitus atque Diaboli; auari enim cadentes, diuitiarum idolum adorant, velut olim illi qui ſe coram ſtatua aurea Nabuchodonoſoris proſternebant. Sed quæ pejor idololatria? quę deteſtabilior? Non mirum ſi in Eccleſiaſtico habeatur, *Auaro nihil ſceleſtius*, & ideò vix ſaluantur auari, ait Apoſtolus, *neque auari*, (inquit) *neque fures, neque rapaces regnum Dei poſſidebunt*, hic eſt ergò progreſſus infortunij & miſerię auarorum, quòd in idololatriam ita labantur, & pluris faciant caduca bona

Eccleſ. 31.

Lib. de Ieiunio & tentatione.

Ad Coll. 3.

Dan. 3.

Cap. 10.

Auarorum miſeria.

1. ad Corinth. 6

quàm ipſum Deum; & tum ſummo illo bono, quod ſic in præſenti vita deſeruerunt, in perpetuum priuentur. Majus verò remedium magiſque efficax, ad euellendam & eradicandam è cordibus noſtris hanc maledictam auaritię paſſionem, quâ Dæmon à nobis colitur, & ad eam inter iuſtitię & charitatis terminos continendam, eſt viua conſideratio reſponſionis Chriſti, ad illam auaritiæ & adorationis Dæmonis tentationem, illum enim à ſe expulit, vt ſequenti Sectione dicemus.

SECTIO X.

Expellitur à Chriſto Sathanas.

NOTAT Gagnæius in Matthæum cum alijs authoribus, Chriſtum in prioribus tentationibus, patienter Dęmoni reſpondiſſe, vbi autem vidit ipſum ad ſui adorationem impudenter eum trahere velle, & ſic ad ſupremum idololatrię actum prouocare, tunc increpaſſe ac repuliſſe, *Vade Sathana*; & hoc idem aduerterat priùs S. Chryſoſt. vt nos illius diſcamus exemplo noſtras quidem iniurias magnanimiter ſuſtinere, Dei verò iniurias & contemptum, nec vſque ad auditum ſufferre, quoniam in proprijs iniurijs eſſe quempiam patientem laudabile eſt; iniurias autem Dei diſſimulare nimis eſt impium, Sed heu! multi oppoſitum faciunt, nam proprias iniurias diſtrictiſſimè vlciſcuntur, de Dei autem inhonoratione parùm aut nihil laborant. Dixit ergò ei Chriſtus *Vade Sathana.* Pro clariori horum verborum interpretatione, eſt obſeruandum, Diabolum in prima tentatione in deſerto, ſe vt hominem tantùm oſtendiſſe, hoc eſt in figura humana apparuiſſe; deinde victum & audaciorem factum, ſe in ſecundo conflictu Angelum, non quidem tenebrarum ſed lucis, vt deciperet declaraſſe, alioqui Chriſtum non aſſumpſiſſet ad templi pinnaculum, nec enim id poterat facere niſi Angelus; at verò in tertio conflictu audaciſſimus iam factus, aliter adoriri, & aliâ arte vti volens ad explorandum Dei-ne Filius is eſſet, Sathanam ſe oſtendit, cùm ad idololatriam palàm induxit, ſed pulſus ipſe turpiter à Chriſto eſt. Hæc autem omnia facere potuit retentâ ſemper hominis figurâ, niſi fortè dicas, in raptu hominis ſpeciem reliquiſſe, inuiſibilemque ſe reddidiſſe. Duo autem hic obſeruanda veniunt. Prius, quinque vitia Dæmonis notari in hac hiſtoria; quorum primum eſt, quòd ſit curioſus ſpeculator, an videlicet Chriſtus eſſet

Chriſtus Sathanam expulit.

Opere imperf. in Matth.

Iniuriæ propriæ ſuſtinendæ, non autem Deo illatæ.

Quinque Dæmonis vitia, tentando Chriſtum.

Filius Dei, & id ſcire cupiebat, non vt illum veneraretur, ſed vt redemptionem noſtram impediret. Secundùm eſt, quòd ſit vanus, quia propter gloriæ vanitatem ſuaſit caſum. Tertium, quòd ſit importunus, ſemel enim & bis repulſus; iterùm accedit tentare. Quartum, quòd ſit fallax, quia promiſit ſe daturum quod dare non poterat. Quintum, quòd ſit arrogans & ſuperbus, quia petit adorari vt Deus. Poſterius quod venit aduertendum, eſt in duabus primis tentationibus, teptatorem fuiſſe Diabolum vocatum, ſed in tertia Sathanam, quando enim (ait S. Iuſtinus Martyr) dolo, fraude, technis vtitur, *Diabolus* vocatur, & ita cum Diabolum vocat S. Paulus, quando illum inducit dolo & occultè agentem & inſidiantem, *Induite*, inquit, *vos armaturam Dei, vt poſſitis ſtare aduerſus inſidias Diaboli:* quando verò agit apertum aduerſarium vel hoſtem, dicitur *Sathanas*, hanc enim aliàs huius nominis ſignificationem inſinuauimus: ſed ita eſt quòd in duabus primis tentationibus, quibus contrà Chriſtum egit, callidè, fraudulenter, ac ſub velamine ſanctitatis egit; ideò Diabolus fuit vocatus; at in tertia quoniam ſe ſe apertè prodidit, ſuoſque aduerſùs Dei gloriam conatus perſpicuè patefecit, à Chriſto ſupremam exigendo adorationem: ideò *Sathanas* eſt vocatus; *Vade Sathana,* ait Chriſtus, quaſi diceret apagè, recede hinc impie Sathan, qui aduerſarius & infidelis mihi es, nefariè & temerè nimis, adorationem ſoli Deo debitam qui creator tuus ſum exigendo; vade retrò poſt me, & ne ampliùs ante oculos meos compareas, nolo enim vlteriùs te videre aut audire. Tunc ſummâ ignominiâ eum affecit Chriſtus, eidem aptè repręſentans ſuam apoſtaſiam & infidelitatem ergà Deum, & quòd à Deo recedens, qui eſt omne bonum, nullam habere poterat gloriam quam daret aut quâ potiretur, repręſentans itidem eius perfidam mentem, qua perpetes nobiſcum gerit inimicitias, & maiores quàm Eſaü cum Iacob, quia in nos tranſlatam videt benedictionem, quam iure progenituræ ille prætendere poterat; tandem repræſentans eum cùm aliquid promittit, non amicum ſed aduerſarium agere, qui perpetuò contendit, Deo nobiſque aduerſari, qui ſicut expulſus fuit cælo, quando voluit eſſe ſimilis altiſſimo; ita & nunc ignominioſè ex illa palæſtra erat eijciendus, vbi tanquam Deus voluit adorari. Hæc ergò omnia ſignificare voluit his verbis; *Vade Sathana,* quaſi diceret, reminiſcere in quanta gloria conditus fuiſti, & in quantam miſeriam cecidiſti. Hoc idem breuiſſimis verbis B. Hilarius aſſeruit, *Criminum*, inquit, *ſuorum in Sathana nomen audiuit.* Supremo igitur opprobrio voluit Chriſtus Diabolum quem vincebat percutere, &c. non enim aliquo acriore poteſt vulnere percuti, quàm cùm ei contumeliæ, & opprobrij

S. Iuſtin.

Ad Epheſ 6.

Cur Dæmon ſit Diabolus & Sathanas vocatus.

Summa ignominia Chriſtus Dæmonem affecit, dum Sathanam illum vocauit, & cur.

S. Hilar.

verbis, ſui miſeri ſtatus infœlicitas exprobratur. Hinc viri cordati ad eum fugandum cùm quis ſe ab ipſo ſentit impeti, conſulunt, eum verbis contumeliæ & opprobrij exprobrandum, quibus in memoriam reducatur eius miſeria, qualia ſunt illa [a]: *Deum qui te genuit dereliquiſti; oblitus es Domini Creatoris tui.* Illa itidem, [b] *In profundum laci detractus es, quomodo cecidiſti de cœlo Lucifer?* quidam Modernus author refert ſe vidiſſe hominem quem viſibiliter Diabolus inſequebatur, qui nullâ re ita illum, quàm huiuſmodi verbis fugabat; nulla autem ad hoc inſtitutum aptiora, quàm illa quibus ei Chriſtus exprobrauit apoſtaſiam, infidelitatem, contrarietatem ad Deum: *Vade Sathana,* omnia enim ſua crimina, vt dixit Sanctus Hilarius hoc ſolo nomine ſibi obiecta cognouit, & ſicut ipſe Chriſtus, dum vixit, aliquando mortem fugauit, vt in Lazaro, filio viduæ, & filia Principis, quò oſtenderet ſe eſſe illum cui datum erat mortē omninò conterere, quam per mortem erat præcipitaturus in ſempiternū, vt dixit Iſaïas. Ita ſimiliter dum vixit, Dæmonem aliquando eijcere fugareque voluit, vt hoc ipſo demonſtraret ſe eſſe eum cui datum erat longè facere, elongare, & effugare illum qui erat ab Aquilone, vt habetur in Ioële, id eſt ſuperbum Dæmonem. Tunc adimpletum fuit illud Pſalmiſtæ (ait Chryſoſt.) *Tu confregiſti capita Draconis,* ſcilicet ob eius nimiam ſuperbiam & temeritatem, quia auſus fuerat accedere ad Chriſtum tentandū, imò ad ſuadendū quòd ſe adoraret.

Quid Sathanæ exprobrandum, vt fugiat.
a Deuter. 32.
b Iſaia 14.
Cap. 26.
Ioel. 2.
Pſalm. 73.
Hom. 5. ex diuerſis in Matth.

Diabolus autem videns ſe deprehenſum & cognitum à Chriſto, confuſus, perterritus, & contritus, fugam arripuit: vnde S. Chryſoſt. docet ipſum Chriſtum, illum verborum ſuorum vi & præcepto fugaſſe; & eſt quod in Sacro Textu habetur. *Tunc reliquit eum Diabolus,* non quidem voluntariè, ſed coactè, vt notauit idem S. Chryſoſt. quia virtus & potentia Dei non permiſit, vt ampliùs tentando procederet: *Ipſe namque,* inquit, *quantum eſt in ſe, nunquam ceſſaret tentans, nec enim aliud habet opus quod agat, non manducat, non bibit, non dormit, non aliquid operatur niſi vt tentet, vt fallat, vt ſubuertat; hic cibus illius, hic honor, hoc gaudium: propterea infatigabilis eſt in malo, ſed potentia Dei expellit eum, cui tempus tentandi, & tentationes determinat.* Huius fugæ figuram habemus in Dauide, qui ab Aulicis Regis Saülis vocatus, citharam manu ſuâ percutiens, expellebat Dæmonem à Saüle. Sed quærunt nonnulli, quomodo poterat hæc cithara, ſono ſuo & harmoniâ Dæmonem expellere; cùm ſit ſpiritus, nec corpus, nec aures habeat, quam vim citharæ ſonus in eum habere poterat, vt cogeretur à Saüle egredi? Toſtatus in hunc locum, docet illam citharam hanc vim habuiſſe inſitam expellendi Dæmonem; alij dicunt Saülem apoplexia ſolùm laboraſſe, nec

Homil. 13. in Matth.
Hom. 5. in imperf.
Dæmon quandoque Deo ita volente à tentatione ceſſat.
1. Reg. 16.
Vnde vis in Cithara Dauid ad Dæ-

monem expellendum. agitatum fuiſſe à Dæmone; at iſtud non eſt veriſimile, & eſt contra Scripturam, quæ docet quòd ſpiritus malus arripiebat Saülem. Meliùs ergo dicendum cùm Sancto Gregorio in hunc locum, Deum hac in re voluiſſe, vt Dauidis ſanctitas innoteſceret, in hac Dæmonis myſterioſa expulſione, erat quippè Chriſti filij ſui figura, & ab eo erat ipſe Chriſtus deſcenſurus tanquam eius filius: iuxtà id quod Sanctus Matthæus habet: *Liber generationis Ieſu Chriſti filij Dauid, filij Abrahæ*, &c. Sicut ergo Dauid Chriſti figurâ, expellebat Dęmonem à Saüle, citharæ ſuæ quam percutiebat ſono & harmoniâ; ita Chriſtus Saluator noſter ſuæ ſanctæ humanitatis citharâ diuinitati vnitâ, expulit etiam ſpiritum nequam eum de gula, inani gloria, & auaritia tentantem, dum ei dixit, *Vade Sathana*. Nolunt tamen aliqui vim illam qua fuit Diabolus expulſus, notam illi fuiſſe, ſi talis virtus fuerit diuinitatis, alioqui nouiſſet illum eſſe Deum, cuius potenti virtute, ſentiebat ſe depelli. Itaque (aiunt illi) potuit exiſtimare eius precibus vt viri iuſti, à Deo procul inde arceri, & nulla ratione ob eius ſanctitatem, potuiſſe illum ad aliquod peccatum pertrahere: quicquid ſit, ait textus. *Reliquit eum Diabolus*. Et quis explicare valeat quàm triſtes eiulatus emittens, clamoribus credulis perſtrepens, fragores excitans receſſerit, dum tam acerbam, fortem, rigidamque increpationem & obiurgationem, ſibi à Chriſto factam audiuit? In Sanctorum hiſtorijs legimus, ſæpiſſimè Dæmones victos ab aliquibus viris Sanctis, illorum machinas detegentibus, illos increpantibus receſſiſſe, clamoribus & eiulatibus vehementiſſimè emiſſis, excitatis fragoribus & commotionibus aëris & ædificiorum, relicto tetro fœtentiſſimoque putore, vt in hiſtorijs Sanctorum Antonij, Benedicti, Dominici, Petri Martyris, & aliorum plurimorum videre licet; quos nunc fragores excitaſſe, quot querulis vocibus & clamoribus perſonaſſe credere poſſumus, cum vidit fraudes ſuas à Chriſto detectas, ſeque acri obiurgatione percuſſum? poſſumus etiam dicere omnes huius Cacodęmonis milites qui ei aderant, videntes principem ſuum omninò contritum & deiectum, fugam quoque arripuiſſe. Et hinc factum eſt, vt poſteà cum illo ſuo principe Chriſtum adeò timerent, vt eum ſæpè deprecati fuerint ne eos torqueret, & in abyſſum mitteret, & proinde ſeruorum more illius imperio promptè obtemperabant.

Marginal notes: *S. Gregor.* — *Matth. 1.* — Dæmonis eiulatus, dum à Christo expulsus fugit.

SECTIO XI.

Sacris ſcripturæ armis Chriſtus Dæmonem fugauit, qui tamen ab eo non receſſit niſi ad tempus.

CIRCA Euangeliſtæ textum duo conſideranda veniunt. Chriſtus
Primum eſt, Chriſtum Dęmonem proſtraſſe, potiſſimùm vi & ſcripturæ ar-
efficacia Sacræ Scripturæ, quam in medium protulit dicens : *Scrip-* mis Dæmo-
tum eſt Dominum Deum tuum adorabis, &c. Glorioſum victoriæ ge- nem fugat.
nus eſt, inimicum proprijs ſuis armis proſternere; cùm Diabolus ſe
armis ſcripturæ muniuiſſet, eiſdem ſeipſum Chriſtus munit & illum Scripturæ ar-
vincit, docetque nos eiſdem armis Dęmonem eſſe vincendum. Cùm mis vincen-
tentauerit te de ſuperbia, adducens ex Eccleſiaſt. *Curam habe de bono* dus Dæmon. *Eccleſiaſt. 41.*
nomine. Reſponde illi ſcriptum eſſe in eodem Eccleſiaſtici libro, *Eccleſiaſt. 5.*
quid ſuperbis puluis & cinis? Cùm tentauerit te de auaritia, adducens *Prouerb. 6.*
illud quod Salomon ait de formica, quæ congregat in meſſe quod
comedat: Produc in medium aduerſùs illum id quod habet S. Pau- *1. ad Tim. 6.*
lus, *nihil intulimus in hunc mundum.* Cùm tentauerit te de luxuria
dicens ſcriptum eſſe, *creſcite & multiplicamini, &c.* Contrà reſ- *Geneſ. 8.*
pondeas ab Apoſtolo ſcriptum eſſe, *omnis fornicator aut immundus,* *Ad Epheſ. 5.*
non habebit hæreditatem in regno Chriſti & Dei. Cùm tentauerit te
de gula, allegans id Geneſis, *ecce dedi vobis omnem herbam & li-* *Geneſ. 1.*
gnum vt ſint vobis in eſcam, &c. Dic ei ſcriptum eſſe, *adhuc eſcæ* *Num. 11.*
erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos. Ita de alijs pecca-
tis. Poſtquam igitur Chriſtus expellendo Sathanam dixit, *Vade Sa-*
thana, addidit ex Scriptura, *Dominum Deum tuum adorabis, &c.*
ſicque armis ſcripturę eum fugauit, ſicut eandem ſcripturam illum
tentando allegauerat.

Secundum obſeruandum, eſt Cacodæmonem non ita fugiſſe
aut receſſiſſe, quin poſteà auſus adhuc fuerit Chriſtum perſequi; re-
ceſſit quidem vt ait S. Ambr. quia non videbat quid ampliùs age- *Lib. 4. in*
re poſſet, at non receſſit niſi ad tempus, & eſt quod ait S. Lucas, & *Luc.*
conſummatâ omni tentatione, Diabolus receſſit ab eo vſque ad tempus. *Cap. 4.*
Notanda primò ſunt illa verba, *conſummatâ omni tentatione,* quia Dæmon per
ipſe Dęmon non vnicâ tentatione curſum perfecit, ſed iterùm at- omnia ten-
que iterùm regreſſus, per omnia tentationum genera vagatus eſt, & tationum ge-
omnem viam voluit tenere, idque varijs modis; Primò ex parte ob- nera vaga-tur.

iecti, quia ad omnem concupiſcentiam excitare conatus eſt; ad concupiſcentiam carnis per gulam, ad concupiſcentiam ſuperbię & inanis gloriæ perambitionem; ad concupiſcentiam oculorum per auaritiam & potentiæ auiditatem. Bene itaque ait Lucas, *Conſummatâ omni tentatione. Quod non diceret* (ait Ambr.) *ſi non omnium tentationum genera tentaſſet.* Secundò ex parte agentis, omnes enim figuras & formas quibus decipere ſolet, aſſumpſit; initio namque ſub ſpecie hominis ſancti acceſſit, inducens Chriſtum vt ex lapidibus panes efficeret; deinde ſub ſpecie Angeli lucis, eundem incitauit vt ex pinnaculo ſe demitteret; & tandem propriam Dæmonis perſonam referens, impijſſimam idololatriam ſuadere voluit. Tertiò ex parte locorum, nam ad omnia quæ voluit loca quæ ſuis tentationibus aptiora iudicabat, Chriſtum duxit, & tandem ex parte numeri ternarij, tres enim congreſſus ad omnimodam victoriam, ſtatuti videntur belligerantibus, ſecundùm communem æſtimationem. Vnde Anonymus, legitimè pugnanti (inquit) agonum reperitur terminus, quòd aduerſarius vel ſua ſponte cedat vincenti, vel trino caſu deponatur ſecundùm pugnatoriæ artis decretum; qui enim ter in trino conflictu hoſtem vicit, is planè eum ſubiugauit & ſuperauit, & proindè de eo triumphare poteſt. Sperabat autem Sathanas ſe victoriam tandem in vltimo conflictu reportaturum, quia validiùs quàm anteà contrà illum inſurrexerat, omnes ſagittas ſuas expenderat, omnem malitiæ ſuæ pharetram euacuauerat: vt ait Sanctus Effrem Syrus, nulla iam reſtabat ſagitta quam iaceret, ſed eum ſua fefellit opinio cùm ſe victum & ſuperatum animaduertit, & à Chriſto obiurgatum, ita vt coactus fuerit cedere vincenti, & aufugere: finitæ ſunt quidem eius nocendi artes & machinæ, & omnes ſagittæ eius pharetræ exhauſtæ: at (inquit Ambroſ.) malitia eius finita non fuit, non conſummata inuidia & tentandi auiditas, ſed perſiſtere & obſtare formidat, quia frequentiùs triumphari refugit: *Conſummatâ ergo tentatione, Diabolus receßit ab eo vſque ad tempus,* cogitans ſe rediturum aliàs, videlicet tempore Paſſionis, vt apertè contrà eum per manus Iudæorum pugnaret, vt ex Ambroſio notat S. Thomas; & de facto illi aduersùs ipſum inſtigante Diabolo, vſque ad mortem innumeras perſecutiones & inſidias excitarunt: vnde Chryſoſt. *Dæmon* (inquit) *per miniſtros ſuos ac ſelectißima organa, Iudæos ſcilicet, Chriſtum varijs exagitauit contumelijs, quod illis exprobrat dicens. Vos ex patre Diabolo eſtis, & deſideria eius vultis perficere.* Ita ingreſſus eſt Iudam, in cuius cor miſit, vt eum traderet ipſis Iudæis, Dei permiſſu. Hinc idem Chriſtus imminente ſua Paſſione dixit: *Hæc eſt hora veſtra* (ſupple vobis permiſſa) *& poteſtas tenebrarum.*

Lib. 4 in Luc.

In diuerſis figuris Dæmon Chriſtũ tentauit.

Tres congreſſus ad omnimodam victoriã ſtatuuntur.

In Catena.

S. Effrem.

Loco cit.

Diabolus à Chriſto receſſit, vſque ad tempus paſſionis.

3. p. q. 41. art. 3. ad tertium.

Hom. 13. in Math.

Ioan. 8.

Ioan. 13.

Luc. 22.

tenebrarum. Gloſſa ordinaria dicit tunc Dæmonem redijſſe, cùm *In cap. 6. Tob.* Chriſtus in crucis ſtipite ſuam eſſet exhalaturus animam, ad explorandum num quid in eo poſſet reperire culpæ. De quo ipſe Dominus videtur loqui dum ait: *Venit Princeps mundi huius, & in me non* *Ioan. 14.* *habet quicquam.* Doctiſſimus author Iſaac nuncupatus eleganter dicit, *Ecce qualis qualiter qualem vicit, ſapientiâ vicit aſtutiam, abſtinentiâ gulam, humilitate inanem gloriam, paupertate ſæculi ambitionem. Veniens ad ſapientem, abſtinentem, humilem, pauperem Princeps mundi, nihil in eo reperit ſui, nihil rapere potuit non ſui, à quo eiaculatis omnibus aſtutiæ ſuæ telis, receßit ad tempus, vſque ad horam Dominicæ Paßionis, vbi leo agnum aggreditur, ſed crudelitas manſuetudine ſuperatur.* *Hom. ſuper-ductus eſt Ieſus, &c.* Diſcamus hinc Diabolum non totaliter hominem deſerere, etiamſi ab eo ſuperatus ſit: illum enim ſolùm ad tempus deſerit, quia illum pudet amiſſæ victoriæ, ſibique à victore metuit; at datâ occaſione, iterùm ad tentandum, ſimili vel eadem tentatione regreditur, & audacior inſiſtit: ſic enim Sanctum Paulum eodem ſtimulo carnis ſæpiùs diuque tentauit: ita quoque eadem de re S. Antonium ſæpè tentauit, vt in eius vita notat S. Athanaſius. *Dæmon ad tempus hominem deſerit, ſed poſtea redit iterum præliaturus. 2. ad Cor. 12.* Secedit verò nonnunquam: Primò, vt hominem eo magis ſecurum reddat, & ſine ſollicitudine, inſtar militum vrbem aliquam obſidentium, atque aſtu fugam ſimilantium, vt deindè redeuntes vrbe potiantur, ipſe enim aſſumptis ſeptem ſpiritibus nequioribus ſe, reuertitur in domum à qua exiuerat, hoc eſt in hominem quem poſſederat, *Matth. 12.* & illam inuenit vacantem ſeu vacuam, hoc eſt Deo Deique gratiâ priuatam, & proinde aptam & capacem vt fiat domus Diaboli: reperit quoque ſcopis mundatam, quia euerſa eſt ex ea omnis virtus, pietas, bonitas, &c. ac ſparſa aconita impuritatis, & aulæa ſuperbiæ, hæc enim munditiés eſt & ornamentum quod requirit Dęmon & ei placet: talem enim animę immunditiem pro munditia & ornamento reputat, iuxtà Chriſti ſententiam, ei ſiquidem nihil niſi fœtidum olet, nihil niſi immundum & putidum ſapit. Nonnullos tamen reperio, qui per domum mundatam & ornatam, in quam reuertitur Dæmon cum malis Angelis ſibi aſſociatis, intelligunt hominem per ſacramenta à vitijs expiatum, ad tales namque reuertitur libentius, quàm ad illos qui graui peccatorum ſarcinâ preſſi, de confeſſione nihil cogitant, tùm vt hominem grauiori implicet peccato, ob repudiatam à Deo benignè oblatam gratiam, tum ad diuinæ maieſtatis grauiorem contumeliam, cuius domicilium, videlicet animam à peccatis per gratiam purgatam, iteratò ingreditur. Secundò nonnunquam recedit vt noua fraude inſtructior redeat; accidit enim in conflictu cum Dæmone, vti ſolet in pręlijs, vbi hinc inde ex vtraque-

parte nonnulli cæduntur, vulnerantúrque; Diabolus vulnus tibi infligit, cùm voluptate cor tuum tranſadigit; tu contrà eum vulneras, cùm eius ſuggeſtiones abigis; ſed ille ſpiritum reſumens, nouas colligit vires, nouiſque ſe ſe armis inſtruit; tu idem fac, certus quod paruam tibi quietem indulgebit, & quamuìs eum viceris, non ceſſes tamen tibi proſpicere & vigilare, ne remaneas ſine cura & ſollicitudine, otioſè viuens, quia infenſiſſimus ille inimicus recedit ſolùm
Ioſue 8. vſque ad certum tempus, fingens ſe fugere; ſicut Ioſue, cùm cœpit ciuitatem Hai, ſed reuertetur ad tempus, vt fortiùs & aptiùs vincat.
Iudicum 16. Caue ne tibi contingat ſicut Philiſtæis illis, qui epulabantur celebrantes victoriam quam de Samſon obtinuerant, nec attendebant ad malum quod illis euenire poterat, & fuerunt victi & mortui. Si-
1. Reg. 30. militer Amalechitę lætabantur ſuper victoriam quam obtinuerant de Siceleeh, quam igne combuſſerant & ſpoliauerant, & erant ſuper faciem terræ, quaſi feſtum celebrantes, quos Dauid ſuperueniens vicit, occidit, ſpolia abſtulit. Quando igitur viceris Dæmonem, tunc timidior debes eſſe & expergefactus, nam iterùm redibit præliaturus tecum, & facilè vincet te ſi incautum inuenerit, quando priùs victor euaſeris: & multoties contingit, vt ipſe Dæmon qui ſagaciſſimus & callidiſſimus eſt, ſinat ſe vinci, vt poſteà meliùs ipſe vincat, & maiorem victoriam conſequatur; vt facere ſolent hi qui alearum aut taxillorum ludum exercent, qui fingunt ſe perdere, & paruam pecuniæ quantitatem amittunt, vt poſteà maiori lucro aduerſarium capiant. Multi reperiuntur, qui ſtatim vt confeſſionem peccatorum ſuorum fecerunt, alacres ſunt, & gaudent de victoria quam de Dæmone ſunt conſequuti; qui eos habet ludibrio & irridet, nam cùm eos improuidos & incautos videat, redit iterùm eos tentaturus, atque ita eos facilè vincit & captiuos poſſidet. Vide itaque, ne poſt victoriam obdormias, nam tunc ſolet Dæmon maioribus viribus & potentiâ inuadere. Conſtat igitur ipſum Dæmonem cùm deſerit aliquem, non illum totaliter deſerere, ſed ſolùm ad tempus, nam poſteà fortior & audacior redit cum alijs malis ſpiritibus nequioribus ſe, vt miſerum illum hominem ingreſſi habitent ibi, & tunc fiunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus; ſicut æger ſemel curatus in maiori verſatur periculo ſi reincidat, quàm anteà. Quod de Christo tamen dici non potuit, quamuis enim nonniſi ad tempus vt dictum eſt, eum deſeruerit, quia tamen Deus & homo erat, impeccabilis & omnium Dominus, quando redijt, in nullo eum lædere potuit, nec

Dæmon redit ad hominem cum aliis ſpiritibus ſe nequioribus.

1. Petr. 2. vllo peccato animam illius inficere, *Quia peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius.* Memineritis eorum quæ habentur in
Prouerb. 30. Prouerbijs. *Tria ſunt mihi difficilia* (ait ſapiens) *& quartum peni-*

tus ignoro, viam aquilæ in cælo, viam colubri ſuper petram, &c. Petra Chriſtus eſt, coluber Diabolus; vt igitur coluber nullum ſui ſignum relinquit in petra, ſic nec Diabolus in Chriſto potuit vllum peccati veſtigium relinquere: & eſt quod ait S. Paulus, *eum fuiſſe tentatum per omnia abſque peccato*, omnes tentationes ſuas Diabolus induxit, omneſque vias ſuas ſerpens peregit, ſed abſque peccato, quia ne leue quidem ex vijs & itineribus iſtis, peccati veſtigium fuit relictum, imò ſine mora à Chriſto increpatus & deiectus, aufugere coactus eſt. Ad Hebr. 4

Hic aduertere licèt, miram & quaſi Diabolicam hominum quorundam malitiam, qui Dęmonis imitatores effecti, cōtrà Deum erecto collo pugnare præſumunt, ſed ſi à Deo per gratiam efficacem ad ſalutem ſuam ſunt proſtrati, ſæpè ſæpiùs contingit vt bellum ad tempus ſolùm intermittant, ſed heu! non omnino omittant, ſed ſicut Sathanas non receſſit à Chriſto niſi ad tempus, ſed apertè eum expugnaturus poſteà aduenit, vt ait S. Ambr. ita illi iterùm pòſt aliquod tempus, tantæ diuinæ benignitatis immemores ei bellum inferunt. Hi ſunt de quibus ait Chriſtus: *Qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt*, ſeu deficiunt. Hannibal dicere ſolebat de Marcello, poſt multas & ſæpè reïteratas conflictationes, quas ab importuno inuaſore ſuſtinere cogebatur, ſibi rem eſſe cum hoſte qui nec victus nec victor noſſet quieſcere. Peccator quem Deus per gratiam ſuam inuadit, eum & ſuperat, dum rebellem eius ad ſe quodammodo compellit voluntatem. Sed heu! idem iterùm reſumptis Diaboli armis reïterat bellum, & euadit ad damnationem ſuam victor (ſi licèt ita loqui) contrà Spiritum Sanctum & Filium Dei, ſeque proh dolor! in periculo ſtatuit moriendi in finali impœnitentia, quæ eſt peccatum in Spiritum Sanctum, quod *non remittetur neque in hoc ſæculo, neque in futuro*: & eſt illud peccatum, de quo Chriſtus Iudæis induratis loquitur, *In peccato veſtro moriemini*. Iudas proditor hoc in peccato finalis impœnitentiæ ac deſperationis mortuus eſt; & ideò aiebat de illo Chriſtus. *Bonum erat ei ſi natus non fuiſſet homo ille*: & vetat S. Ioannes dilectus Chriſti diſcipulus, ne quis roget pro eo qui ſic miſerè moritur, *Eſt peccatum ad mortem*, inquit, *non pro illo dico vt roget quis*.

Peccatores Deo bellum inferunt. In 4. Luc. Luc. 8. Matth. 12. Ioan. 8. Matth. 26. 1. Ioan. 5.

Longè ergo abſit à nobis hęc pluſquam Diabolica feritas, ſed ſemel ab efficaci Dei gratiâ ſubiugati, deſiſtamus à bello iniquo, quod nobis eſſet exitiale, & ſalubriter victi recedamus à malo, audientes Deum per Iſaïam Prophetam, *Lauamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis, quieſcite agere peruerſè, & diſcite benefacere.* Iſaia 1.

SECTIO XII.

Angeli Chriſto miniſtraturi accedunt.

PORRÒ Dæmone à Chriſto eiecto & fugato, ait ſacer textus, *Ecce Angeli acceſſerunt & miniſtrabant ei.* Sed quærunt nonnulli vbi illi miniſtrarint, an in monte è quo fugauerat Dæmonem, an in deſerto vbi ieiunauerat: & reſpondent in deſerto illos ei miniſtraſſe, nam illuc redijt non pedibus, ſed ſubitaneo quaſi raptu per vim ſuæ diuinitatis & dotem agilitatis, aut certè per Angelorum miniſterium; non enim auſus fuiſſet Dæmon ita ab eo ſuperatus illum aſſumere, vt in deſertum à quo illum primùm extraxerat, reduceret, imò nec Chriſtus iam illi permiſiſſet. Circà illud Angelorum miniſterium, duo annotat S. Chryſoſtomus. Primum eſt; in eo quòd conſummatâ omni tentatione, refert Euangeliſta Angelos Domino miniſtraſſe, Filium Dei & conditorem vniuerſitatis manifeſtè cognoſcimus, quia Angeli miniſtrare, non poterant, niſi Domino & creatori ſuo vnigenito Dei Filio. Secundum, quod ille obſeruat, eſt, Euangeliſtam per illud aduerbium, *Ecce*, nos voluiſſe incitare ad videndos Angelos venientes, vt victori miniſtrarent; vt hoc ipſo tu diſcas, quòd te quoque poſt confectam de Diabolo victoriam, Angeli repentè ſuſcipiant, plaudentes tibi, teque ſtipatorum more vbique comitantes. Sic & Lazarum poſt fornacem paupertatis ac famis totiuſque anguſtiæ ſuſcipientes Angeli ad requiem pertulerunt. Ita S. Chryſoſt. ipſi itaque qui vt locus Diabolo daretur, & Chriſtum aggredi auderet, ſe elongauerant ab eo, aut ſe inuiſibiles Dęmoni pręcipiente Domino reddiderant, Regem ſuum cum ipſo Dæmone pugnantem conſpicientes, *Vt viderunt*, ait Chryſoſt. *ipſum ſuum Regem victoriam excellentem adeptum fuiſſe, & Sathanam expuliſſe, acceſſerunt*, non vnus aut duo, ſed in maxima multitudine, non quod illis indigeret, alibi enim oſtendimus nullum cuſtodem Angelum habuiſſe, ſed vt illi tanquam Domino ſuo vt dictum eſt, inſeruirent & miniſtrarent, ſicut Reges non carent multis miniſtris qui eis miniſtrent; & ideò Euangeliſta non dicit tantùm, *acceſſerunt Angeli*, ſed addit, *& miniſtrabant ei.* Certùm eſt ex multorum ſententia, plures Angelos perpetuò ad Chriſti obſequium & ei adminiſtrandum, fuiſſe deputatos, & aliquando eos ab Apoſtolis fuiſſe viſos circà illum, in aſſumptis corporibus humanis diſcurrentes. Quod probat

Angeli Chriſto miniſtrarunt in Deſerto, poſt deuictum ab eo Sathanam.

Hom. 5. ex varijs in Matth.

Quandoque Apoſtoli, Angelos circa Chriſtum viderunt.

Caietanus ex illo Ioan. 1. *Videbitis Angelos aſcendentes & deſcendentes ſuper filium hominis*, quamuis Euangeliſtę non deſignarint quando hoc factum fuerit, ſed credo innumeros poſt deuictum & expulſum Sathanam conueniſſe, ad tantam celebrandam victoriam, & victori congratulandum, ſicut cùm natus fuit, facta eſt cum loquente Paſtoribus Angelo, multitudo cœleſtis militiæ laudantium & dicentium, *Gloria in altiſsimis Deo, &c.* Sed quid quæſo ipſi Angeli miniſtrarunt Chriſto? Communis ſententia eſt ipſos ei detuliſſe & miniſtraſſe cibum & potum, quibus reficeretur; notum eſt enim in Scripturis Sacris, ſæpè miniſtrandi verbum abſolutè poſitum, ſignificare ſeruitium circà menſam in ciborum apparatu, appoſitione, & exhibitione, ſicut de Socru Simonis dicitur: *Et ſurgens miniſtrabat illis.* Martha cõqueritur, quod ſoror eius relinquebat eã ſolam miniſtrare. Ita in Actis: *Non eſt æquum nos relinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis.* Angeli itaque miniſtrarunt Chriſto cibum & potum, nam quamuis poſſet illum creare, noluit, ſicuti nec ad ſuſtentandum Heliam in deſerto, & ad ſuſtentandum Danielem in lacu Leonum: forſitan ſicut Deus per manus Angelorum prouidit manna Iudęis in deſerto exiſtentibus; ita conijcere poſſumus cibum & potum filio ſuo per eoſdem Angelos prouidiſſe, ex quo tamen loco aſportarint, vel ex nubibus, vel aliundè, ignoramus. Fortè deportauerunt fructus ex arboribus remotis, aquam ex fontibus limpidiſſimis; & alia cibaria è domo B. Virginis: conſidero ſiquidem cum B. Bonauentura & Natali in hoc Euangelium, Angelos interrogaſſe Ieſum, vnde vellet ſibi cibos parari & exhiberi, audiunt à Beatiſſimâ Virgine eius Matre, ad eam igitur properant multi Nazareth in Galilæam, eique renuntiant longum ieiunium quod vnigenitus filius ſuus confecerat, quomodo validè Sathanam vicerat, & quòd valdè eſuriret; parat ergò cibos quos reperire potuit, aut iam domi habebat, & illos Angelis offert vt ad filium ſuum deferant, iuxtà etiam B. Vincentij Apoſtolici concionatoris piam ſententiam, afferunt illi ſuam ſinguli partem ait Natalis, & cum ſolemni pompa, aderat enim Archangelus Princeps munia œconomi gerens, & interim vnus ex illis Angelis mantile ſuper ſaxum pro menſa extendit, odoriferis floribus ſternit, alius panem & cultrum apponit, ille in ſcutella offam ex legumine, hic piſciculos, alius potum in cyatho, officioſiſſimè omnia ſuo loco & ordine, ſumma cum decentia, ſummâ cum humilitate & reuerentia; alij tandem pœnè innumeri aſtantes muſicos edunt concentus, canentes triumphatori gloriam, dicentes id quod habetur in Apocalypſi, *Agno benedictio, & honor, & gloria, & poteſtas in ſæcula ſæculorum*; & alibi in eodem libro, *nunc facta eſt ſalus*

Ioan. 1.

Luc. 2.

Angeli miniſtrarũt Chriſto cibum & potum, & quomodo.

Luc. 4.

Luc. 10.
Act. 6.

Angelorum concentus Chriſto miniſtrantium.

Apoc. 12.

& virtus & poteſtas Chriſti eius, quia proiectus eſt Draco magnus, ſerpens antiquus, & Sathanas. Omnes quotquot ibi erant, ſe fœliciſſimos cenſebant qui in aliquo poſſent obſequi Chriſto; & ideò coram ipſo ſe proſternentes, ad quęcumque miniſteria illi præſtanda ſe promptos exhibebant. O quanta animi delectatio fuiſſet, Regem Angelorum, & Saluatorem mundi de Sathana triumphantem, videre in medio ipſorum Angelorum ei miniſtrantium, comedere diuinâ quâdam modeſtiâ & temperantiâ: profectò ſi ſola recordatio & meditatio, tantis nos gaudijs afficiat, multò maiori fuiſſemus perfuſi lætitiâ, ſi diuino fauore nobis adeſſe licuiſſet, & cùm Angelis ipſis debitâ veneratione laudes ipſius triumphantis decantare, ſicut poſt huius vitæ curſum, nos in perpetuum ſperamus decantaturos. Amen.

CAPVT VIII.

SECTIO I.

Communiter Dæmon tentat homines in noua Lege, & de modo quo procedit.

ETIAMSI vt anteà diximus, Dæmon diuinâ permiſſione, infeſtiùs ante quàm poſt gratiæ legem homines tentauerit, ob robur ſuum imminutum à Chriſto; attamen ex ſcripturis & experientia conſtat, non proindè deſinere illos etiamſi Chriſtiani ſint, aggredi, & ſuis tentationibus & machinationibus impetere, vt manifeſtè S. Paulus docet, *Ne fortè*, inquit, *tentauerit vos is qui tentat*, id eſt, Diabolus quem per anthonomaſiam dici tentatorem ſuprà diximus. In ſuis autem tentationibus eum ordinem quo primos parentes noſtros, immò & Chriſtum ipſum tentando ſeruauit, eundem tenet; à leuioribus enim incipiens ad maiora ſtatim perducere contendit, nam ſuprà oſtendimus ex Euangelio, primam eius ſuggeſtionem Chriſtum tentando, fuiſſe de corporis refectione; ſecundam de pręcipitatione; tertiam de auaritia & adoratione: ita aliqui aduertunt, quaſi eodem blandimento Ananiam & Saphiram tentaſſe, à paruis enim exordiens ad maiorem progreſſus eſt tentationem, dum de auaritia, rebus tranſitorijs, & mendacio in Spiritum Sanctum eos tentabat: vnde dicebat Sanctus Petrus: *Anania cur tentauit Satha-*

Christianos tentat Dæmon.

1. *ad Theſſ.* 3.

Act. 5.

nas cor tuum, vt mentireris Spiritui Sancto? & hinc in pœnam horum ſcelerum, accidit vt ambo expirarint. Scitè admodum Sanctus Iſidorus; *Nunc* (inquit) *Diabolus promiſſis decipit, nunc rebus tranſitorijs quaſi neceſſarijs allicit, nunc etiam ipſa inferni ſupplicia quaſi leuia & tranſitoria ſuggerit, quatenùs miſerorum corda in cupiditatem laſciuiamque diſſoluat, ſecumque ad tartara ducat.* Cùm igitur ſic in ſuis tentationibus procedat Dæmon, vt à minoribus ad maiora progrediatur; nullâ ratione ſunt leues tentationes deſpiciendæ, cùm ſponſus ſponſam ſuam moneat vulpeculas capere antequam adoleſcant, id eſt tentationes Dęmonum quantumuis leues & exiguas, eſſe fugiendas & auertendas ac repellendas, priuſquam vlteriùs progrediantur: vbi enim Diabolo digitum conceſſeris, mox immittit manum: Petrus in domo Caïphæ, primò quidem Chriſtum ſimpliciter renuntiat; ſecundò, paulo-pòſt cum iuramento: inde verò cum graui ſuiipſius deteſtatione: omnia autem hęc, ingreſſus illę in domum Caïphæ Petro conciliauit, qui ſi à militum turba pedem retraxiſſet, non tam profundè lapſus fuiſſet.

Lib. 3. Sent. cap. 5.

Canticorum cap. 2.

Quod autem ſpectat ad modum quo Dæmon ad hominum tentationem procedit: docent melioris notæ Theologi ſic eos dementare. Scit quemlibet hominem indigere ſpecie ſenſibili vt cognoſcat, iuxtà illud Philoſophi: *Oportet intelligentem phantaſmata ſpeculari*; aſtutus ille organa phantaſiæ ſic attemperat, & ita interiùs animales ſpiritus mouet, quæ ſunt quaſi vehicula phantaſmatum, vt ſimulachra obijciant intellectui earum rerum quas intendit Dęmon, & ſic obiectiuè moueant ad peccandum: verbi gratiâ animus ſpeculans mulieris ſpecioſæ ideam quam ingeſſit Dæmon, componenda organa phantaſmatum ad intentum ſuum; in illa ſpeculatione defixus homo, dum conſiderat mulieris ſpeciem vt bonum ſibi conſonum (quanquam fallatur) voluntas ſtatim vltrò inflectitur ad conſenſum, & inde ſequitur peccatum: non eſt tamen dicendum, hoc modo Diabolum immediatè aut directè in nobis efficere peccatum, ſed ſolùm mediatè & indirectè, neque enim vt alias diximus, neceſſitatem vllam nobis imponit, aut voluntatem noſtram cogit, nam licèt indirectè inclinet ad peccandum, alterando corpus, humoreſque commutando, vel exteriùs obiecta ſenſibilia incitantia ad malum proponendo & offerendo, immò etiam aliquando exteriùs ſub diuerſis figuris apparendo & loquendo; verumtamen illi cum Dei gratia reſiſtere in noſtra poteſtate eſt: iuxtà illud Sancti Petri; *Cui reſiſtite fortes in fide*, non enim tentat nos aut nocet quantum vellet, ſi ad eius malitiam attendamus; ſed quantum ei Deus pro ſalute & vtilitate noſtra permittit; ſiquidem ſolitâ ſuâ miſeri-

Modus quo nos tentat Dæmon quinam ſit.

1. Petr. 5.

cordiâ ac benignitate, ſuis nos auxilijs munit, armat & roborat, vt tantum tamque odioſum inimicum vincere valeamus, vt dicemus infrà.

SECTIO II.

Acriùs ſanctiores inſequitur Diabolus quàm impios.

Acriùs ſanctiores aggreditur Dæmon quam impiôs, latè oſtenditur.

SOLET aſtutus inimicus noſter Sathanas, maiori conatu ac ſtudio eos quos videt Deo deditos, Sanctos & Iuſtos, atque maioribus donis cœleſtibus auctos, aggredi & expugnare, quàm impios, iniquos & ſceleratos: vnde dicitur in Apoc. *Datum eſt illi bellum facere cum Sanctis. Contra peccatores non oportet bellum agere* (ait S. Cryſoſt.) *quos in ſui obſequio pacificè retinet, nullus enim quantumcumque tyrannus quos ſibi obſequentes, videt bello impetit;* Exempli causâ Turca nō bellum gerit aduersùs Turcas, qui ei obediunt & obſequuntur, ſed aduersùs Chriſtianos; nemo etiam aduersùs amicos & domeſticos inſurgit, ſed aduersùs inimicos; ita Diabolus non eos expugnat, qui ſui ſunt, & quos ſcit eſſe ſuam futuram prædam, ſed eos qui ſub vexillo ducis Chriſti ambulant; ita vt in ipſo ſtatim exordio, quo inſeruire Deo cœperunt, & viam virtutis ingredi, expectare debeant Dęmonis & mundi tentationem, quippè ſcriptum eſt: *Accedens ad ſeruitutem Dei præpara animam tuam ad tentationem*: Quæ verba explicans S. Gregor. ſic ait: *Hoſtis noſter nos adhuc in hac vita poſitos, quantò magis ſibi rebellare conſpicit, tantò ampliùs expugnare contendit, illos enim pulſare negligit, quos quieto iure poßidere ſe ſentit.* Hoc ipſo ergo quòd à peccato quis deſtiterit, & viam virtutis ingredi cœperit, ad illum expugnandum Diabolus accedet, & omni malitiæ contentione inſequetur, vt à propoſito religioſo deijciat, & diuina ſpoliet gratia, ſi poſſit; ſed non ita bellum infert impijs & peccatoribus. Quando pulchra illa fœmina Iudith vidit Principem Holofernem ſedentem in tentorio in maieſtatis ſolio, lapillis & ſmaragdis pretioſis circundatum, cœpit ipſa timere, cui Holofernes dixit: *Aequo animo eſto & noli pauere in corde tuo, quoniam ego nunquam nocui viro qui voluit ſeruire Nabuchodonoſor Regi: populus autem tuus ſi non contempſiſſet me, non leuaſſem lanceam meam ſuper eum.* Quemadmodum ergo Holofernes, non bellum inferebat illis qui Regi ſuo ſeruiebant & obtēperabant,

Apoc. 13.
Hom. 5. in imperf.
Eccleſ. 2.
Lib 4. Moral. cap. 24.
Iudith. 11.

ſed re-

ſed rebellibus; ſic Diabolus non tentat nec perſequitur eos qui ſub imperio ſuo ſunt, ſed iuſtos & Dei amicos qui eius mandata obſeruant, ab eo extolluntur & ſunt illi familiares. Id præclarè oſtendit S. Hieronymus ad Demetriadem. *Ab eo tempore*, inquit, *quo primùm per virginitatis poſſeſſionem, Domino es conſecrata, aduerſarij in te creuit odium, &c.* Et poſt pauca, *grandi ergò tibi opus eſt vigilantiâ grandique curâ, & tanto ſollicitiùs cauendus eſt inimicus, quantò apud Deum ditior eſſe cœpiſti, qui enim plus poſſidet, plus debet timere ne perdat: inuidere non ceſſat author inuidiæ, qui inuidit Euæ Paradiſum, quantò magis tibi inuidet regnum cælorum?* Et S. Auguſt. in iuſtos maximè ſæuire Dæmonem ex eo colligit, quòd apud Iob, *Myrmicoleon* dicitur, pro eo enim quod vulgata editio habet, *tygris perijt*, Septuaginta vertunt *Myrmicoleon* id eſt formicaleo. Sanctus ergò Pater habet, *Myrmicoleon verò accipiendus quia iuſtos perſequitur tanquam formicas præparantes ſibi eſcas æſtate*, Idem S. Auguſt. id clarius docet alibi: *Hoc ſcitote, inquit, fratres, quia Diabolus non perſequitur niſi bonos, malos enim perſequi non conſueuit; amici enim ſunt ſui, & in tantùm eos non perſequitur vt etiam per illos alios perſequatur.* Ad hoc inſtitutum B. Greg. [a] expendit illam difficilem quæſtionem quam Deus propoſuit B. Iob. [b] *Per quam viam ſpargitur lux; diuiditur æſtus ſuper terram.* Circà quam etſi multa obſeruari poſſent tam circà litteræ contextum, quàm circà eius intelligentiam, hoc tantùm nunc conſiderandum eſt quod B. Greg. annotat, aptè Deum hæc duo coniunxiſſe, ſparſionem lucis è cælo, & ardorem æſtus ſuper terram: nam hoc ipſo quòd Deus è cælo lumen ſpargit quo aliquem illuſtrat, & fulgore ſanctitatis & bonorum operum clarum facit, mundi rectores aut principes tenebrarum, rabido inuidiæ æſtu & ardore ſuccenduntur, inflammantur; atque excitantur, vt varijs illum modis expugnandum aſſumant & perdere nitantur. Sic enim idem Sanctus Gregorius hęc habet, *Cùm diuina lux in mentes humanas ſpargitur, mox ab occulto aduerſario, contrà fulgentem mentem tentamenta ſuccreſcunt.* Et rurſum, *poſt lucem ergò æſtus ſequitur, quia poſt illuminationem diuini muneris, tentationis certamen augetur.* Benè autem aduertit Sanctus Baſilius, præcipuam cauſam ob quam Diabolus nos ſic expugnare contendit eſſe inuidiam, nec enim ferre poteſt vt homo vilis, vermiculus è puluere terræ conditus, ad eam perueniat beatitudinis & gloriæ celſitudinem, quam ille qui excellentiorem habet naturam amiſit. Dæmon hac in parte mundo aſſimilari videtur, qui, vt dicebat Chriſtus, nunquam perſequitur aut odit eos quos ſuos retinet, & eius ſunt amici; Dæmon enim ipſe ſuis amicis, videlicet carnalibus & mundanis fa-

Epiſtola ad Demetriadem.

In annotat. in lib. Iob 40. Iob. 4.

Serm. 83 de tempore.

[a] *29 Moral. cap 14.*
[b] *Iob. cap. 38.*

Loco citato.

Hom. 9.

uet, & eos in quiete malorum ſinit, probos verò carnis domitores, mundi contemptores, &c. expugnat & perſequitur. Canis non domeſticos mordet, ſed eos qui foris ſunt; ſic Diabolus non tentat nec perſequitur eos quos quietè poſſidet, ſed iuſtos ac bonos. Dum quis furari ſe diſponit nunquam ingreditur loca & domos pauperum, vbi nihil vtile & ſibi commodum reperire ſperat, ſed domos mercatorum aut aliorum, aut æraria publica quęrit, ex quibus locis facilè diues exire poteſt; ita Dæmon mundanos homines, iniuſtos, & negotijs carnis implicitos, non quærit aut perſequitur, quia pauperes ſunt, & ferè nullius valoris, ex quibus parum vel nihil lucri reportat, quandoquidem nullis ſunt virtutibus aut meritis inſigniti, ſed eos ſolùm quos multis perfectionibus diuites, & clariori vitæ ſanctimoniâ fulgentes videt, curâque maiori vitam ad Dei voluntatem inſtituere, virtutumque & bonorum pręſtantiores aceruos feciſſe; non ſecus quàm pyratæ vigilanti ſtudio in inſidijs ſunt, dum vident naues multis mercibus onuſtas, plurimaſque ſecum afferentes diuitias. Euidentiſſimum de illis omnibus habemus de Chriſto exemplum, non enim ad illum tentandum ſe accinxit, niſi poſtquam in baptiſmo cælis apertis, pręclara à patre laudũ ſuarum audiuit encomia, & Spiritus Sanctus eximiam ſanctitatis eius ſpeciem, potiſſimùm per egregia ieiunij, orationis, & mortificationis opera in deſerto facta, oculis ipſius Dęmonis ſpectandam exhibuit; tunc, inquam, anſam arripuit auida voluntate eum aggrediendi & tentandi, & ita ſe gerit cum hominibus ſacro baptiſmatis lauacro tinctis, & Dei potenti manu, ex peccato, inſtar filiorùm Iſraël ex Ægypto eductis, & ad terram illam cœleſtem repromiſſam procedentibus, cuius poſſeſſionis iura ille ſuperbiâ ſuâ amiſit: cùm illos enim ita cœleſtibus donis, & præclaris virtutum dotibus exornatos conſpicit, nimio liuore, inuidiâ, odio implacabili, & rabido furore ſuccenſus, ad eos expugnandos vt à tam fœlici ſtatu decidant, & eorum iter in cœlum impediat, ſe conuertit. Et eſt quod ex profeſſo Deus agens de ipſo Dęmone ſub ſpecie elephanti, quem Behemoth vocat, eius inſatiabilem ſitim vult annotare; *Abſorbebit*, inquit, *fluuium, & non mirabitur, & habet fiduciam quod influat Iordanis in os eius.* B. Greg. fluuij nomine, naturam humanam iniquorum intelligit, quæ procedens à primo illo fonte infecto Adam, quaſi fluuius tendit ad mare, id eſt ad mortem & damnationem: nomine autem Iordanis intelligit viros ſanctos, qui per baptiſmum ſunt mundati & ſanctificati; quando enim Chriſtus à Ioanne in Iordane fuit baptizatus, vim regenerandi & ſanctificandi contulit aquis; Dæmon ergò abſorbet fluuium, hoc eſt iniquos, ſuperbos, iracundos, auaros, luxurioſos &c. nec id mirum

Chriſtũ poſt baptiſmum tentauit Dæmon; ita & nos.

Iob 40. *Lib.* 33. *Mor. cap.* 7. *& ſeqq.*

putat, aut pro magno non æſtimat, quia per ipſa vitæ ſuæ ſtudia, quaſi fluuius deorſum currunt ad damnationem: habet autem fiduciam, & magnopere nititur vt Iordanis, id eſt viri Sancti baptiſmate mundati & ſanctificati, influant quoque in os eius, & mortaliter peccent, hos maximè quærit, hos deuorare ſatagit, illi enim ſunt eſca eius electa, vt habet Habacuc Propheta. *In ſanctificatis hominibus,* (inquit S. Hilarius) *maximè Diaboli tentamenta graſſantur, quoniam victoria magis eſt exoptata de Sanctis.* Poſt varia rerum diſcrimina, tertiâ & vltimâ vnctione vnctus fuit Dauid in Regem, quando ab omnibus Tribubus Rex fuit acceptatus & prædicatus: *Audierunt autem Philiſthijm* (ait ſacer textus) *quòd vnxiſſent Dauid in Regem;* & ſtatim vehementiſſimo ardore moti ſunt ad eum expugnandum; vnde & ingenti exercitu congregato, bellum eidem inferre decreuerunt, tale vt opus fuerit, quòd Dauid ſe totum conuerteret ad diuini fauoris auxilium depoſcendum: ita hoc ipſo quòd homo vngitur in Regem ex baptiſmo, exteriùs quidem oleo Sancto, interiùs autem gratiâ Spiritus Sancti, quam exterior vnctio ſignificat, aut in alterius Sacramenti ſuſceptione, aut per veram contritionem in diuinam gratiam admittitur, recipiturque in Dei Filium, & hoc ipſo in hæredem regni cœleſtis, ſummâ rabie ingens Dæmonum multitudo excitatur, & vires ſuas parat ad eum expugnandum. In huius confirmationem non obſcurè obſeruat S. Auguſtinus, quòd hoc ipſo atque Filij Iſraël biberunt aquam illam miraculoſam, fluentem de petra Oreb, ſtatim Amalech contrà eos fortitudinis ſuæ acies direxit. *Videte fratres,* inquit Aug. *quia poſtquam quiſque de petra biberit, id eſt Chriſti Sacramenta ſuſceperit, neceſſe eſt illi ad pugnam accedere: tandiu enim quiſque Diabolum contrà ſe pugnantem non ſentit, quandiu opera illius exercere voluerit: qui verò illum reliquerit & de petra bibens Chriſtum ſequi elegerit, neceſſe eſt vt illum patiatur infenſum, cui iuſto iudicio voluit præponere Chriſtum.* Et ampliùs confirmatur ex eo quòd in primo Regum libro legimus, Hebræos conueniſſe in Maſphath, vbi præterita flagitia abiurarunt cum lacrymis, corpora ſua ieiunijs macerarunt, ac denique ad veram fidem religionemque in poſterum colendam, animum mentemque intenderunt: quod cùm audiſſent Philiſtijm, aſcenderunt ad Iſraël Satrapæ eorum ſeu Tyranni vt vertit Chaldæus, qui erant quinque, iuxtà totidem Paleſtinæ Satrapias, & inierunt bellum contrà Iſraël: ita cùm Dæmones vident nos ad Dominum toto corde conuerti, & in ieiunijs, orationibus, & alijs pijs operibus, pœnitentiam de commiſſis peccatis agere, anſam arripiunt ineundi aduerſùm nos bellum; ſed proptereà animo non deſpondeamus, at potiùs fortes in fide & per-

Habac. 1.
Can. 3. in Matthæum.
2. Reg. 5.
Serm. 93. de tempore.
Exodi 17.
1. Reg. 7.

ſeuerantia, in cunctis ſanctis actionibus & virtutum exercitio, virili pectore reſiſtamus; debiles enim ſunt hi hoſtes noſtri, cùm eis Chriſto iuuante fortiter reſiſtitur, vt ſequenti Sectione dicendum.

SECTIO III.

Deus gladium malitiæ Dæmonis applicat, vt non nobis quantum vellet, noceat.

Iob. 40.

Lucifer eſt principium viarum Domini.

a 32. Moral. cap. 24. & 25.
b Ezech. 31.

DEVS præpotens ſub typo Behemoth aut Elephanti Dæmonem deſcribere volens ait: *Ipſe eſt principium viarum Dei, qui fecit eum, applicabit gladium ipſius.* Quibus verbis, veriùs ipſum Dæmonem quam Elephantum deſcribit, cuius naturam, potentiam, actionesque viuis depingit coloribus. Primò enim de eo dicitur, quòd ſit principium viarum Dei, vbi Septuaginta legunt, hoc eſt principium formationis Domini, quia inter omnes creaturas quas Deus formauit, ille principem tenuit locum ſecundùm naturam, & ſecundùm dona gratiæ quæ tunc recepit, & quibus ſuper omnes alias creaturas excelluit, vt ibi exponit S. Greg. [a] Iuxta illud Ezechielis, [b] *Cedri non fuerunt altiores illo in Paradiſo Dei, abietes non æquauerunt ſummitatem eius, platani non fuerunt æqui frondibus illius, omne lignum Paradiſi Dei, non eſt aſſimilatum illi & pulchritudini eius, quoniam ſpecioſum fecit eum, in multis condenſiſque frondibus, &c.* Quoniam autem, vt B. Dionyſius docuit, ad naturam ſequitur potentia, & vnaquæque res tantò maioris eſt potentiæ quantò eſt excellentioris naturę: ex hoc ipſo quod fatetur Deus illum eſſe ſuperiorem ſecundùm naturam, videbatur inferendum quod omnes creaturas excedit etiam ſecundùm potentiam; quapropter nobis eſſe impoſſibile illi obſiſtere. Secundò, de eodem dicitur. *Qui fecit eum applicabit gladium ipſius.* Quæ verba etſi nonnulli ſatis appoſitè de gladio creatoris exponant, aptiſſimè tamen de gladio ipſius Dæmonis intelligi poſſunt, ſicut explicantur à B. Greg. qui annotat applicare gladium idem eſſe quod reſtringere, replicare, implicare, vel inuoluere, ad eum modum quo acutum gladium vaginâ implicamus & inuoluimus, quâ eius acies incluſa tenetur, ne ferire poſſit; ſi ergò Diabolus ſibimetipſi relinqueretur, ſicut omnes creaturas ſuperat ſecundùm naturam ita ſuperaret per ſuam pòtentiam, quam gladij nomine Deus expreſſit; hęc tamen potentia comprimitur, inuoluitur, reſtringiturque à Deo, vt non quantum vult, ſed quantum

Lib. 33. Moral. cap. vlt.

Deus gladiũ Dæmonis applicat, & quomodo.

ei permittitur agere poſſit, & quantum nobis prodeſt, iuxtà illud quod ait Apoſtolus. *Fidelis Deus eſt qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione prouentum vt poſſitis ſuſtinere;* Prouentus enim quem facit Deus, eſt auxilium gratiæ ſuæ quod nobis confert, quo mediante & inimici vires imminuit, & nobis facultatem ad reſiſtendum tribuit. Sed quiſnam eſt ille gladius iſtius Elephanti aut Behemoth, hoc eſt Dęmonis? eſt inquit S. Gregor. ipſa ſua nocendi malitia, ſed ab eo à quo bonus per naturam factus eſt, eius gladius applicatur, quia eius malitia diuinâ diſpenſatione reſtringitur, ne ferite mentes hominum quantum appetit, ei permittatur, ſicut contigit dùm contrà Sanctum Iob licentiam tentationis accepit; nam etiamſi ſuprà modum, illum perſequutus fuerit, vt anteà oſtendimus, Deus tamen malitiæ eius gladium applicauit; hoc eſt replicauit & reſtrinxit dum ei dixit: *Animam illius ſerua.* Aliqui clariùs explicant retinendo applicandi verbum vt littera ſonat; ſumptâ metaphorâ à Medicis applicantibus medicamenta, & dictionem *gladium*, prout ſignificat id quod ad alterius deſtructionem, exitium vel malum adhibetur, iuxtà Sanctos Patres Hieronymum[a], Auguſt[b]. & Gregor[c]. conformiter ad vim Hebræi ſermonis quo gladius, *Hereb* dicitur, propriéque ſignificat exſiccationem, deſolationem, vaſtationem, vt Brixianus ait[d], & ita ſenſus huius ſententiæ talis eſt; gladium Dæmonis hoc eſt eius malitiam & iram quâ nos vaſtare, deſolare, ac perdere nititur, vt colligit S. Greg. Deus tanquam benignus Medicus, ad bonum, ad vtilitatem noſtram ac ſalutem applicabit. Medicamenta vtplurimùm in ſe contraria ſunt, & deſtructoria naturæ, qualia ſunt purgantia, vrentia, mordicantia, &c. & verè dicuntur naturæ venenum, quale eſt Diagridium, Scammonea, Coloquintidæ, Cauſtica: & hæc quidem quæ in ſe talia ſunt, moderata & contemperata à Medico, & applicata in determinata quadam menſura, vim habet medicamentorum, & maximè proficua ipſi naturæ redduntur: vnde & Medicus eorum malignitate vtitur, ad ſalutem hominum promouendam, ad ſuperfluos noxioſque humores expellendos vel exſiccandos, temperando illorum malitiam, mordacitatem, noxiam vim & facultatem, & illa applicando iuxtà ſuſcipientium vires; & proptereà metitur & ponderat ea non tantùm ſecundùm libras & vncias, ſed & ſecundùm drachmas & ſcrupulos, imò & ſecundùm grana, ſciens horum vim contrà naturam noſtram, quæ niſi temperatiſſima applicentur, exitium & mortem certiſſimè inducent: ità ergo Deus ſe habet, eſt ſiquidem Dęmonis gladius iniquus & malus in ſe, hoc eſt malitia ſua, quæ vt ſatis notum eſt, noſtræ naturæ contrariatur, & eius exitium &

1. Cor. 10.

a In cap. 65. Iſaie.
b In Pſal. 104.
c Lib. 34. Moral. cap. 4.
d In arca 10. 1. fol. 258.

Deus eſt bonus Medicus & quomodo.

ruinam deſiderat omnibuſque viribus procurat; at pius ille ac benignus Medicus noſter nullatenùs concedit, vt abſolutè talis Diaboli malitia nobis applicetur, nec ſinit eum agere quantum vult, quin potiùs tantæ malitiæ vires & facultates contemperat, & nulla ratione nobis applicari ordinat, niſi ſecundùm determinatam menſuram, vt nobis ſit próficua ad ſuperbiam purgandam, torporem excutiendum, exercendas virtutes, acuendas ſpiritales vires, diſponendam animam ad excellentiorem coronam; & hoc eſt quod habet S. Chryſoſt. Menſurata nobis dedit Deus certamina, metitur propterea & expendit attentiſſimè, qui cordis noſtri intima luſtrat, vires cuiuſque non tam eas quas à natura, ſed præcipuè quas ab auxilio gratiæ ſuæ quiuis habet: nec vllatenùs vltra tales vires permittit nobis Diaboli applicari malitiam aut actionem. Vnde ipſe Dæmon mare dicitur, in quem omne genus malitiæ influit, vt nihil aliud eſſe videatur, quàm totius malitiæ abyſſus & congeries, vt ex Apoc. colligitur, vbi mentio fit de altitudine ſiue profunditate Sathanæ. Quemadmodum igitur mare vento aut tempeſtate agitatum, tanto impetu fertur, vt omnem terram ſubuerteret, ſi Deus eius potentiam non coërcuiſſet, imponens & præfigens ei terminum quem tranſire non poteſt: vnde apud S. Iob; *Huc vſque venies, & non procedes ampliùs;* ita Sathanas velut mare, valido ſuperbiæ & inuidiæ vento agitatum, facilè omnem terram hominem ſcilicet ſubruere poſſet, ſi Deus eius non coërceret potentiam, terminum ſuæ malitiæ præfigendo, vt non ei progredi liceat niſi vſque ad illum quem diuina ſua prouidentia ſtatuit. Comparatur etiam Dæmon vento valido, quem nonnulli dicunt eſſe ſpiritum illum procellarum, de quo loquitur Pſaltes Regius[a], & id confirmat S. Gregor.[b] expendens ventum turbinis venientem ab Aquilone, & S. Cyrillus[c], & docent ventũ illum eſſe Dæmonem: Ventus procellarum & turbinum non ſolùm naues in mari ità impetit, vt niſi à Deo comprimeretur, ab ipſo mari abſorberentur, ſed & arbores, imò & turres ita exagitat, vt niſi ipſe Deus illum ſedaret & impediret, eradicarentur & ruerent, & ideo habetur in libro Iob: *Qui fecit ventus pondus*, Septuaginta *libramentum*; id eſt ità à Deo librantur, vt nullâ ratione perflent niſi iuxtà peculiarem menſuram quam à Deo accipiunt: vnde addit Pſaltes: *Faciunt verbum eius*; ita de illo turbinis vento hoc eſt Dæmone, eſt dicendum, non enim ſecundùm omnium virium ſuarum potentiam agit, quin potiùs comprimitur à Deo eius malitia, vt nullatenùs ei permittat agere niſi in numero, pondere, & menſura, & hoc eſt, quod illa verba ſignificant: *Qui fecit ventus libramentum*; ita namque ille qui vires noſtras agnouit, qui cognouit figmentum noſtrum, & recorda-

Marginal notes:

Hom. 65. ad populum.

Dæmon eſt mare malitiarum. *Apoc. 2.*

Iob. 38

Dæmon eſt ventus validus.
a *Pſal. 148.*
b *Lib. 2. Moral. cap. 28.*
c *Lib. 2. in Ioan. cap. 22.*

Iob. 28.

tur quoniam puluis ſumus, vires huius turbinis aut venti comprimit, vt nonniſi iuxtà menſuram ſibi præſcriptam perflare & agere poſſit, aliàs enim de homine qui puluis & cinis eſt arduus & ſiccus, omninò actum eſſet; & eſt quod expreſsè docet S. Auguſt. exponens illa verba Matth. *Quomodo poteſt quiſquam intrare in domum fortis, & vaſa eius deripere, niſi priùs alligauerit fortem? Alligatio Diaboli* (inquit) *eſt non permitti exercere totam tentationem quam poteſt, vel vi vel dolo, ad ſeducendos homines in partem ſuam, cogendo violenter, fraudulenterue fallendo.* Quod ſi ei permitteretur in tam longo tempore & tantâ multorum infirmitate, ſuam tyrannidem aduerſus homines exercere, vix reperiretur quis, qui euadere vnquam poſſet: & propterea ne tanta operetur mala, alligatus eſt, proindèque non venit à pijs & probis pertimeſcendus, vt monuit ipſemet Deus vnumquemque noſtrum, verbis quæ apud Hieremiam Prophetam habentur: *Ne formides, inquit, à facie eorum, nec enim timere te faciam vultum eorum.* Et etiamſi iuxtà litteræ ſenſum, Propheta moneretur ne faciem & vultum eorum ad quos mittebatur ad annuntiandum eius verbum, formidaret, ſed potiùs conſtanter veritatem prædicaret, attamen Medina in hunc locum, & nonnulli alij de Dęmonibus hęc verba intelligunt, docentque Deum quemlibet noſtrum monerę ne à facie eorum formidet, quia præter faciem nihil habent, horridi ſunt vultu, imbecilles ſunt, & vultu quidem videntur timorem incutere, aſpectu terrorem, *Sed ne timeas*, inquit, *à facie eorum, quia ego tecum ſum, vt eruam te*, ſi conſtanti animo reſiſtas, & ſic apparet Deum prępotentem malitiæ eorum gladium ita applicare, vt non noceant quantùm poſſent & vellent.

De Ciuit. Dei, cap. 8. Matth. 12.

Alligatur Dæmon ne noceat quantum vellet, & ideò non eſt à piis pertimeſcendus.

Hierem. 1.

Medina.

SECTIO IV.

Chriſtus etiam & Angeli, ſe piorum quos inſequitur Dæmon; protectores exhibent.

QVOAD priorem partem ſpectat, quotieſcumque à Diabolo prouocamur in certamen, nobiſcum præſentiſſimus adeſt Chriſtus Ieſus Dominus noſter, & protectionem ac defenſionem affert; hinc præclarè Eccleſiaſtes, *Si vnus præualuerit contrà vnum, duo reſiſtunt ei.* Qui duo? homo & Chriſtus; nunquam enim homo iuſtus derelinquitur ſolus in certamine aduerſùs Dęmones, ſed ſemper ſocium protectorem habet Ieſum. Ita ibi S. Hieron. *Si aduerſùs*

Cap. 4. Chriſtus aduerſus Dæmonem, protector noſter eſt.

hominem robuſtior in expugnando Diabolus ſteterit, ſtabit homo, ſtabit & Chriſtus pro homine, pro ſodali ſuo, vix Diaboli impugnationem ſentiet homo, & ſimul ſentiet protectionem Chriſti. Poteſt igitur dicere iuſtus id Iſaïæ iuxtà lectionem Septuaginta: *Ego ciuitas munita, ego ciuitas oppugnata.* Simul ergò ſuſtinet impugnationem, & accipit munitionem, impugnationem à Diabolo, & defenſionem à Chriſto, de quo S. Ambr. *Ego ciuitas munita, ego ciuitas obſeſſa, munita per Chriſtum, obſeſſa per Diabolum, ſed non debet obſidionem vereri cui Chriſtus adiutor eſt, munitur enim ſpiritali gratiâ, & ſæcularibus periculis obſidetur.* Nunquam ergò viro iuſto venit Diaboli impugnatio, quin ſimul veniat Chriſti protectio & munimentum: iam enim anteà oſtendimus ipſum Diabolum eſſe fabrum illum quem interfecit Chriſtus, hoc eſt eum deuicit, eiuſque vires enervauit. Hinc ipſe Diabolus Sancto Antonio, referente S. Athanaſio, dixit poſt Chriſtum nullas eſſe ei vires contrà fideles & iuſtos; eſt enim ille fortis armatus per Chriſtum alligatus, vt idem Chriſtus dixit [a]. *Niſi priùs fortem alliget.* Et dicitur in Apoc. [b] ligatus per annos mille, id eſt toto gratię tempore quod mille annis ſignatur, & in fine mundi modico tempore ſoluetur, hoc eſt tempore Antichriſti: ita vt iam ſimilis factus ſit Samſoni ligato cum quo pueri ludunt, iam enim exorciſtis traditur eijciendus, qui minor gradus & puerorum, eſt in Eccleſia; pueri enim in illùm facilè præualent, vt notat S. Iuſtinus Martyr. Iudicaberis ergò & argueris, ſi expulſo à te Dæmone per Chriſtum, iterùm eum recipias, iterùm in principem eligas, iterùm poteſtati eius te ſubijcias: erutus es de poteſtate Dæmonis? Noli iterùm eum in principem ſumere. Si alicuius magni, ac potentis Regis filius diceret, malo eſſe ſeruus Turcæ laborans in triremibus eius, quàm filius Regis, & eius hæres, an non hunc dementatum diceres, & Regi ſummam inferre iniuriam? Chriſtiane qui nunc dicis, *malo Dæmonis eſſe mancipium*, & in viliſſimis eius deſeruire & ſummo cum labore, quàm Dei eſſe & filius & hæres, an non amens es? an non Deo ſummam irrogas iniuriam? Profectò gloriatur propter te Dæmon contrà Deum dicens; pluris homo facit me quàm te, præeligit potiùs ſeruus eſſe meus quàm filius tuus. *Propter hoc*, inquit Pſaltes, *inimicus improperabit Domino & populus inſipiens irritabit nomen tuum.*

Iſai 27. | Lib. 6. examer. cap. 8. | S. Athanas in vita S. Anton. | a Marc. 3. | b Apoc. 20. | S. Iuſtinus. | Pſal. 73.

Quod autem ad poſteriorem partem attinet; ſicut ipſe Chriſtus ab inſidijs & fraudibus Dæmonum nos protegit: ita vult quoque nos habere ſuos miniſtros, hoc eſt Angelos protectores, vt ſæpiùs in Tractatu de Angelis bonis inſinuauimus; nam ipſi ſunt fortiores Angelis malis, vt conſtat in Apocalypſi, vbi legimus Michaëlem cum Angelis

Aduerſus Dæmonem Angelos habemus protectores. | Apoc. 12.

gelis bonis viciſſe Sathanam, & Angelos eius: & Raphaël apud Tobiam Aſmodæum peſſimum Dæmonem ligauit; & item in Apocalypſi: *Angelus bonus ligauit Sathanam.* Cùm ſint ergo Angeli fortiores Dæmonibus, aduersùs illos nos defendunt, quamuis tamen aliquando ex Dei permiſſione eis cedant; ſunt enim boni ipſi Angeli Diuinæ Sapientiæ adminiſtri. Quamobrem ſicut diuina prouidentia mala fieri permittit per malos homines & Dæmones, propter bona quæ inde elicit; ſic & Angeli Sancti voluntati Dei inſeruientes, non omninò compeſcunt à nocendo Angelos malos vel impios homines, & ita etiam Dæmones vim & poteſtatem ſuam in pios & bonos homines exercent, inquantùm à Deo eis permittitur, vt iam notauimus in Tractatu de Angelis bonis. Et hoc eſt quod docet S. Cypr. Deum ipſis Dæmonibus poteſtatem dediſſe in nos, vel ad pœnam dum delinquimus, vel ad gloriam dum probamur; quamuis tamen, ait Sanctus Auguſtinus, talis poteſtas eis conceſſa, ſit ſemper limitata & non libera; ſicque quamuis plura nocentia exercere norint, tamen eis non ſemper permittuntur, neque vnquam attingunt quæ propria Dei ſunt.

Tob. cap. 8. *Apoc. 20.* Angeli boni quandoque Dei permiſſione cedant Dæmonibus. *Serm. 6. de oratione Domin.* *Lib. 3. de Trin. cap. 8.*

SECTIO V.

Dæmon aſſiſtit morientibus.

ISIDORVS Hiſpal. Epiſcopus [a] rectè aduertit ex S. Gregor. [b] quòd cùm hominem continuò præuaricari cupiat Diabolus, ampliùs tamen in fine molitur decipere. Hinc eſt quòd in principio contrà Protoplaſtum ſerpenti eſt dictum: *Et tu inſidiaberis calcaneo eius*, quia nimirùm hominem quem Diabolus in curſu præteritæ vitæ non decepit, in nouiſſimis ſupplantare diſponit; calcaneo enim inſidiari & ſemini Dei, non eſt aliud quàm inſidiari fini hominum Chriſtianorum: *Qui non ex voluntate carnis, ſed ex Deo nati ſunt,* vt docet S. Ioan. poſtrema autem huius inimici tela in homines pios ſunt ſæuiſſima, vt quos initio ab opere bono reuocare non potuit ſuaſionibus, nec in medio potuit immiſcere alienis negotijs, ſub finem fortiùs inuadat, vel vt operis contemptu vel nimiâ facti complacentiâ & gloriâ inani, ſecuritatis & negligentiæ præſumptione, conquiſitum magnis laboribus meritorum theſaurum eripiat, & tunc veluti Mandragora ſopitos iugulat & nudat, & hoc maximè molitur ijs qui magis bonis operibus intenti videntur. Et vt ait celeberrimus qui-

a *Lib. 3. ſuarũ Sent. cap. 5. num. 14.* b *Lib. 33. Moral. c. 17.* Dæmon vitæ Chriſtianorũ fini inſidiatur, & quomodo, latè oſtenditur. *Ioan. 1.*

hominem robuſtior in expugnando Diabolus ſteterit, ſtabit homo, ſtabit & Chriſtus pro homine, pro ſodali ſuo, vix Diaboli impugnationem ſentiet homo, & ſimul ſentiet protectionem Chriſti. Poteſt igitur dicere iuſtus id Iſaiæ iuxtà lectionem Septuaginta: *Ego ciuitas munita, ego ciuitas oppugnata.* Simul ergò ſuſtinet impugnationem, & accipit munitionem, impugnationem à Diabolo, & defenſionem à Chriſto, de quo S. Ambr. *Ego ciuitas munita, ego ciuitas obſeſſa, munita per Chriſtum, obſeſſa per Diabolum, ſed non debet obſidionem vereri cui Chriſtus adiutor eſt, munitur enim ſpiritali gratiâ, & ſæcularibus periculis obſidetur.* Nunquam ergò viro iuſto venit Diaboli impugnatio, quin ſimul veniat Chriſti protectio & munimentum: iam enim anteà oſtendimus ipſum Diabolum eſſe fabrum illum quem interfecit Chriſtus, hoc eſt eum deuicit, eiuſque vires enervauit. Hinc ipſe Diabolus Sancto Antonio, referente S. Athanaſio, dixit poſt Chriſtum nullas eſſe ei vires contrà fideles & iuſtos; eſt enim ille fortis armatus per Chriſtum alligatus, vt idem Chriſtus dixit [a]. *Niſi priùs fortem alliget.* Et dicitur in Apoc. [b] ligatus per annos mille, id eſt toto gratię tempore quod mille annis ſignatur, & in fine mundi modico tempore ſoluetur, hoc eſt tempore Antichriſti: ita vt iam ſimilis factus ſit Samſoni ligato cum quo pueri ludunt, iam enim exorciſtis traditur eijciendus, qui minor gradus & puerorum eſt in Eccleſia; pueri enim in illùm facilè præualent, vt notat S. Iuſtinus Martyr. Iudicaberis ergò & argueris, ſi expulſo à te Dæmone per Chriſtum, iterùm eum recipias, iterùm in principem eligas, iterùm poteſtati eius te ſubijcias: erutus es de poteſtate Dæmonis? Noli iterùm eum in principem ſumere. Si alicuius magni, ac potentis Regis filius diceret, malo eſſe ſeruus Turcæ laborans in triremibus eius, quàm filius Regis, & eius hæres, an non hunc dementatum diceres, & Regi ſummam inferre iniuriam? Chriſtiane qui nunc dicis, *malo Dæmonis eſſe mancipium*, & in viliſſimis eius deſeruire & ſummo cum labore, quàm Dei eſſe & filius & hæres, an non amens es? an non Deo ſummam irrogas iniuriam? Profectò gloriatur propter te Dæmon contrà Deum dicens; pluris homo facit me quàm te, præeligit potiùs ſeruus eſſe meus quàm filius tuus. *Propter hoc*, inquit Pſaltes, *inimicus improperabit Domino & populus inſipiens irritabit nomen tuum.*

Iſai 17.

Lib. 6. examer. cap. 8.

S. Athanas. in vita S. Anton.

a Marc. 3.

b Apoc. 20.

S. Iuſtinus.

Pſal. 73.

Quod autem ad poſteriorem partem attinet; ſicut ipſe Chriſtus ab inſidijs & fraudibus Dæmonum nos protegit: ita vult quoque nos habere ſuos miniſtros, hoc eſt Angelos protectores, vt ſæpiùs in Tractatu de Angelis bonis inſinuauimus; nam ipſi ſunt fortiores Angelis malis, vt conſtat in Apocalypſi, vbi legimus Michaëlem cum Angelis

Aduerſus Dæmonem Angelos habemus protectores.

Apoc. 12.

gelis bonis viciſſe Sathanam, & Angelos eius: & Raphaël apud Tobiam Aſmodæum peſſimum Dæmonem ligauit; & item in Apocalypſi: *Angelus bonus ligauit Sathanam.* Cùm ſint ergo Angeli fortiores Dæmonibus, aduersùs illos nos defendunt, quamuis tamen aliquando ex Dei permiſſione eis cedant; ſunt enim boni ipſi Angeli Diuinæ Sapientiæ adminiſtri. Quamobrem ſicut diuina prouidentia mala fieri permittit per malos homines & Dæmones, propter bona quæ inde elicit; ſic & Angeli Sancti voluntati Dei inſeruientes, non omninò compeſcunt à nocendo Angelos malos vel impios homines, & ita etiam Dæmones vim & poteſtatem ſuam in pios & bonos homines exercent, inquantùm à Deo eis permittitur, vt iam notauimus in Tractatu de Angelis bonis. Et hoc eſt quod docet S. Cypr. Deum ipſis Dæmonibus poteſtatem dediſſe in nos, vel ad pœnam dum delinquimus, vel ad gloriam dum probamur; quamuis tamen, ait Sanctus Auguſtinus, talis poteſtas eis conceſſa, ſit ſemper limitata & non libera; ſicque quamuis plura nocentia exercere norint, tamen eis non ſemper permittuntur, neque vnquam attingunt quæ propria Dei ſunt.

Tob. cap. 8.
Apoc. 20.

Angeli boni quandoque Dei permiſſione cedant Dæmonibus.

Serm 6. de oratione Domin.

Lib 3. de Trin. cap 8.

SECTIO V.

Dæmon aſſiſtit morientibus.

ISIDORVS Hiſpal. Epiſcopus [a] rectè aduertit ex S. Gregor. [b] quòd cùm hominem continuò præuaricari cupiat Diabolus, ampliùs tamen in fine molitur decipere. Hinc eſt quòd in principio contrà Protoplaſtum ſerpenti eſt dictum: *Et tu inſidiaberis calcaneo eius*, quia nimirùm hominem quem Diabolus in curſu præteritæ vitæ non decepit, in nouiſſimis ſupplantare diſponit; calcaneo enim inſidiari & ſemini Dei, non eſt aliud quàm inſidiari fini hominum Chriſtianorum: *Qui non ex voluntate carnis, ſed ex Deo nati ſunt*, vt docet S. Ioan. poſtrema autem huius inimici tela in homines pios ſunt ſæuiſſima, vt quos initio ab opere bono reuocare non potuit ſuaſionibus, nec in medio potuit immiſcere alienis negotijs, ſub finem fortiùs inuadat, vel vt operis contemptu vel nimiâ facti complacentiâ & gloriâ inani, ſecuritatis & negligentiæ præſumptione, conquiſitum magnis laboribus meritorum theſaurum eripiat, & tunc veluti Mandragora ſopitos iugulat & nudat, & hoc maximè molitur ijs qui magis bonis operibus intenti videntur. Et vt ait celeberrimus qui-

a *Lib. 3. ſuarũ Sent. cap. 5 num. 14.*
b *Lib. 33. Moral. c. 17.*

Dæmon vitæ Chriſtianorũ fini inſidiatur, & quomodo, latè oſtenditur.

Ioan. 1.

dam author, omnem quam poteſt & nouit rationem & conatum, hoc in poſtremo conflictu exhibet, vtpotè qui nouit ſi in illa hora non expugnet ac victoriam referat, ſibi prædam cui adeò ardenter inhiat, è manibus elabi; vnde ait S. Ioan. in Apocalypſi: *Væ terræ & mari, quia deſcendit Diabolus ad vos habens iram magnam, ſciens quòd modicum tempus habet.* Quia ergo tunc videt modicum tempus illi ſupereſſe, quia breui eſt anima egreſſura à corpore, reduplicat vires ac artes ſuas, vt venenata pharmaca effundat, amorem obijcit filiorum ſi quos moribundi habeant, vt in Deum charitatem eliminet, præteritas noxas obiectat, vt deſperatio exurgat, ſuggerit ingrati animi eſſe vxorem beneuolam, amantem, benemeritam (ſi ſit coniugatus) expoliare, & ſubſtantijs ſuis Eccleſiam ditare, pauperes veſtire, malè parta reddere, debita ſoluere; illum quantum poteſt inducit, vt priùs inuigilet ad rei familiaris diſpoſitionem quàm ad animæ neceſſitates, & ſatis ſupereſſe illi temporis ad ei prouidendum, aut ſacramenta ſuſcipienda, & interim multoties accidit, vt multi hâc ſpe deluſi, non ſatis diſpoſiti, nec in bono ſtatu gratiæ, è præſenti vita migrent, & non ſine ſalutis æternæ diſpendio. Præterea ipſi Dæmones illo maximè tempore, lugentem animam in deſperationem conijcere ſatagunt, atque vt omnem ſpem veniam ſperandi occludant, ſcelerum commiſſorum grauitatem memoriæ inculcant, vt deijciant curam omnem redeundi ad ineffabilem Dei bonitatem, quæ omnem peccatorem quacumque horâ debitâ contritione ingemuerit, expanſis vlnis expectat, & venienti occurrit, fugientemue reuocat. In poſtremo etiam vitæ momento, ſalutem omni ex corde ei ſe conuertenti paratam offert: cui rei ipſi Dæmones in maxima & ſuprema vitæ periodo, pugnam acerrimam mouent, ne præda illis animæ peccatricis, vt iam dictum eſt, eripiatur: Adeſt ibi ſpiritus ſuperbiæ, ambitionem, arrogantiam, præſumptionem, inobedientiam, obſtinationem proprij iudicij obijciens: Adeſt Spiritus inuidiæ cum ſuis aſſeclis, obijciens detractiones, ſuſurrationes, odia, gaudium de alieno malo: Adeſt Spiritus iracundiæ cum ſuis, calumnias, conuitia, rixas, contentiones, vindictas exprobrans: Adeſt Spiritus auaritiæ, fraudes, periuria, furta, vſuras, iniuſtitiam omnem coaceruans, quaſi denſum contra peccatorem lutum, vt non poſſit euadere: Adeſt Spiritus gulæ & luxuriæ, in memoriam reuocans quicquid carnis voluptati indulſit animus, contra Deum peccans: Adeſt Spiritus acediæ, tædium inducens, & obliuionem cum corpore, vt homo iam obliuiſcatur ſui, qui antea oblitus eſt Dei. Sic vallum impenetrabile, & intranſmeabile conficitur, quo anima tremula circumcingitur & includitur deſperabunda. Et tunc de illa verifi-

Apoc. 12.

Adſunt mali ſpiritus ſuperbiæ, inuidiæ, iracundiæ, &c. in articulo mortis.

eatur, id quod dicebat Christus de Ciuitate Hieruſalem ſuper quam flebat, vt S. Lucas ait: *Venient dies in te & circundabunt te inimici tui vallo, & coanguſtabunt te vndique.* Quis enim anguſtias recenſere poſſit, quibus peccator in agone premitur? ſicut enim de inimicis Hieroſolymorum addens Chriſtus, *Non relinquent lapidem ſuper lapidem:* ita tunc temporis Dęmones conantur non relinquere lapidem ſuper lapidem, hoc eſt omnia bona opera & propoſita deſtruere, diſſipare, exinanire, inclamantes illud Babylonicum, ***Exinanite exinanite vſque ad fundamentum in ea.*** Fundamentum enim omnium bonorum operum eſt fides, quam tunc etiam demoliri nituntur, infidelitatem cum deſperatione perſuadentes; vt ſic nullus lapis ſacri ædificij in anima permaneat. Et hęc omnia infœlici homini permittit Deus accidere, quia Iudęorum inſtar non cognouit tempus viſitationis ſuæ; hoc eſt tempus gratiæ ſibi oblatæ ad reſipiſcentiam, tempus miſericordię ad vitam, tempus pacis & reconciliationis ad iram auertendam; Et proindè benè ſapiunt illi qui in extremis conſtituti, & in acerrimo illo agone cum Dæmone, opem & auxilium Dei implorant, vt ei animam reſignantes Dæmonem ſuperent; de eoque triumphent: qui enim habitat & confidit in adiutorio altiſſimi, non accedet ad illum malum, & filius iniquitatis non ſupplantabit greſſus eius. Multorum eſt ſententia Dęmonem proprium, cuique aduerſarium à ſupremo Cacodęmone conſtitutum, eidem moribundo, horribili ſpecie apparere, eumque ad deſperationem, aliaque ſcelera ſollicitare, vti apparuit Sanctæ Marthæ & alijs, non tamen omnibus. Idipſum ſentire videntur S. Ephrem [a], S. Chryſoſtom. [b] & alij. Legimus etiam in vita B. Martini ipſum Dęmonem in eius morte aſtitiſſe, & ideò Sanctum virum clamaſſe: *Quid hic aſtas cruenta beſtia? nihil in me funeſtè reperies.* Refert quoque Mandina Clericus regularis, Andręam Auellinum eiuſdem inſtituti, eodem prorſus die annis reuolutis, quo S. Martinus iam iam animam agens, ſtrenuam de Diaboli fraudibus victoriam reportauerat, etiam de ſimilibus inſidijs ac aſtutijs, dum quoque in extremis eſſet, Angelico fauore reportaſſe. Cùm igitur morbo pręnuntio, ad ſuperna euocaretur Andręas, iamque deſiderio totus eſſet in patria & morti proximus; ei lectulo iacenti patribus circunſtantibus Dæmon apparuit, ſtatim verò vnus ex ſupremis bonis Spiritibus, catenâ quâ canes aſtringi ſolent, collo religatum Dęmonem ipſum corripuit, & gemino ductu diſtentum, proiecit in atrium. Et hinc apparet infenſiſſimum illum hoſtem, viros etiam ſanctiores in mortis articulo non deſerere, ſed eis adeſſe ſi forſan in tali extremitate, vt in aliquod peccatum & potiſſimùm deſperationis labantur, efficere poſſit.

Luc. 19.

Dæmones in mortis articulo, omnia bona opera, &c conantur deſtruere.

Quiſnam Dæmon potiſſimùm, moribundo appareat.

a *Serm. in eos qui in Chriſto obdormiunt.*

b *Hom. 34. in Matth.*

Mandina in 2. cap. Hortem.

Et quis non mirabitur, quòd auſu temerario etiam ipſummet Chriſtum qui eſt caput omnium electorum, dum eſſet in cruce ſit aggreſſus? Sic ipſe Chriſtus teſtatur apud S. Ioannem; *Venit Princeps mundi huius & in me non habet quicquam.* Vnde Euſebius illud Chriſti dictum à Dauide, *Tauri pingues obſederunt me*, intelligit de Dęmonibus, quos Chriſtus in cruce vidit hiante rictu, ſibi quaſi reo & ſceleſto inſultantes de crucifixione, & inſtante morte. Fauet illud Habacuc: *Egredietur Diabolus ante pedes eius.* Beata Virgo non ignorans huius inimici audaciam ac temeritatem, ſimulque conſiderans quòd ſibi quoque in morte eſſet inſidiaturus (nonobſtante quòd cognoſceret ſe eſſe mulierem de quâ dictum ei fuerat, *Ipſa conteret caput tuum*) dilectum filium ſuum exoraſſe dicitur, ne tunc horribilem illam beſtiam videret, vt eſt ſententia S. Auguſtini. Videamus ergò dum ſuperſtites ſumus, & procul bellum illius nequiſſimi ſpiritus, quod nobis in extremis conſtitutis eſt illaturus, odoramur, vt mentes noſtras certamini ante certamen diſponamus, tanquam viri fortes & ſtrenui milites Chriſti, armaturâ Dei muniti & in die illo malo reſiſtamus, atque aduerſùs Dęmonis Phalanges perfecti ſtemus; ſicque tanquam obedientes loquemur victorias.

Ioan. 14. — *Lib. 1. de demõſtrat. cap. vlt.* — *Pſalm. 21.* — *Habac 3.* — *B. Virgo in inſtanti mortis Dæmonem non vidit.* — *S. Auguſt.*

Aduerte porrò quod poſtquàm animæ ſunt à corporibus egreſſæ, ſi in gratia deceſſerint, confuſi Dæmones abeunt, & Angeli eas in cœlum perpetuò beandas deferunt, vt olim Lazarum in ſinum Abrahæ; aut in purgatorium ſi aliquid luendum habeant, eaſque ibi conſolantur, & de Eccleſiæ ſuffragijs ac earum breui liberatione, vt cœlum conſcendant, certiores reddunt: ſi verò in peccato & extrà gratiam egreſſæ fuerint à corpore, illicò Dæmones eas rapiunt, & in infernum trahunt, vt olim diuitem Epulonem, ibique eas cruciant per conuitia & recordationem malorum quæ egerunt in hac vita, & per alia horribilia ſigna quæ ab ipſis fiunt, vt territæ paueant. Et eſt quod inſinuant frequenter SS. Patres & hiſtoriæ nonnullæ Eccleſiaſticæ, quæ communiter referuntur. Et vt horum damnatorum maiorem ſibi prædam faciant, pręcognoſcentes iudicium vltimum non aduenturum niſi impleto beatorum numero, maioribus artibus, & vt ita dicam, aperto marte, pios inſectantur, vt à gradu viaque beatudinis illos deturbent, & longiori ſpatio impleantur ſedes, & ne tam citò in inferni pœnis concludantur. Et hoc metuebant ipſi Dęmones in primo aduentu Domini, dicentes: *Quare veniſti ante tempus torquere nos?*

Sicut boni Angeli pios in cœlum ducunt; ita mali iniquos in infernum. — *Matth. 8.*

O proh dolor! tanta eſt illo tempore ipſius Sathanæ vis & ferocia, vt vix euadere moribundi à ſuis vnguibus & ſæuitia, hoc eſt eius tentationibus poſſint, quin lacerentur. Euenitque ſępe illis

quod olim Carano Macedoniæ Regi: (ait Pauſanias in Bœotic.) qui de Ciſſeo Prouinciæ finitimæ Domino, cùm victoriam reportaſſet, & trophæũ Argiuorum more, ad perennendã ſuam gloriam erexiſſet; illud poſteà Leo ex Olympo egreſſus euertit & diſſipauit: Sic reperies qui ſæpè in vita laureâ donati, coronatique fuerint, vt victores inuicti & triũphales; quorum tamen pulcherrima trophęa clariſſimarum virtutum collocata, in extremo illo vitæ actu, impreſſione ſua furioſus hic Leo euertit, non ab Olympo monte, ſed à nigro Auerno egreſſus. Legendus eſt S. Gregorius, qui conſiderans Chriſti verba Dęmonem mundi Principem vocantis, in Euangelio S. Ioan. *Venit Princeps huius mundi, & in me non habet quidquam*; hęc habet, *Curandum nobis eſt, & cum magnis quotidie fletibus cogitandum, quàm rabidus quàm terribilis, ſua in nobis opera requirens, in die noſtri exitus Princeps huius mundi veniat; ſi etiam ad Deum carne morientem venit, & in illo aliquid quæſiuit, in quo ſuum inuenire nihil potuit. Quid itaque nos miſeri dicturi, quid acturi ſumus qui innumera mala commiſimus? Quid requirenti aduerſario, & multa ſua in nobis inuenienti dicemus?* &c. O fœlices illi, qui ita in pręſenti vita de peccatis cõmiſſis pœnitentiam agunt, & ſeſe ad bona agenda opera & virtutum exercitia, accingunt, vt veniens in eorum morte, Princeps iſte mundi, in eis non habeat quidquam.

Hom 39. in Euang. Ioan 14.

CAPVT IX.

De apparitionibus Dæmonum in corporibus aſſumptis, nec non de eorum ſpectris & prodigijs.

SECTIO I.

Dæmones corpora aſſumere poſſunt ad hominum perniciem, & vt illis noceant.

IN Tractatu de Angelis, diximus illos corpora aſſumere poſſe, & quæ, nec tamen ea informare, nec etiam in illis opera vitæ exercere, ſed tantùm intrinſecè mouere, eiſque vti veluti inſtrumentis aut organis, ad explendas quaſdam operationes Dei iuſſu. Et quia Dæmones eiuſdem ſunt naturæ cum Angelis, certum eſt quo-

Dæmones corpora etiã aſpectabilia aſſumere poſſunt, & quæ, & ad quid.

que illos poſſe corpora aſſumere, non vt ea viuificent, ſed vt videantur; nec vt hominibus benefaciant, ſicut Angeli boni, ſed vt eis noceant. Quęnam autem corpora aſſumant nondum ſatis eſt exploratum; & quamplures de tali corporum aſſumptione ab illis variè loquuti ſunt. Clarum eſt illos aliquod corpus cœleſte non ſumere, hoc eſt de ſubſtantia tum Empyrei Cœli, tum alicuius inferioris: & ratio eſt, quoniam corpora illa ſunt penitùs indiuiſibilia & incorruptibilia, nec peregrinas ſuſcipiunt impreſſiones, teſte Philoſopho: & prętereà ſi ex hac ſubſtantia aſſumerent corpora Dęmonęs, ſequeretur hoc maximum inconueniens, ſcilicet quòd vbi aſſumerent, vacuum ibi relinquerent cœlum. Sed quodnam corpus valent igitur aſſumere? Corpora quæ aſſumunt in duplici differentia poſſunt eſſe, vetera ſcilicet, & recenter formata; vetera à natura iam producta, vti cadauera & mortuorum corpora, non quidem bonorum qui fuerunt Spiritus Sancti habitacula, ſed damnatorum; ſicque illorum corporum ſimplices ſunt motores, non autem formatores; recenter quoque formata corpora poſſunt aſſumere, hoc eſt de nouo illa ſibi Dei voluntate efformare, eaque ſibi aptare tanquam veſtes, ait S. Auguſtinus. Omnes autem Theologi docent illa ſibi fingere ex impuro aëre ſeu vaporibus, & exhalationibus, nubibuſue aëri admixtis, aërea enim corpora citò diſparent propter raritatem, maximè ſi virtus agentis & diſpergentis fortis ſit, vt in Dęmonibus, & ideò ea cùm volunt, deponunt. Non mirum autem ſi potiùs ex aëre ſibi effingant corpora quàm ex alia materia, ſympathiam enim quandam eſſe oportere inter locum, & habitantem, bona pars ſcriptorũ putat: Dæmones autem habitare in aëre caliginoſo omnes conſentiunt; credibile ergo eſt ex illo familiari aëre ſibi accommodare corpora ſolere. Deindè addunt oportere corpora eorum eſſe agilia, Dæmones enim, vt Tertull. ait, quodammodò volucres ſunt & celerrimè per omnia loca volitant, vt alibi dicemus. Addunt inſuper experientiam docere corpora illa eſſe aëria, ſunt enim qui ea conati ſunt aliquando ſcindere & vulnerare, ſed nequaquàm potuerunt, & experti ſunt illa ictibus cedere, & ſtatim diſparere. Deindè corpora illa facillimè euaneſcunt. Quòd ſi eſſent terrea, aliquid maneret ſolidi; ſi aquea, diffluerent; ſi ignea comburerent, & attrectari non poſſent: ſpiſſant autem Dæmones, & concondenſant iſta corpora ex compreſſione partium, vt enim aqua cogitur in glaciem, & interdum dureſcit in chryſtallum, ita aër quo ſe ſe veſtiunt Dæmones, denſatur in corpus aſpectabile, vt videri aut tangi poſſit. Quòd ſi aër ſolus non videatur eſſe ſatis, poſſunt admiſcere etiam, vt dictum eſt, aliquid vaporis, aut aquæ, vel nebulæ,

Ariſt. 2. Metaph. *S. Auguſt.*

vnde exiſtant colores. Id quippè fieri videmus in Iride, ſic enim ait Virgilius:

Mille trahit varios aduerſo ſole colores.

Non eſt autem neceſſe, Dæmonibus, aut etiam bonis Angelis tribuere membra vitalia, vt pulmones, cor, hepar, &c. non enim eâ causâ induunt corpora, vt ea informent & viuificent, ſed tantùm vt videantur, & tangi poſſint. Vnde Abraham vidit Angelos, & lauit illorum pedes, & illis appoſuit cibos, denique etiam comederunt.

Eſt autem hîc ſedulò aduertendum, id quod docet S. Thomas, quòd licet aër in ſua raritate manens, non retineat figuram neque colorem, quando tamen condenſatur, & figurari & colorari poteſt, ſicut patet in nubibus & Iride, vt dictum eſt. Et forſitan (inquiunt aliqui) aëri iunguntur aqua, terra, lutum, ſulphur, reſina, &c. quibus omnibus Dæmon ſpeciem humani corporis configurare poteſt, non tamen ita perfectè quin à veris corporibus plurimùm diſtent, & tactu diſcerni poſſint: & ratio eſt quia ars perfectè naturam exprimere nôn poteſt. Deindè benè aduertunt Doctores, plerumque effigiem humani corporis à Diabolo aſſumptam, parte aliqua apparere mancam aut monſtroſam, inſigniterue horridam, vocemque ſtridulam, obſcuram, confuſamque, velut è dolio fractaue olla prodeuntem. Refert Binsfeldius maleficos alioſque fateri, non eſſe difficilè Diabolum diſcernere ex membris & corporis conſtitutione, ex inceſſu, curſu, & alijs huiuſmodi, aliquando enim Dæmones apparentes in humana ſpecie, viſi ſunt cum pedibus tetris aut aſininis, vt habetur apud Alexandrũ de Alexandro [a] & alios, etiam ex confeſſione vnius maleficæ anno 1589. 14. Iulij, vt refert ſuprà nominatus Binsfeldiùs: & ita Nicolaus Remigius [b] de Dæmonolatria.

Qu. 55. art. 2.

Diſcernuntur Dæmones à bonis Angelis, in corporibus quæ aſſumunt.

Binſ. lib. de Confeſſ. malef. præiud.

a *Alex. lib. 4 Gen. dierum cap 19.*

b *Nicol. Remig. de dæmonol. lib 1.*

Ex his ſatis apertè ſequitur Dæmonem nullum aſſumere corpus ad vnionem naturalem, ſcilicet quòd ſicut anima facit cum corpore ſuo vnum per ſe: ita & Dæmon cum corpore aſſumpto faciat vnum per ſe ſubſiſtens, cùm etiam tale corpus organizatum non ſit; neque etiam (& multò minùs) illud aſſumere ad vnionem & identitatem hypoſtaticam, ſicut natura humana eſt à verbo aſſumpta, ſed ad vnionem accidentalem, & ad breue temporis ſpatium, ad aliquid manifeſtandum ſenſibiliter, vel aliquid exequẽdum ſecundùm ipſius Dei mandatum & permiſſionem. Vnde non eſt in corpore illo aſſumpto ſicut perfectio in ſuo perfectibili, neque veluti forma informans, ſed ſicut ſimplex forma aſſiſtens, hoc vtens corpore velut inſtrumento, ſiue vt nauta in naui. Et ideò tale corpus facilè reſoluitur in præiacentem materiam ex qua compoſitum erat, niſi quando Dæmon aſſumit cadauer alicuius damnati hominis, tunc enim relinquit

Dæmones ad vnionem naturalem aut Hypoſtaticã corpora non aſſumunt.

illud fœtidum & putridum.

Corpora à Dæmonibus aſſumpta, ſunt vera & realia, non phantaſtica.

Ex antedictis, refelluntur qui putant corpora illa à Dæmonibus aſſumpta non eſſe vera & realia, ſed falſa quædam ſpectra & imaginationes, ſeu phantaſias & ludificationes quaſdam in animis hominum, ſeu fieri per illuſionem phantaſiæ & ſenſuum, inter quos fuit Vdalricus, qui citat pro ſua ſententia Albertum præceptorem ſuum, qui tamen in ſecundo ſententiarum, & alibi oppoſitum docet. Qui igitur cum Vdalrico id docent, videntur Sacræ Scripturæ repugnare, nam vetus Diabolus ingreſſus eſt in ſerpentem, in eoque Euæ loquutus eſt, vt eam deciperet, aliàs in pœnam ſui ſceleris non dixiſſet Deus, *Super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.* Et item, *inimicitias ponam inter te & mulierem, inter ſemen tuum & ſemen illius, & ipſa conteret caput tuum.* Ita etiam hodie hircorum aliorumue animalium corpora aſſumere dicitur Diabolus, quando inter ſtriges & maleficos apparet. Et idem malus Angelus humanâ vtique formâ indutus, Chriſtum tentauit, vt apud S. Matthæum habemus.

Vdalricus.

Albert in 2. diſt. 8. art. 2.

Geneſ. 3.

Matth. 4.

Deinde ſi de bonis Angelis agatur, cùm ſit eadem ratio: ipſi ſe ſe obtulerunt conſpiciendos & digitis attrectandos Abraham & Loth, atque toti eorum familiæ; at imaginatio ſeu phantaſia non eſt, ſi hominum multitudo ſimul Angelos conſpexerit, & non eſt facilè ſimul multis imponere. Et quod dicimus hîc de Abraham & Loth, eſt quoque de multis alijs dicendum, vt in veteri ac nouo teſtamento habetur, ſicut in Tractatu de Angelis latè diſſeruimus. Et docet S. Auguſt. in libris de Trinitate, & Ciuitate Dei, vbi ait: *Apparuiſſe hominibus Angelos in talibus corporibus, quæ non ſolùm videri verùm etiam tangi poſſent veriſſima ſcriptura teſtatur, & hoc negare impudentis videtur:* ſicque certum eſt corpora illa à Dæmonibus aſſumpta vera fuiſſe, & non tantùm inanes imaginationes.

Lib. 3 de Trin. cap. 10. 11. &c. & 15. de Ciuit. Dei cap. 23.

SECTIO II.

Quid præſtent aut efficiant Dæmones in corporibus aſſumptis.

NON ſunt hîc repetenda ea quæ in Tractatu de Angelis diximus circà corporum ab eis aſſumptionem, quomodo comedant, loquantur, ambulent, & alia ſimilia exerceant, ſicut nonnunquam

quam docet ſcriptura contigiſſe, tùm à bonis tùm à malis Angelis; cùm enim illi vitam haud habeant ſeu animam, quæ eſt intrinſecum & vitale harum actionum principium, hęc vitę opera exercere minimè poſſunt. Cùm igitur comedere viſi ſunt, non conuerterunt cibum in ipſorum corporum aſſumptorum ſubſtantiam, cùm ipſa natiuo calore careant, cæteriſque partibus ad peragendam nutritionem requiſitis, & proindè corpora illa non poſſunt vitaliter augeri, cùm vitalis accretio ſemper cum nutritione coniuncta ſit. Vnde tria præcipuè conſiderantur in comeſtione. Primum eſt cibi maſticatio: Secundum, eſt eiuſdem in ventriculum traiectio: Tertium, conuerſio eiuſdem in carnem & ſanguinem, & hæc eſt propria comeſtionis ratio: Duo priora poſſunt Dęmones ſicut Angeli præſtare; Tertium verò nequaquam. Ipſi etiam in corporibus aſſumptis propriè non loquuntur, ſed aliquid præſtant loquutioni perſimile, quatenus in aëre ſonos efformant humanis vocibus ſimiles. Cùm etiam ambulant motu progreſſiuo, vel mouent manus & alia membra, certo modo motum ſimilem progreſſioni & ambulationi, & alteri animalis motui producunt. Sic eſt dicendum de alijs operationibus ſenſuum, vt ſunt videre, audire &c. hæ ſiquidem operationes, naturaliter & ordinariè exercentur per organa corporalia, tanquam per inſtrumenta naturalia, quibus quidem organis, cùm careant Dęmones, etiam in aſſumptis corporibus; non poſſunt illas tanquam à principio vitali & intrinſeco exercere, ſicut nec flere, & triſtari, ſi non poſſint homines eos tentando ſuperare; neque ridere & lætari ſi poſſint, niſi quoad apparentiam exteriorem, non autem quoad paſſionem internam, nam poſſunt faciem mouere quaſi appareant ridentes, ſed non interno affectu gaudentes; & ita licèt ipſa obiecta intellectu apprehendant, non tamen ſenſibus, eo modo quo poſſunt homines.

Non exercent Dæmones vitæ opera, in corporibus quæ aſſumunt.

Sed quærunt aliqui, num Dęmones poſſint generare; breuiter alij reſpondent, eatenus dici generare, quatenus in ſpecie viri poſſunt extrinſecùs aliundè acceptum ſemen, & non ex ſeipſis deciſum, conſeruatum tamen in ſuo calore naturali in mulierem transfundere, vnde dicuntur incubi; vel quatenus in ſpecie fœminæ ſemen à viro cui ſe ſubſternunt, excipiunt, vnde ſuccubi nuncupantur. Et hoc modo dicunt aliqui Merlinum Britannicum fuiſſe progenitum, de quo meminit Scotus & ita cenſet Alphonſus Mendoza quęſt. 5. Scholaſt. aitque id perhiberi ſatis veraciter. Quòd autem ſint Dęmones incubi & ſuccubi conſtat ex Philone in vita Apollonij Tyanei, ibi enim refert ſuccubum Dæmonem in forma mulieris decepiſſe iuuenem quendam Menippum nomine. Idem dicit S. Auguſtinus

Dæmones quidam incubi & ſuccubi, & an generare poſſint.
Scot. 2. ſent. diſt. 8. q vnic. Alphonſ. qu. 5. Scholaſt. Phil. in vita Apollonij.

de Syluanis & Faunis, nec-non Dæmonibus quos Duſios Galli nuncupant, hi enim erant incubi & ſuccubi. Ex his tamen non ſequitur Dæmones propriè loquendo & virtute ſuâ poſſe generare, ſicque dici parentes ſobolis procreatæ, ſed potiùs eos à quibus ſemen acceperunt, cùm nullâ ratione, vt dictum eſt, habeant vitale principium talis actionis generatiuæ, ſicut non habent principia vitalia videndi, audiendi, &c. & alias actiones vitæ exercendi, per quæ formaliter dicantur videre, audire, &c. vt dictum eſt. Et ita docet S. Auguſt. & Scholaſtici.

Auguſt. lib 5. de Ciuit. Dei cap. 23.

Auguſt. de Ciuit. loco cit.

1. ad Cor. 11. Plures putant, quòd dùm Apoſtolus in priori Epiſtola ad Corinthios, vult mulieres in Eccleſia, habere velatum caput propter Angelos, intelligit per Angelos, Dæmones incubos. Ita Beda in hiſtorijs Anglorum, & S. Thom. 4. Alij tamen alio modo hæc verba S. Pauli interpretantur, vt alibi diximus. Sed quicquid ſit, dantur Dæmones incubi & ſuccubi, qui eo modo quo dictum eſt, ſolùm generare poſſunt.

1. p. qu. 25 & in 2. diſt. 8. & quodlib. 6.

Geneſ. 6. Obijcitur id quod habetur in Geneſi, filios Dei fuiſſe ingreſſos ad filias hominum, & genuiſſe: per hos autem filios Dei nonnulli Dæmones intelligunt, qui Dei filij per creationem dicuntur, abſit enim vt ſordidas actiones bonis Angelis tribuant: Ergò ſequitur Dæmones poſſe verè generare. Reſpondemus, nomine filiorum Dei non ſignificari ibi Angelos aut Dęmones, ſed viros illuſtres, Dei cultus ſtudioſos, ex ſancta ſtirpe Seth oriundos, qui quoniam vſque ad illud tempus in cultu vnius Dei perſeuerarant, à ſcriptura vocantur filij Dei: nomine autem filiarum hominum, intelligi eas quæ erant de progenie Caïn, quæ vocabantur filiæ hominum non filiæ Dei, quia imitatæ mores parentum ſuorum, rebus terreſtribus erant addictæ, & ex his geniti ſunt Gigantes vt ait S. Auguſt.

S. Aug. 15. de Ciuit. Dei, cap. 23.

SECTIO III.

In diuerſis formis & figuris, apparuerunt in corporibus aſſumptis Dæmones, & primò in humana forma.

In diuerſis figuris Dæmones apparuerunt.

MALIGNI Spiritus, varias pro negotiorum quæ in hominum perniciem moliuntur varietate, formas aſſumunt, nunc virilem, nunc muliebrem, nunc volatilium, nunc quadrupedum, nunc reptilium &c. vt multis exemplis in ſequentibus patebit. Sicut etiam

benè notauit Gregorius Toloſanus, qui addit non ſolùm ſub belluinis formis apparere quandoque Dęmones, ſed etiam ſub rerum inſenſibilium & aliarum horribilium rerum figuris; at ſolùm de eorum apparitionibus in humana forma, pręſenti Sectione dicendum venit.

Greg. Toloſ. Com. in lib. 7. art. mirab. cap. 14.

Eſt autem valdè mirandum, quòd quidam ex illis vnus, in figura Domini noſtri Ieſu Chriſti, ornamentis aureis & præfulgidis, necnon diademate coronatus, Sancto Martino Turonenſi Epiſcopo apparere eſt auſus, vt ipſum Sanctum virum ad ſe adorandum tanquam Chriſtum ipſum induceret, at detectâ eius fraude dixit ei; *Dominus Ieſus Chriſtus non purpuratum aut diademate renitentem, ſe venturum eſſe prædixit*, quo audito diſparuit.

Dæmones apparuiſſe pluries in humana forma, multis hiſtorijs oſtenditur.

Alius quidam Pater, cùm ſe Dæmon ei in forma Chriſti offerret, clauſis oculis dixit, ſe nolle Chriſtum videre in hac vita, ſed in cœlis. Alius ſub ſimili ſpecie apparenti, obiecit, vide ad quem mittaris, neque enim is ſum qui Chriſtum videre merear.

Legitur quoque in Legenda S. Hieronymi, Dæmonem induiſſe ſpeciem S. Syluani Epiſcopi Nazareni, qui chariſſimus erat S. Hieronymo; & in eadem, fœminam quandam noctu in lecto iacentem aggreſſum fuiſſe, vt ad luxuriam prouocaret, & cùm ipſa acclamaret, eum in eadem forma ſub lecto ſe abſcondiſſe, ibique inuentum, mentitum eſſe ſe Syluanum Epiſcopum, vt tanta infamia virum Dei notaret, & ita diſparuiſſe: talis autem de Syluano fuit multorum opinio, donec ipſe Dæmon in obſeſſo corpore, dolum & fraudem detexit.

Magno Iacobo viſus eſt Dęmon in forma nudi Æthiopis, ignem ex oculis emittentis, vt author eſt Theodoretus, & ipſius viri Iacobi imaginem & formam induebat, vt vir Dei ibidem refert ſequentibus verbis. Sed me rursùs clanculùm perpetuâ afficiebat moleſtiâ, nam aquam quæ mihi bis in hebdomada infernè afferebatur, ei qui afferebat occurrens, & meam formam imitans accipiebat, & illum iubens recedere fluentum effundebat, idque cùm non ſolùm bis, ſed etiam ter feciſſet, me ſitis perpeſſione validè oppugnauit; cùm ergo valdè angerer, rogaui eum qui ſolebat ad me adferre, cur iam quindecim diebus ad me aquam non tuliſſet, is dixit ſe iam ter & quater attuliſſe, & me accepiſſe. Et vbi (inquam) ego à te eam afferente accepi? ille locum oſtendit. Etſi millies inquam ego me illuc accedentem videris, ne vas dederis donec ad hunc locum veneris; Et paulopòſt ibidem eidem Sancto apparuit in ſpecie duarum mulierum de monte deſcendentium. In eadem forma Æthiopis

Theodoret. in Relig. hiſt. SS. Patrum, c. 21.

nigri aliquando etiam apparuit B. Antonio, vt author eſt S. Athanaſ. in eius vita.

S. Athan. in vita S. Ant. Sophron. in prat. c. 159. Refert Sophronius Hieroſolymorum Patriarcha, in Monaſterio Raythu, ſenem quendam fuiſſe Anachoretam, quem Diabolus in ſpecie cuiuſdam Eremitæ viſitatum veniebat, quaſi conſultaturus: quem cùm ſenex hortaretur, vt ante colloquium precibus more ſolito inſiſteret; hęc ſecum demurmurabat: *Nunc & ſemper & in ſæcula ſæculorum*, monitus verò vt etiam illa quæ præcederent recitaret nempè: *Gloria Patri & Filio, & Spiritui Sancto*, ſtatim diſparuit, vim paſſus, & gloriæ diuinæ nomen non ſuſtinens.

Lib. 1. cap. 8. & 9. Legitur in vita Sancti Vincentij Ordinis Prędicatorum, Dęmonem Valentiæ in ſpecie ſenis venerabilis, cum barba ad genua prolixa ſe ei repręſentaſſe, ſimulantem ſe vnum eſſe ex veteribus Patribus Ægypti, & in alia nocte in figura vaſti Æthiopis.

Tom 2. c. 10. Surius refert de S. Wilhermo Duce ac Comite Pictauorum ac Eremiæ, quòd cùm is nocte multis iiſque diuerſis Dęmonum vocibus, in vigilijs & orationibus moleſtiâ afficeretur, ex omnibus illis vnus cæteris clarior & virtute robuſtior apparuit in ſpecie proprij genitoris, & ei cum vociferatione clamoris multis verbis ſuaſit; vt ſi beatus eſſe vellet eum ſequeretur, miles verò Chriſti Dei fortitudine protectus, verba deceptoria paruipendens, ad ea nihil penitùs reſpondit.

Sozom lib. 8. hiſt. trip. c. 28. Narrat Sozomenus, Apelli viro Sancto in eremo Ægypti degenti fabro ferrario cùm noctu accuderet, Dæmonem apparuiſſe in forma mulieris formoſæ, vt eum ad luxuriã prouocaret, ſed Apellem accepto è fornace ferro candente, in faciem illius inſurrexiſſe, & ita eum ſpiritum frementem & flentem, cito citiùs ad fugam compuliſſe, & forſitan Dęmon iſte erat ille de quo ſcribit Philoſtratus, quem Præſulem venereorum vocat.

Lib 4. de vita Apollonij. Idem Philoſtratus, refert Epheſi Dæmonicum quoddam ſpectrum peſtem diſſeminaſſe, idque in forma & ſpecie ſenis mendici peram geſtantis, paniceis fruſtis refertam, laceram & ſordidam veſtem gerentis, quem Apollonius Tyanęus ad expiandam ciuitatem cùm detexiſſet, iuſſit lapidibus obrui, quod factum eſt, & ſublatis deinde aceruis lapidum ait, in eius locum inuentum eſſe canem tantæ magnitudinis quantæ maximus leo eſſe ſolet, & ad modum rabidi canis ſpumam emittentem, & ita liberatam à peſte ciuitatem.

Niceph. lib. 14. cap. 40. Socrat. lib. 12. hiſt. Tripart. c. 9 Mirabile & pernicioſiſſimum ſpectrum refertur apud Nicephorum Caliſtum, & Socratem. Scribunt enim tempore Theodoſij Iunioris Imperatoris, virum quendam, vel meliùs Dęmonem in for-

ma viri in Creta fuiſſe, qui ſe ſimularet Iudæis eſſe Moſem, quiue pollicitus eis fuit, ſe illos per mare rubrum ſicco pede traducturos, ſicque toto anno integro per inſulam percurrens, ſuaſit illis vt ſe ſequerentur, quod & fecerunt, vanis illius promiſſis decepti, vnà cum coniugibus & liberis. Is autem in ſummum quendam ſcopulum in pelagus excurrentem duxit, atque inde ſeipſos conijcere in mare, velut natantes & vrinantes iuſſit, idque quidam ſtatim vt illis imperatum fuit, fecerunt, neque deinceps apparuerunt: quidam autem in præcipitio ſaxis alliſi interierunt, & vniuerſi illi vel in vndis, vel in pręcipitijs ſaxi perijſſent, niſi Dei prouidentiâ piſcatores, & aliâ mercaturâ victum quærentes, Chriſtiani homines, ſubitò adfuiſſent eoſque modis omnibus inde extrahentes ſeruaſſent, tùm primùm fortaſsè quâ dementiâ capti eſſent ſentientes, qui & alios quominùs in mare ſe proijcerent, prohibuerunt, eorum qui anteà id feciſſent interitum indicantes. Quare fraudem ità detegentes, Pſeudo-Moſem illum apprehendere ſunt aggreſſi, verùm perficere id minimè potuerunt, confeſtim enim ille diſparuit, & magnam ſuſpicionem prębuit, pernicioſum quendam Dæmonem ſub humana ſpecie, gentem illam ad exitium perduxiſſe.

Narrat Fœlix Malleolus, in Noruegia etiam hodie ſæpè apparere Dæmones qui & Trolli dicuntur, & propter conſuetudinem ab hominibus non timentur, imò illorum obſequijs homines vti, & ſemel in quodam nemore, vnum ex illis apparuiſſe in forma viri Religioſi fugienti Presbytero, ob ſuſpicionem fornicationis cum vxore cuiuſdam potentis, eumque turpiter ſeduxiſſe, vt refert Gregorius Toloſanus[a].

Malleolus lib. de crudelitate Dæmonum.

a Greg. Tol. Com. in lib. 7. Synt. artis mirab. c. 14.

Sanctus Gregorius[b] & Caſſianus[c] referunt, Dæmones à quodam viſos eſſe in humana forma, reddentes ſuorum operum rationem coràm Lucifero ſedente in throno, etiam in humana forma, apparebat enim tanquam Rex coronâ redimitus.

b 1. Dial. c. 7.
c Coll. 8. c. 16.

Binsfeldius de Confeſſionibus maleficiorum, multas refert hiſtorias apparitionum Dæmonum in humana forma & primò, vnam à Georgio Godelmanno Iuriſconſulto relatam, in tractatu de Magis, Veneficis, & Lamijs, de duobus Dæmonibus in forma equitum, quorum vnus quandam fœminam die nuptiarum ob periurium, à ſuorum parentum & amicorum conſpectu, è medio in altum ſuſtulit, poteſtate ad id ei à Deo conceſſa, nec ampliùs viſa fuit.

Binsfeld. concluſione 12.

Godel. lib. 1. c. 1 num. 8.

Alteram refert ex Paulo Grillando, de quadam Iuuencula virgine, quæ à Malefica ſeducta, & ad aliarum conſortium perducta, cùm Sathanam in ſolio majeſtatis ſuperbè ſedentem, & ornamentis auratis, & purpuratis veſtibus decoratum vidiſſet, & ſigno Crucis ſe

Grill. lib. 2. de ſortil.

muniuiſſet cum inuocatione Ieſu, ſola remanſit, cunctis diſparentibus, & luminaribus extinctis, ſed tamen à quodam viro ſene qui eam reperit ad patriam reducta fuit, & ſuis parentibus reſtituta, quæ poſteà habitu Sanctæ Claræ in quodam Monaſterio Monialium aſſumpto, profeſſionem fecit, & caſtiſſimè vixit, & Malefica quæ eam ſeduxerat fuit publicè combuſta.

Bod. lib. 2. cap. 4. Ita & Bodinus de alio quodam refert, qui à propria vxore ſeductus, & ad Sagarum contubernium ductus, Dæmones in humana ſpecie, aſpectus tamen horrifici vidit, & inuocato Dei nomine cœtus diſparuit, & cùm propriam domum rediјſſet, vxorem ſuam accuſauit, quæ omnia confeſſa eſt coram iudice, & vltrò agnouit peccatum.

Interdum etiam Dęmones apparent velut Gigantes, ſeque bellorum potentes iactitant, & terrorem incutiunt.

Loco citato. Idem ſuprà nominatus Gregorius Toloſanus, narrat Dæmonem quibuſdam Sagis apparuiſſe in figura hominis induti veſtibus nigris & pallio, alijs, viridibus, alijs in forma militis, & idem dicit pariter ſe vidiſſe & legiſſe acta & iudicia damnatorum maleficorum & maleficarum vltimo ſupplicio in Lotharingia, ex quorum conſtantiſſimis aſſertionibus & confeſſionibus liquidò conſtabat, Dęmones in humana forma illis ſic ad nutum apparere. Refert etiam vnum Dæmonem cuiuſdam malefici magiſterulum, coquinam & conuiuia apparaſſe nuptiarum in forma coqui, dum ille nuptui filiam daret.

Non deſunt apud probatos auctores, quamplurimæ aliæ apparitiones ſimiles Dæmonum in corporibus aſſumptis, & in figuris hominum efformatis, & vereor ne poſtquam ſolutus nunc eſt Sathan,

Apoc. 20. vt fieri debere prædixit Sanctus Ioannes in Apocalypſi, apparitiones ſint frequentiores quàm olim, & eò pernicioſiores, quò ſibi inſtare aduertunt Dæmones diem vltimum iudicij breui aduenturum, quo apud inferos abſque vlla liberationis ſpe, concludendi ſunt

Loco citato. in perpetuum. Etenim ait Gregor. Toloſan. in pluribus orbis regionibus, in Pyrænæis montibus, Apenninis, Vogezijs, & in Germania, & Lotharingia ſunt Dæmones ita familiares maleficis & ſortilegis, vt quandocumque inuocantur ab illis, aſſideant in viſibili & humana forma, aut etiam alia figura illis nota.

SECTIO IV.

In varijs alijs formis, quàm humana apparuerunt Dæmones.

QVOD autem attinet ad apparitiones Dæmonum in alijs formis quàm in humana, docet ſuprà-dictus Gregorius Dęmonem quoque maleficis apparuiſſe, tùm in forma canis, tùm in forma equi; ſicut certum eſt quandoque etiam in forma hirci eis apparere. Vidit & Chriſtophorus quidam Abbas cùm ab adoratione ſanctæ Crucis in Hieruſalem exiret, duos Dæmones in forma coruorum, impedientes in cogitatione Monachum quendam ibi circà oſtium exiſtentem, ne ingrederetur vt adoraret ſanctam Crucem: quare ipſe Monachum prehendens, illum introduxit adoraturum, vt habetur in Prato ſpiritali. Dicit item idem Gregorius ſibi à pluribus fide dignis eſſe relatum, quibuſdam morituris non ſine pauore adſtantium, apparuiſſe, vel catos, vel canes, & alia huiuſmodi viſibilia ſpectra, quæ certè nonniſi Dæmones putabantur, cùm admiſſa extrinſecùs non fuiſſent, & poſteà euaneſcerent. Etenim & hoc poſſunt Dæmones, vt ſe in feras & alias figuras transformant, & quod plus eſt & mirabile, faciunt vt ſtriges & malefici videantur in forma catorum, canum, &c. & in ea figura ſugant infantium recenter natorum ſanguinem, vt exempla plura refert Bartholomæus de Spina, Magiſter Palatij Apoſtolici, lib. de Strigibus. Eſt tamen aduertendum transformationes hominum in catos, aut etiam lupos, non eſſe veras & reales, hæc enim ad ſolum Deum creatorem ſpectant, ſed phantaſticas & per illuſionem & apparentiam, vt facilè colligere eſt ex doctrina S. Aug. & hæc veritas expreſſè definitur in Cap. *Epiſcopi*, vbi declaratur infidelis, & Paganis deterior qui aliter ſentit.

Loco citato.

Dæmones in alijs formis quàm humanis plures apparuerunt.

Prat. ſpir. Cap. 115.

De Spina lib. de Strigib. c. 19.

Lib. 18. de Ciuit. Dei, cap. 17. & 18.

Et hinc veriſſimum conſtat eſſe illud quod ait S. Thomas, ex S. Auguſtino, quòd malum Dæmonis ſerpit per omnes aditus ſenſuales, dat ſe figuris, accommodat ſe coloribus, adhæret ſonis, odoribus ſe ſubijcit, infundit ſe ſaporibus. Hoc ſignificare poteſt illud ſpectrum Empuſæ, de quo Suidas ait eſſe ſpectrum Dæmoniacum, quod ab Hecate immittebatur, & ex obſcuris locis, calamitoſis hominibus in varijs formis, vt quondam Protheus, apparebat, aliquando in forma bouis, aliquando muli, quandoque canis, & plerum-

S. Thom. 22. qu. 91.
S. Aug. lib. 83. qq.

Suidas in voc.

Empuſa quid.

que mulieris pulcherrimæ: vel Empuſa dicebatur quod vno pede incederet, vt ait Euſtathius, vel quod alterum pedem aſininum vel æreum haberet; alio nomine dicebatur Onocles, vel Onocle ob crus aſininum, vel vt alij malunt, quod formas mutaret vt dictum eſt; meminit iſtius Empuſæ Ariſtophanes in nebulis.

Euſtathius.

Ariſtophanes.

In formis etiam rerum inſenſibilium, vini, epularum, &c. quandoque apparuerunt Dæmones, vt conſtat de ſpiritibus illis familiaribus quos aliqui Telchines vocant, & Follecos, ſeu ludicros, qui ſe obijciunt viatoribus circà flumina & in ædibus, non ſolùm in forma equi vel aſini, verumetiam in forma lapidum, vel auri, vt S. Antonio vnus apparuit in deſerto in forma maſſæ auri. Nil prohibet etiam quominùs loquentia Ethnicorum idola lignea vel alterius materiæ, Dæmonum actioni & fraudi adſcribamus, per quæ Dæmones miſeros homines decipientes reſponſa dabant, docent enim Theologi illos, cùm ſint ſpiritus & incorporei, poſſe corpora ſolidiſſima penetrare, & per ſtatuas loqui.

In Dialogis S. Gregorij Papæ narratur, in forma lactucæ vel cum lactuca, Dæmonem moniali cuidam apparuiſſe, quam cum illa nullo ſigno Crucis prælibato ediſſet, ab ipſo Dæmone obſeſſa eſt, vt ipſe poſteà faſſus eſt. Scribit & Guillelmus Durandus Mimatenſis Epiſcopus, in libris rationalis diuinorum officiorum ſe vidiſſe in ciuitate Bononienſi puellam à duobus ſpiritibus immundis obſeſſam, & triennio vexatam, & exorciſmis adiuratos & interrogatos, qualiter corpus mulieris ingreſſi fuiſſent, reſpondiſſe quòd ſedebant in quodam malo granato, quod ipſa puella comederat; virtute dehinc diuina corpore pulſos, tandem ingreſſos fuiſſe corpora aliquorum, ſub forma muſcarum nigrarum.

S. Greg. in Dialog. l. 4.

Durand lib. 9. rationalis diu offic. cap. 86. num. 8.

Quòd etiam apparuerint quandoque Dæmones in forma auri, argenti, gemmarum, vini, epularum, &c. conſtat ex famoſa illa narratione, apud Philoſtratum, de illa Lamia, de qua ſuprà pauca dicta ſunt, quæ Menippo iuueni perpulchra effigie, apparens, ei nubere ſe velle ſimulabat, ac plurimas opes & pretioſa ornamenta, magnamque vini & epularum copiam oſtentabat: at Apollonius miſeratus iuuenem, omnes eas res docuit eſſe inania ſimulachra, & imagines duntaxat earum rerum quas repræſentabant. Quo dicto totus ille apparatus ex omnium oculis euanuit, & vetula illa ſe eſſe Lamiam confeſſa eſt.

Lib. 4. de vita Apoll. cap. 5.

In ſumma Dæmones multoties ſub horribilibus formis & ſpectris, ſiue animalium & rerum ſenſibilium, ſiue etiam inſenſibilium, ad homines decipiendos apparuerunt, vt Draconum, Serpentum, Aſpidum, Scorpionum, Taurorum, Leopardorum, Leonum, & alia-

rum

rum formarum, vt conſtat de apparitionibus factis S. Antonio, S. Hilarioni aliiſque Anachoretis, vt illos formidine oppreſſos, à Sancto ac ſublimi vitæ inſtituto reuocarent. De his cap. ſequenti fuſiùs, in quo de Dæmone multis belluis comparato, dicetur.

Alia etiam diuerſa ſpectra, in aëre & in terra concitant & efformant Dęmones, tanquam miri & peritiſſimi artifices ac celeres, ex materia commoda rerum naturalium quam ipſi norunt, vel vt decipiant, vel vt authores & creatores rerum earum videantur, & miraculorum opifices; vel vt terreant homines, pios & bonos à pietate auocent; cùm tamen nihil ſit in his pręter celeritatem admirandam. Confingunt itaque in cœlo ex nubibus animantia, radiis ſolis medianribus, exercitus, venatores, &c. Edunt ex aëris repercuſſione, & inſtrumentis adfabrefactis, voces, fictus, & id genus alia terriculamenta.

Cùm autem in huiuſmodi viſionibus & apparitionibus, multi ſępè decipiantur, probandę ſunt iuxta Sacras Scripturas, doctrinam Sanctorum, & experientiam hominum diſcretorum; & ſtatim vt inſolita & ignota viſio apparet; muniendum eſt cor ſigno ſanctiſſimę Crucis, & mens erigenda in Deum, cum inuocatione ſalutaris nominis Ieſu, quod Dęmonibus terribile, fidelibus autem fortiſſimum eſt ſcutum, contra aëreas poteſtates: eſt etiam precibus ad Beatam Virginem recurrendum, & ad Sanctos cum Chriſto regnantes, nec-non etiam ad Sanctos Angelos, pręcipuè Michaëlem, Gabrielem, Raphaëlem, atque Angelum Cuſtodem, hi enim à Deo Dæmones compeſcendi poteſtatem habent.

CAPVT X.

Multa belluarum nomina Dæmoni attribuuntur, & cur.

QVEMADMODVM Angeli boni, ob ſuam in Deum gratitudinem, obedientiam & ſingularem charitatem, atque in homines etiam amorem, beneficentiam, & eorum conſeruationem ac protectionem, multis donantur nominibus, ad egregios illos effectus indicandos, dicuntur enim filii, oculi ac pedes Dei, montes, colles, ignis, cœlum, nubes, ſtellę, aues, virtutes, pacifici, Principes, Saluatores, & adiutores Dei, inquantùm à Deo deſtinantur in noſtrum

ſubſidium, & iuuamen, vt in Tract. de Angelis cap. 10. latè oſtendimus: Sic tanta eſt Dæmonis rabies, tanta nocendi auiditas & crudelitas, qua in miſeros homines deſæuit, tanta eius cura ac ferale & execrabile ingenium, in eorum perditione exquirenda, vt nullum ſit monſtrum, nulla fera peſſima, nullum animal nociuum aut violentum, cui non paſſim Spiritus ille nequam, in Scriptura Sacra, & apud Sanctos Patres, immò etiam apud prophanos authores comparetur, & eius nomine donetur, vel quia in multorum animalium forma apparuit, ſecundùm quod varias ad nocendum artes, formaſque induicit, vel quia harum belluarum fraudes, inſidias crudelitates, aliaſque ferales proprietates retinet, & continuò malum & interitum hominum machinatur, nihilque intentatum relinquit, quo ſuam expleat improbitatem & malitiam. Ordine autem hæc ferarum & animalium nociuorum præſenti capite ei attribuemus nomina. Primò volatilium, ſecundò animantium terreſtrium, tertiò reptilium, quartò aquatilium, tùm capite ſequenti de quibuſdam alijs communioribus nominibus, illi quoque conuenientibus dicemus.

Quorundam animalium nomina Dæmoni attribui latè oſtenditur.

SECTIO I.

Dæmoni auium quarundam accommodantur nomina.

EST hæc præſens ſectio à nomine communi volatilium inchoanda, quod eſt auis ſeu volucris Hebraïcè *Reſeph*, quia ad modum auis (ait S. Iſidorus) per ſuperbiam ad aſtra ſuſtollitur, & quia vt alij dicunt, ſicut auis in aëre caliginoſo moratur, & Princeps tenebrarum ab Apoſtolo vocatur, & ei permiſſum eſt in aëre habitare, vſque ad finem mundi; poſteà enim cum damnatis æternos ignes habitabit. Dicitur etiam auis ſiue volucris à Tertulliano, quia eſt valdè expeditus & agilis, vt poſſit multis in locis breuiſſimo tempore volitare, & quid in illis fit, nuntiare. Et Richardus in hæc verba Apocalypſis; *Cecidit Babylon & facta eſt habitatio Dæmoniorum, & cuſtodia omnis ſpiritus immundi, & cuſtodia omnis volucris immundæ*, hæc habet, *Dæmones & Spiritus ſunt, & volucres; Spiritus, propter naturæ ſubtilitatem, volucres, propter motionis velocitatem.* Hæc omnia à Chriſto Domino confirmantur, apud S. Lucam, dùm enim ait ſatorem ſecus viam conieciſſe ſemen ſuum, ſubdit: *Et volucres cæli comederunt illud.* Volucres appellat (ait Coſterus) propter ſubtilitatem ſuam, ſicut enim leuiſſimæ auiculæ, in minutis etiã quieſcunt

Lib 1. ſent. cap. 1. Dæmon aui comparatur, & cur.

Tertul. in Apolog. cap. 22.

Lib 6. in Apoc. cap. 1. Apoc. 18.

Luc 8.

Coſt. Dominica ſexag.

ramuſculis, & per feneſtras in domos inuolant; ita & Diaboli quôlibet percurrunt ſunt apud nos imò in nobis, videntes quid in corpore lateat, inſinuant ſe etiam in phantaſiam, & turpes excitant imaginationes; ſicut auiculæ quâcumque volant, ſordes ſuas eijciunt.

Denique auis eſt Dæmon, quia continuò laborat vt Dei verbum auferat, ſicut ſemper quærunt volucres grana quæ tollant; atque ideò magnâ nobis cautelâ opus eſt, vt caueamus, ne omni bono nos priuet ſemine, ac malo noxioque impleat.

Hæ igitur rationes ſunt, cur Dæmon ſit meritò auis ſeu volucris nuncupandus. Ad nomina igitur particularium auium quæ Dęmoni approprianturꝰ deueniamus.

Primò, vocatur Aquila, quia ſemper ad inſtar Aquilæ, roſtro & vnguibus paratus eſt peccatores lacerare ac dilaniare, vt in Prouerbijs habetur: *Comedent eum filij Aquilæ.* Dæmon vocatur Aquila. *Prou. 30.*

Secundò, dicitur Accipiter; ſicut enim dùm aues aliæ ſecurè peruolant, nec ſuſpicantur inſidias, Accipiter inopinatò in eas fertur impetu, & vngue deprehenſas prędam deſtinat fami, & eò magis eas vngue premit, quò magis ſe ſe liberare nituntur; ita Diabolus voluptuoſos homines tanquam aues comprehenſos conſtringit, & eò magis premit, quo ſe ſe ab eo eripere conantur. Et hoc modo Lyranus exponit de Dæmone verba illa, quæ apud Iobum habentur: *Stringet ſuper eum manus ſuas. Loquitur* (inquit) *de Diabolo, ad modum Accipitris, qui tenens auiculam captam, & ſentiens quod velit euadere, magis ſtringit eam vnguibus ſuis.* Dæmon dicitur Accipiter, & cur. *Lyranus Iob. 27.*

Tertiò, dicitur Miluus; quemadmodum enim auis illa eſt rapaciſſima, vt aiunt Ariſtoteles, Clemens Alexandrinus, & alij, & pręcipuè gallinarum pullis, quotieſcumque à materna alarum protectione aberrant, inſidiatur; eſtque carniuora, & inter animalia immunda computatur; ità Dæmon verè inter alias creaturas, ob eius ſuperbiam & malitiam immundus, hominibus incautis tanquam pullis inſidiatur, vt eos deuoret, hoc eſt, in diuerſa facinora labi miſerrimè faciat, ſi contingat eos ab alis Dei, hoc eſt ab eius protectione, qui eos maiori affectu proſequitur, quàm quælibet gallina pullos ſuos, per peccata aberrare. Et eſt quod valdè pertimeſcebat Pſaltes Regius, dùm dicebat: *Sub vmbra alarum tuarum protege me*, & alibi: *Sub vmbra alarum tuarum ſperabo, donec tranſeat iniquitas*; & rurſùm, *Protegar in velamento alarum tuarum.* Et non mirum ſi ob talem protectionem, Chriſtus ipſe ſe ſe gallinæ comparabat, dum apud Sanctum Matthæum Iudęos alloquetetur: *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti?* Quibus verbis tacitè indicabat illos, ob defectum *Ariſt. lib. hiſtor. animal. Clem. Alex.* Dæmon dicitur Miluus, & cur. *Pſalm. 16. Pſalm. 56. Pſalm. 60. Matth. 23.*

protectionis eius, maxima cum difficultate, Milui hoc eſt Dæmonis rapaces ſeu vncas manus, euadere poſſe.

Dæmon Merula nuncupatur. Lib. 2. Dialog. cap. 2.

Dici item poteſt Merula, quæ eſt parua auis nigra, quia aliquando in tali forma apparuit Sancto Benedicto, vt in eius vita refert Sanctus Gregorius & circa eius faciem volitare cœpit, eiuſque vultui importunè inſiſtere, ſed ſigno Crucis receſſit, & illicò malignus ſpiritus ante eius mentis oculos, quandam fœminam quàm aliquando viderat, reduxit, & vehementer de peccato carnis illum tentauit, quam tamen vicit & extinxit tentationem, dùm indumento exutus, inter ſpinas & vrticas ſe volutauit.

Dæmon dicitur Perdix. Homil. 3. de Epiphan. Ierem. 7.

Comparatur etiam Dæmon Perdici, & de illo Euſebius explicat illa verba Hieremiæ: *Perdix fouit quæ non peperit, congregabit diuitias, ſed non in iudicio*: ait ergo Sanctus ille Pater, per hanc Perdicem Diabolum intelligi debere: *Hæc enim auis* (inquit) ſi feræ alicuius incurſu, priuata fuerit ouis proprijs, inſidiatur alienis, & nidi habitatore depulſo, partus inuadit extraneos, itaque maximam auiditatem habet ſu furandi aliena oua, quæ diuitias ſuas appellat: in quo Dæmonis aſtutia & animarum fames oſtenditur, ineſt enim ei quædam quaſi naturalis cupiditas ſuffurandi animas, & eas ſuas appellat diuitias, cùm tamen propriæ ſint Dei creaturæ, vnde & terram ſcrutatur ad eas inueſtigandas & decipiendas. Quòd ſi de auidiſſimo mercatore poëta Horatius cecinit.

Impiger extremos currit mercator ad Indos,
Per mare pauperiem fugiens, per ſaxa per ignes.

Iob 1.

Sic ille impius animarum mercator, de ſeipſo profert in lib. Iob: *Circuiui terram & perambulaui eam*: vnde Interpres Chaldaicus ſic tranſtulit; *Scrutatus ſum in terra & ambulaui per eam.* Scrutinium eſt frequenter rerum pretioſiſſimarum, quod non ſine magna diligentia & curioſitate fit, ſed quid pretioſiùs & digniùs anima humanâ? Sathanas ergo circuit, ſcrutatur, & ſummâ diligentiâ eam inueſtigat, & ambit omni ex parte, maxima nocendi cupiditate exagitatus, viaſque omnes occupat, & intercludit, vt decipiat, fallat & rapiat, vt nulla reliqua ſit ſpes euadendi: circuire enim ſiue circundare in ſcriptura, ferè ſæpè in malam partem ſumitur, ſignificat enim curam & ſollicitudinem maximam ad nocendum, vt conſtat ex Pſalmiſta: *Circundederunt me ſicut apes, &c.* & iterùm, *circundederunt me vituli multi, tauri pingues obſederunt me.* Sed cui meliùs conuenire poteſt circuitus ad nocendum quàm Dæmoni? Ideò S. Petrus ait: *Sobrij eſtote, & vigilate, quia aduerſarius veſter Diabolus, tanquam Leo rugiens, circuit quærens quem deuoret, &c.* Vt poſteà fuſiùs dicemus. Quidam dicunt quòd dicitur Dæmon circuire, quia

Scrutinium quid.

Circuire quid in ſcriptura ſignificet.

Pſal. 117. Pſal. 21. 1. Petri 5.

eſt Spiritus ſubtilis, incorporeus, ſubitò totum orbem percurrere valens, quem non impedit grauitas carnis aut corporis, quia Spiritus eſt, nec vnico loco continetur, quippe qui ſecum defert pœnam quæ non ſinit eum quieſcere, ideoque omnia loca ambulat, quærens requiem & non inuenit, eſt omninò quietis impatiens. Videtur S. Cyprianus attendiſſe vim verbi Hebræi *Sut*, quod propriè eſt attentè diſcurrere, attentè circumſpicere, explorare, & perluſtrare, quaſi diceret, Dæmonem tanquam exploratorem omnia conſiderare, omnes noſtros luſtrare actus atque inclinationes, vt nos decipiat & ad malum alliciat. Figuli rota voluitur, vt vas formetur, Sathanas contra circuit ſemper vertiturque, vt Dei figmentum conterat & perdat. Audiendus eſt S. Greg. Thaumaturgus, ſic enim ille monet; *Malignus Dæmon qui ab initio mundi vſque ad finem, nocendi ſemper eſt auidus, ingenti ore ſæculum hoc circuit, & immodicè contendit, ſi quâ occaſione nactâ, figmentum Dei perdere poßit;* Circuit ergo ad fraudes, ad inſidias, vertit ſe circà mortales vt eos decipiat, fallat, euertat. Rectè Origenes, *Circuit,* inquit, *omnem terram non carnalibus veſtigijs, ſed circuitionibus iniquitatis, non terrenis greßibus, ſed ſpiritualibus ſeductionibus; terram circuis ô Diabole, ad deſolandum, ad exterminandum.* Sic ille. Leo Papa referente S. Bonauenturâ huiuſmodi diligentiam notauit dicens: *Diabolus omnium diſcutit conſuetudines, omnium ventilat curas, omnium ſcrutatur affectus, & ibi cauſas quærit nocendi, vbi quempiam viderit ſtudioſiùs occupari.*

S. Cypr.

Greg. Thaum.

Lib. 1. in Iob.

In Pharetra. cap. 4

Dici etiam poteſt Vultur, qui auibus & potiſſimùm columbis inſidiatur, hoc eſt animabus Sanctis, quæ inſtar columbæ felle carent, & eas inuadere nititur. Refert autem quidam inſignis author, Vultures columbis inprimis infeſtos, bifariam illas adoriri; nam qui generoſi ſunt & à parentum natura minimè deficiunt, ij in ſublime feruntur, inſequunturque columbam ſi quando à terra ſurſùm aſſurgat; ſunt & adulterini & à parentum nobilitate plurimùm degenerantes, qui non alta petunt, ſed columbam deorſum impellentes inſectantur, mox vt à terra paululùm inſurrexerit; harum omnium inſidiarum non ignara columba cùm à prioribus ſibi ſtrui inſidias videt, mox demittit ſe & pennis in terram verſis fertur; quòd ſi à poſterioribus parari ſibi inſidias conſpicit, quantum poteſt in ſublime contendit: ſic animæ Sanctæ inſtar columbæ faciendum, nam ne teterrimis inferni volucribus præda fit, duabus alis voler, oportet; alterâ humilitatis, quâ ſe deprimat in terram contrà ſuperbiæ tumorem & arrogantiam, in mentem reuocans ſe ex terrâ conſtare; alterâ verò contemplationis, quâ feratur ſurſum, contra viliſſimos abiectiſſi-

Dæmon Vultur dici poteſt.

moſque carnis petulantis inſultus, & nobilitatis ſuæ non ignara, cogitet quòd ad cœleſtia creatam, indignum ſit terrenis rebus inhærere, ſic ergò Vulturibus tartareis reſiſtendum eſt.

Dæmon eſt Coruus. *Binsfeld. de Confeſſ. Maleſic. Prelud. 11.*

Tandem Coruus dici poteſt; refert enim Binsfeldius, cum quibuſdam Sanctis viris quandoque in Corui ſpecie occurriſſe, & nullus nigrior Coruus reperiri poteſt quàm Dæmon, qui niger eſt ob peccatum & malitiam. Vide Sectionem 4. capitis 9. De diuerſis apparitionibus Dæmonum in figuris animalium.

Dæmoni columbæ nomen conuenire non poteſt, & cur.

Aduerte porrò quòd ſi, vt dictum eſt, auium & præſertim carniuorarum nomina, Dæmoni ob earum proprietates conueniant, aut quia in earum forma quandoque apparuit, attamen Columbæ nomen nullâ ratione ei congruit, quià nunquam in huius auis ſpecie apparuit, & quoniam in tali forma Spiritus Sanctus viſus eſt, Columba enim eſt auis munda, candida & pulchra, quare in tali forma Spiritus Sancti operationes deſignantur; malus autem Spiritus cùm ſit deformis & ferox, nigrâ delectatur formâ. Sic Sanctus Macharius eum in ſpecie nigri Mauri, & alter Sanctus in figura Corui, quandoque viderunt.

SECTIO II.

Dæmoni animalium terræ nonnulla accommodantur nomina, & primò commune nomen beſtiæ.

NOMINA terreſtrium animalium ſiue quadrupedum Dæmoni quoque conueniunt, aut quia in aliquorum forma quandoque apparuit, vel ob illorum proprietates quæ ei competunt. Hâc autem præſenti Sectione illi nomen commune beſtiæ aptabimus.

Libro. 5. Tuſc. qq.

Gen. 1.

Ipſi itaque maximè conuenit beſtiæ nomen, quod quidem etiamſi vniuerſaliter loquendo volatilibus, reptilibus, & piſcibus maximè voracibus conueniat, vt oſtendit Cicero, qui piſces dentibus feroces & aues vnguibus & roſtris ſæuientes beſtias appellat; præcipuè tamen beſtijs terræ illud quadrare in ſcriptura videmus, videlicet in Geneſi, vbi poſtquam dixit Deus: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*, addit, *& præſit piſcibus maris & volatilibus cæli, & beſtijs vniuerſæ terræ*, vbi apertè oſtendit illud beſtiæ nomen præcipuè animantibus terreſtribus conuenire. Hoc itaque nomen metaphoricè Dæmoni accõmdantur, vt conſtat ex ſcriptura,

vt in libris Iob: *Et beſtias terræ non formidabis*, vbi Gloſſa per beſtias terræ, Dæmones intelligit, quos iuſtus in hora mortis non reformidat, quia tunc non timet Dæmones ſæuientes, qui blandientes ſequutus non eſt. Eodem modo exponit Lyranus. Vnde Beatus Martinus, vt diximus Cap. 8. Sect. 5. in hora mortis cùm Dæmonem videret perterritus non fuit, ſed ei dixit: *Quid hic aſtas cruenta beſtia? nihil in me funeſte reperies*: maximè autem beſtia dicitur, quia ſæuit in genus humanum, vt notant Richardus de Sancto Victore, & Sanctus Thomas ſuper illud Apocalypſis: *Vidi mulierem ſedentem ſuper beſtiam coccineam plenam nominibus blaſphemiæ*: mulier illa erat hieroglyphicum iniquitatis & impietatis; ſub qua eadem effigie, vnus Angelus Zachariæ impietatem demonſtrauit, nam oſtendit illi mulierem quandam & dixit; *Hæc eſt impietas*: beſtia autem illa coccinea nominibus blaſphemiæ plena, ſuper quam illa mulier videlicet impietas ſedet, & à qua ducitur ac fertur, eſt Diabolus cuius coccineus ac veriùs ſanguineus color, crudelitatem huius tyranni exprimit, vel etiam eius feruentem ardentemque inuidiam, quâ ſuccẽnſus noſtram perditionem procurat: hæc etiam beſtia plena erat nominibus blaſphemiæ; quia Dæmon omibus quibus potuit modis, ac rationibus quas potuit meditando excogitare, contra Deum blaſphemare nunquam ceſſauit, attribuendo ei quod non habet nec ei conuenire poteſt, ſuadendo Deum impium, inuidum, & mendacem, dum eſum ligni vitæ noſtris primis parentibus prohibuit, vt latiùs patet, vbi de illorum tentatione à Dęmone diximus; & auferendo ab eo quod habet, & ſibi arrogando cultum ei debitum, idolorum inducens religionem. Hæc beſtia mulierem portabat, quia Diabolus eſt qui iniquitatem adduxit, & intulit in mundum, iuxtà illud Sapientis: *Inuidia Diaboli mors intrauit in orbem terrarum*; quia introduxit peccatum; ille eam fert ac introducere conatur, eo modo quo equus equitem portat: qualiter autem illam ferat exprimit B. Ioannes: *Et erat*, inquit, *mulier circundata purpurâ & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioſo, & margaritis*: ecce quomodo Dæmon iniquitatem introducit non nudam, non apertam, non propriam referentem faciem, ſed fucatam, ornatam, circundatam purpurâ coccinoque, & inauratam auro. Nunquam Diabolus (inquit S. Gregor. Nyſſ.) iniquitatem nudam demonſtrat, neque prout in ſe eſt, exhibet, eſt enim illa in ſe tam turpis abominatione & odio digna quòd vnuſquiſque eam ſummâ celeritate auerſaretur & reijceret; ſed veſtit eam ornamentis illis quibus pulchram reddere contendit, ſicut fecit (inquit) cùm parentibus noſtris in Paradiſo, quibus inobedientiam & gulam nequaquam nu-

Iob. 5.
Apoc. 17.
Zach. 5.
Sap. 2.
Dæmon iniquitatem nõ repræſentat nudam, ſed fucatam & ornatam.
Lib. 1. de offic. cap. 20.

dam exhibuit, ſed pretioſis ornauit monilibus, oſtendens ligni pulchritudinem, dulcedinem pomi, & vtiliſſimam perſuadens eius comeſtionem: ita crudelis illa beſtia, mulierem ducit aut inducit non nudam ſed ornatam, vndique circundatam ornamentis & monilibus, quibus intuentium oculis grata eſſe poſſit: non enim repræſentat auaritiam, verbi gratiâ nudam prout illa in ſe eſt, quis enim non auerſaretur eam, veriùs quàm cuiuſuis colubri venenatam faciem? ſed veſtitam inducit, repræſentans pecuniarum ingentem vim & potentiam, & quantam in mundo habeant æſtimationem: non ſuperbiam proponit apertam, crudelior enim quocumque crudeliſſimo tyranno facies eius deprehenderetur, ſed indutam, oſtendens eius gloriam, quâ ſplendent qui loca tenent ſuprema, quibus alij capita ſubmittunt & reuerentiam exhibent: non repræſentat luxuriam vt in ſe eſt, nam fœdior ſue iacente in volutabro luti agnoſceretur, ſed ſub placida delectatione carnis & ſatietate appetitus ita de alijs iudicandum.

SECTIO III.

Leonis & Pardi nomina, Dæmoni conueniunt.

NVNC ad ſpecialia beſtiarum & animalium terreſtrium nomina deſcendimus, & primum quod nobis occurrit eſt Leo, quod quidem nomen Dæmoni tribuitur à S. Petro; *Fratres ſobrij eſtote & vigilate, quia aduerſarius veſter Diabolus, tanquam leo rugiens, circuit quærens quem deuoret, cui reſiſtite fortes in fide.* Quòd ſi etiam Christo Leonis nomen conueniat, (dicitur enim *Leo de Tribu Iuda* in Apocalypſi.) S. Auguſtinus oſtendit vtrumque dici Leonem, ob contrarias Leonis proprietates, *Nam Chriſtus*, inquit, *vocatur Leo propter fortitudinem, Diabolus ob ferocitatem; ille Leo ad vincendum, iſte Leo ad nocendum.*

1. Petri 5

Leonis nomen Chriſto & Dæmoni, diuerſimodè competit.

Apoc 5.

Aug. ſerm. 46. de diuerſis c. 2.

Primò ergò Diabolus Leo vocatur ob feritatem, crudelitatem, & ſæuitiam, ſicut enim Leo habet os ingens & vaſtum (vt ait Ariſtoteles) dentes robuſtos, aduncos, & validos vngues, atque vt ait Epiphanius [b] eſt animal rapaciſſimum & voraciſſimum, vt conſtat apud Danielem, de his qui à Leonibus in momento fuerunt deuorati, qui falſò Danielem accuſauerant: ita Diabolus eſt rapaciſſimus & voraciſſimus, nam rapiendis & vorandis animabus ſemper inuigilat: Et quemadmodum Leo eſt ſpecie animal fuluum, robore ſoliſſimum,

Dæmon vocatur Leo ob multas Leonis proprietates quæ ei conueniunt.

a *In Phyſiolog. cap. 8.*

b *Hæreſ. 78.*

Dan. 6.

diſſimum, & vt ita dicam regaliſſimum, ſuper alia animalia; ita Dæmon eſt ſpecie fuluus, putà cruentus, robore ac fortitudine ſolidiſſimus, vt pluriès dictum eſt, & vt ait S. Iob, *Rex eſt ſuper omnes filios ſuperbiæ.* Iob. 41.

Secundò, Leo quia eſt igneæ naturæ, ex ira ardet, atque rabie rugit, antequam captam prædam deuoret, vt ait S. Cyrillus; & ſic voce, ſonitu, & terrore percellit, iuxtà illud eiuſdem Prophetæ Amos; *Leo rugit, quis non timebit?* Et cætera animalia vix eius horrificum ferunt rugitum, ſed ſiſtunt gradum, & penè exanimantur rugientis eius ſonitu, & commouere ſe loco non audent, vt ait S. Ambroſius; ita vt velut quâdam vi, attonita atque icta capiantur: ita Diabolus quia videtur eſſe quaſi igneæ naturæ, hoc eſt ſpiritalis & igne ſubtilior, vel quia continuò ſecum fert ſupplicij ſui ignem; ex ira in homines, & famis rabie eos deuorandi & perdendi, formidabilem edit rugitum, hoc eſt ſuis minis & terroribus eis multùm nocet, & magis quàm robore, & verbere, nam non vincit aliquem niſi volentem. Hinc ſcitè S. Bernardus exponens illud ſupradictum B. Petri, *Rugire poteſt,* inquit, *ferire non poteſt, rugiat quantum vult, tantum non fugiat ouis Chriſti: quanta minatur? quanta exaggerat? quanta intentat? non ſimus beſtiæ vt nos proſternat varius ille rugitus.* Hæc ille. Ad Leonis iram & rugitum vix alia animalia ſtare poſſunt, ſed ad Diaboli rugitum boni & pij qui fortes ſunt in fide, ſecuri permanent; hinc Dæmon eſt *Myrmicoleon*, id eſt formicaleo, quia timidis dominatur vt Leo, audaces metuit vt formica; & ita docet B. Greg. & nonnulli alij in Iob, vbi habet, *Tigris perÿt*, Septuaginta vertunt, *Myrmicoleon perÿt,* vt iam aliàs notauimus. Aduerte etiam ipſum ſæuitiâ eſſe Leonem, & aſtutiâ vulpem, quos enim vi ſuperare non poteſt, dolo & aſtutiâ vincere contendit: vnde ad propoſitum aiebat Lyſander: vbi leonina pellis non ſufficit, addenda eſt vulpina. In 3. Caput Amos. Amos 3. 6. Hexam. c. 3. S. Bern. Iob. 4.

Tertiò; fœtet Leo ob voracitatem & ingluuiem, vt notat Plinius, ſic & Diabolus, vnde Hebraïcè vocatur *Saïr*, id eſt hircus, quià vt multi aiunt, in ſpecie hirci apparet & adoratur à ſagis & maleficis, fœtetque vt hircus, vel *Saïr*, ideſt piloſus, hirſutus, & horribilis, quia horribili ſpecie apparens percellit, & pilorum erectionem horroremque inducit. Plinius lib. 8. cap. 16.

Quartò; Leo quia animal eſt fortiſſimum, habens humeros fortes, robuſtas coſtas, & dorſum atque crura neruoſa, ait Ariſtoteles; ideò nonniſi vt plurimùm grandia & fortia animalia aggreditur, & parua atque vilia aſpernatur; deinde non comedit niſi quod viuum ceperit. Ita Ælianus: ſic & Diaboli, *cibus eſt electus*, vt habet Habacuc. In Phyſiol. c. 8. Lib. 2. cap. 3. Habac. 1.

ſolet enim fortiores, meliores, & ſanctiores aggredi, vt aliàs dictum eſt, & timidos, carnaleſque quaſi ſuos contemnere.

a In Phyſiol. cap. 1.
b Lib. 11. c. 30
c Lib. 1.

Quintò, Epiphanius [a], Ælianus [b], Iſidorus [c], & alij aduertunt, Leonem propria veſtigia, caudâ verrendo obterere, obſcurare, & delere, ne venatores veſtigijs eius inſiſtentes luſtrum inueniant, eumque cum catulis comprehendant; ita Diabolus malum ſpecie boni obtegit, ac celando finem & ſcopum ſuum, dolos ſuos abſcondit, ne illi pateant, & indè agnoſcatur & repellatur.

Loco cit.

Sextò; Leo Gallum criſtatum & canentem timet, atque etiam ignem, & ea fugit, vt ait Plinius, & alij qui de illius natura differuerunt: ita Diabolus terretur & fugatur criſtâ crucis, Pſalmodiâ & cantu Hymnorum, ſed maximè igne & zelo amoris Chriſti: quod confirmat Proclus dum notat Dæmones qui ſolares dicuntur, leoninâ aliquando viſos fuiſſe, fronte videlicet quadratâ, vt ex Ariſt. etiam habemus, qui cùm Gallus eis obijceretur, repentè diſparuerunt. Dicitur etiam Dæmon odiſſe plurimùm Galli cantum ob rationes varias. Prima eſt, quia ille nos ad Dei laudem excitat, iuxta id quod canit Eccleſia;

Proclus lib. de ſacrilegijs.
In Phyſiol. c. 8.

Surgamus ergo ſtrenuè,
Gallus iacentes excitat,
Et ſomnolentos increpat,
Gallus negantes arguit.

Secunda eſt, quia Chriſti reſurrectio contigit circa cantum Galli; per illam autem reſurrectionem, cuius tunc meminiſſe cogitur, ipſe perfectè proſtratus fuit & deuictus. Tertia quia etiam tunc meminiſſe cogitur pœnitentiæ & lacrymarum Petri, quas fudit Gallo monente, vnde peccari remiſſionem & diuinam gratiam fuit ſeququutus; & dolet talem ſibi prædam tunc ereptam, eiuſque exemplo & meritis multos ſibi eripi adhuc modò.

Septimò, Leo cum hominibus non habet fœdera certa, vt ait Homerus, vnde ille qui nullius fidei eſt, nec fœdera pactaque ſeruat quæ iniuit, dicitur prouerbialiter Leonibus infidelior: hâc ratione Dæmon meritò Leonis nomine donatur, nam etiamſi pacta cum hominibus ineat, non tamen ſemper ſeruat nec ſeruare poteſt, cùm non ſit in eius poteſtate. Hinc Chriſto apud S. Matthæum, promittebat dare omnia regna mundi & gloriam eorum, quæ tamen non erant in eius poteſtate, vt aliàs fuſè diximus; hinc Pſellus ad illud Euangelij alludens, ait: *Etſi Dæmonia diuitias nobis & gloriam promittunt, nihil tamen ex ſe tradere poſſunt, quippe cùm imperium nullum habeant, &c.* Si itaque inita aliqua pacta & fœdera ſeruare aliquando videantur, id in perniciem & ruinam hominum præſtant.

Matth. 4.

Pſellus lib. de Dæmonibus.

Octauò; Leo ita vigilans eſt vt apertis oculis dormiat, imò vt Ælianus & alij docent, dormiendo vigilat, caudamque mouet: vnde aliqui putant ipſum nunquam dormire, aiuntque eum ſolum inter animantia apertis oculis naſci, & acutiſſimo pollere viſu, habet enim oculos ingentes, palpebras verò exiles vt totos oculos tegere nequeant, & propterea ſymbolum eſt vigilantiæ; & idcirco ad Baſilicarum & Templorum oſtia, vt Romæ & alibi, ſolet affigi: ita etiam Diabolus eſt valdè peruigil vt hominibus noceat, nunquam dormit; vt alibi diximus: & ideò nos monet S. Petrus, vt tanquam ſtrenui pugiles, animæ oculos continuò apertos & vigilantes habeamus, ſi tam vigilantes aduerſarij ictus declinare velimus, *Fratres* (inquit) *ſobrij eſtote & vigilate*; iungit hæc duo, quia ſobrietas mater eſt vigiliæ, & vigilantiæ, caſtitatis, & aliarum virtutum, ſicut gula & crapula, ſomni & dormitionis, libidinis, cæterorumque vitiorum. Sicut ergò Diabolus ſemper vigilat, & vbique intentus eſt vt noceat & ſupplantet; ita vigiles ſemper cum vigili luctare debemus, & quaſi Argi, mille oculis eum obſeruare & ab eo cauere. Vnde S. Hieronymus ad Heliodorum. *Inſidiatur* (inquit) *Leo hic in ſpelunca ſua, inſidiatur vt rapiat pauperem, & tu frondoſæ arboris tectus vmbraculo, molles ſomnos, futurus præda carpis*; Porrò vigilat ait S. Gregor. qui ad aſpectum veri luminis mentis oculos apertos tenet, vigilat qui à ſe torporis & negligentiæ tenebras pellit. Et hinc perbellè S. Auguſtinus: *Corde* (ait) *vigila, fide vigila, charitate vigila, operibus vigila*. Sed quorſùm eſt ita vigilandum? rationem exhibet ſuprà nominatus S. Petrus, *quia aduerſarius, &c.* ideſt *Sathanas* Hebraïcè, qui ex odio & inuidia contra animam veſtram eiuſque ſalutem agit, vt vos ſocios habeat dãnationis, & ignis inferni: *Tanquam Leo rugiens*, quem fames ſtimulat & exagitat; *circuit*, Tygurina *obambulat*, Pagninus, *vndique ambulat*; alij *circumambulat*; perindè ac dux qui obſidet vrbem, circuit vt videat quâ parte minùs munita ſit, vt per eam irrumpat; vel ſicuti duellator qui in duello aſſiduè & iugiter, antagoniſtam circumcircà obſeruat, & circuit vt eum deijciat: aut etiam ſicut venator circuit Ceruos, piſcator piſces, exercitus vrbẽ, vt omnes concludat, capiat, vel occidat; mala circuitio, peſſimus qui circuit: de illo circuitu iam anteà diximus. De illo crudeliſſimo Leone, loquitur Propheta Regius: *Inſidiatur* (inquit) *in abſcondito quaſi Leo in ſpelunca ſua, inſidiatur vt rapiat pauperem, rapere pauperem dum attrahit eum*; ac ſi dicat hoc Diaboli ſtudium, hæc Leonis huius induſtria & labor; vt primùm inſidioſè malitiam oculat; & propterea quaſi nihil minùs quàm nocere intendens, in ſpelunca quietus iacet, immò blanditijs & innocentiæ prætenſa ſpe-

Epiſt. 1.

Hom. 13. in Euangel.

Serm. 23. de verbis Domini cap. 10.

Vigilandum ad euitandas Diaboli inſidias.

Pſal. 9.

cie, ad ſe quaſi inuitat; ſed ſcopus eſt vt rapiat ac diſſipet pauperem, virtutibus, prudentia, & inprimis cautela hac deſtitutum. Cùm igitur hunc teterrimum inimicum noſtrum, quaſi Leonem eſſe in ſpelunca ſua abſconditum exiſtimamus, & nihil mali aduerſum nos moliri, tunc attrahit nos ad ſe, circuiens vt rapiat & deuoret; ſicut ait Sanctus Petrus volens ſimul oſtendere eum in noſtram perniciem vagum eſſe & inſtabilem, quia deſerendo Deum per peccatum mentis ſtabilitatem amiſit, in ſolo enim Deo hæc conſiſtit ſtabilitas; oſtendit quoque idem Apoſtolus eius fraudes & dolos atque verſutiam, quâ vt ſerpens gyrat & regyrat, vt homines ſuis artibus, ſcrupulis & perplexitatibus circumueniat, implicet, intricet, irretiat, ingenti calliditate decipiat, capiat, atque *deuoret*, vt vnâ voce ait idem Sanctus Petrus, quo quidem deuorandi verbo ingens hominum periculum exprimit, & Sathanæ crudam & inhumanam cupiditatem, cuius hoc palmarium votum eſt, omnibus hominibus vitam gratiæ ſimul ac corporis eripere, ſi quo modo id conſequatur, vt aiebat S. Leo Papa: *Quorum obtinere non poteſt mortes, impetit mores.* Expende ergo verbum, *deuoret*, hoc enim eſt diſcrimen inter comedere, & deuorare, quòd illud quod comeditur non ſemper totum manducatur, ſed aliqua pars reijcitur, vt in carnibus oſſa, in piſcibus ſpinæ, in fructibus peripſemata, quod autem deuoratur totum abſumitur & nihil reijcitur: ſic ergo Diabolus non dicitur quærere quem manducet, ſed quem deuoret, corpus, animam, virtutes animæ, & bona corporis temporalia, & ſpiritualia. Vel etiam eodem deuorandi verbo, magnus idem Apoſtolus oſtendere voluit, ſceleratum illud monſtrum maximè exoptare omnes homines in malitioſam & odioſam Deo naturam ſuam tranſmutare, & ſimillimos ſui efficere, vt in corporis naturam & conditionem cibi immutari ſolent. Et hoc eſt forſan quod voluit dicere Tertullianus, dùm aſſeruit Dæmonem hominis ſpiritum malitiâ transfigurare. Eadem ratione B. Macharius eum vocat verſutiſſimum, infinitis vtentem inuolucris, ſummâ diſſimulatione præditum, qui habeat machinamenta callido artificio inſtructa, & triplices veluti fores quibus effugiat & accedat; & hæc machinamenta, vocat S. Hieronym.[a] *Multimoda Diaboli ingenia.* quod expreſſit eleganter Sanctus Fulgentius[b] in hunc modum: *Tanquam diuerſis machinis ſic innumeris vtitur argumentis, & cum certamine manifeſto cedit, ad hoc ſe victum demonſtrat vt vincat, ad hoc fugam ſimulat, vt perſequentem miſſis poſt tergum ſagittis occidat, &c.* Et paulòpoſt, *Armis quibus eliditur ſurgit, & virtute quâ deijcitur, deijcit.* Et S. Cypr. *fortiorem quemque magis aggreditur, & acrior factus, hoc ipſo quo victus eſt, ſuperantem ſuperare conatur.* ô

Serm. 6. in Epiph. Diſcrimen eſt inter comedere & deuorare.

Crudelitas, malitia & aſtutia Dæmonis quanta.

De cultu fæm cap. 5.

Hom. 17.

a *In cap. 6. ad Epheſ.*

b *Epiſtola 3. ad Probam.*

Epiſt. 4.

quanta huius Leonis aſtutia, ſæuitia, & crudelitas! Rectè igitur cauendum & proſpiciendum nobis monet Sanctus Petrus. Quod ſcitè admodùm oſtendit Thomas Anglicus: Peruerſitas (inquit) Diaboli ſignificatur per nomen aduerſarij, robur per nomen Leonis, crudelitas cùm rugiens vocatur, ſollicitudo cùm circuire quęrendo dicitur; hinc à nobis exigitur contrà primum vt reſiſtamus, contrà ſecundum vt ſimus fortes, contrà tertium vt fidei manſuetudinem habeamus, contrà quartum vt vigilemus. Et inde ſubdit Apoſtolus: *Cui reſiſtite fortes in fide*; Vel vt vertit S. Hieron. *Confortati fide*; vel vt alij vertunt, *ſolidi & firmi in fide*, quod eſt intelligēdum non de exili & languida fide, ſed de viua & charitate formata, ſpe roborata, & oratione armata, quia aliàs Diabolus vinci non poſſet; cùm enim tentationes & concupiſcentias ardentes ſuſcitet, iuxtà illud Iob: *Halitus eius prunas ardere facit*, nonniſi ardenti fide extingui poſſunt. Pſaltes Regius de hac Leonis, id eſt Dęmonis ſagacitate, aſtutia, malitia, & crudelitate benè cruditus, imò & iam varios eius nocendi modos expertus, ad ſancti numinis pręſidium verſus, fide formatâ munitus, & ſpe roboratus aiebat: *Salua me ex ore Leonis*, hoc eſt Dęmonis, vt exponit S. Thom. quaſi diceret, ne vnquam contingat vt ſim ſæuiſſimi huius Leonis pręda, eius dentibus vnguibuſque validiſſimis comminuenda; iam dixerat Pſaltes alio in loco Pſalmorum de ipſo Dęmone agens: *Nequando rapiat vt Leo animam meam, &c.* eamque dilaceret & perdat. Si autem vir ille Deo charus, & cœli donis gratiæque pręſidio nobilis, de infernalis huius Leonis immani ferocia cogitans, ità commouebatur; multò magis reformidare debemus, cùm à nefario illo prędone aliquid multò crudelius nobis immineat. Aiunt enim Sancti Patres, illum nunc acriùs quàm olim in homines furere, omnibus armis & contentione inuolare, atque ſaluti inſidiari, quia (inquiunt) magis agnoſcit vim ſupplicij ſui videtque ad malitioſam ſuam exercendam crudelitatem, ſibi modicum tempus ſupereſſe; quemadmodum belluæ ſolent diù collecta fame, ſub veſperam longè immaniùs & ardentiùs graſſari: vnde de ipſis Dæmonibus exponi poteſt illud Pſalmiſtæ: *Conuertentur ad veſperam, & famem patientur vt canes, & circuibunt ciuitatem*; nomen enim Canis etiam Dæmoni conuenire poſteà dicemus.

In cap. 55. Iſaia. Quomodo reſiſtendum Dæmoni. *Iob. 40.* *Pſal. 21.* *Pſal. 7.* *Pſal. 58.*

Ipſe porro Dæmon non ſolùm Leo, ſed & Pardus nuncupatur, vt aiunt SS. Patres, Leo ob ſuperbiam, Pardus propter verſutiam ſeu velocitatem, ſeu pro mille nocendi artibus, Pardus enim velox animal eſt & varium, ità & Dęmon ſe ſe Pardum exhibuit, quando tantâ velocitate tot vultus induit, & circunuentiones compoſuit, vt Euam falleret.

Dæmon Pardo comparatur.

SECTIO IV.

Dæmon Tigridi, Lupo, Pardali, Onocentauro, & Tauro comparatur.

Lib. 5. Moral. cap. 16.
Dæmon Tigridi comparatus.

PRIMÒ comparatur Tigridi, cuius proprietates refert S. Gregor. in illa verba Iob 4. *Tigris periÿt eò quod non haberet prædam,* &c. Quas licet conuenire dicat hypocritis, non minùs tamen imò & meliùs Dęmoni conuenire cenſent alij. Tigris eſt animal quod exteriùs formoſum apparet, varijſque coloribus decoratum fuluo pręſertim, nigrantibus ſegmentis internudato, ſed interius plenum eſt feritate & ira mortifera, & maximâ violentiâ prędam rapit eamque deuorat; ita Dęmon quoad naturam ſpectat, formoſus eſt & varijs coloribus hoc eſt ornamentis naturalibus decoratus, & tamen poſtquam ob ſuperbiam, qua Dei gloriam vſurpare voluit, fuit è cœlo ad ima proſtratus; tantâ & tam mortiferâ efferbuit ira, vt prædæ rapiendę ac vorandæ continuò inuigilet & incũbat; pręda autem eius nihil aliud eſt præter animas hominum, quas rapere & ad interitum ac ruinam ſempiternam ſecum, non ſine ingenti violentia attrahere nititur. Docet etiam S. Gregor. ipſum Dæmonem propter multiformis eius aſtutiæ varietatem & fraudulentum ingenium ac varium, non incongruè nomine Tigridis appellari. Aduerte porrò apud Septuag. non *Tigris* poni, ſed vt iam alibi diximus *Myrmicoleon*, genus animantis puſillum, ſed aſtutiſſimum ad formicas perſequendas, eas quippè in foueam lapſas, mirabili artificio ſtructam, inſidiator ille callidus, intercipit atque deuorat. S. Gregor. magnus nouum genus monſtri conſiderat, è naturarum varietate compoſitum, quod ſimul & formica ſit atque Leo: vt formica titillat, vt Leo ſæuit & bacchatur.

Dæmonis præda quænam ſit.
Lib. 5. Moral cap. 17.
S. Greg. in Iob.

Dæmon Lupo comparatus.

Comparatur Lupo; ſicut enim Lupus ouium & aliorum animalium carnibus veſcitur; ità Dæmon continuo odio, ira, furore, ac qua pollet nocendi & occidendi cupiditate, hominum neci & perditioni ſemper occupatur. Lupus veſpertino aut nocturno tempore inhiat caulæ, & nititur aliquam rapere ouem, & quandoque voces humanas, interdum etiam caninas fingit & emittit, vt ſic paſtores & oues decipiat: ſic Diabolus nocturno maximè tempore, caulæ & gregi ſummi Paſtoris Chriſti inhians, ſub ſpecie alicuius boni, malum quod intendit ſuggerere ſolet; immò vt ait Apoſtolus, transfi-

2. Cor. 11.

gurat ſe in Angelum lucis, vt non ſolùm ipſas Chriſti oues, immò & ipſoſmet paſtores decipiat & fallat. Dicit Ariſtoteles in libro Animalium, quòd in India reperiatur quidam Lupus habens faciem Hominis, & caudam Scorpionis; & eo deſignatur Diabolus qui in principio quaſi rationabilia perſuadere videtur, & ſine fraude, poſteà autem venenum infundit. De Lupo docet Sanctus Ambroſius, quòd ſi prior hominem viderit vocem eripit ac deſpicit eum tanquam victor vocis ablatæ; idem ſi ſe præuiſum ſenſerit deponit ferociam, non poteſt currere, hoc eſt hominem deſerit, nec ad illum valet accedere. Sicut ergo debet homo ſibi cauere in locis vbi verſantur lupi ne prior ab eis videatur & ad illum accedant, ita ſibi cōtinuò debet proſpicere & vigilare, atque primus Dæmonibus prouidere ſalubri ſuorum peccatorum confeſſione, ne illi priùs eum conſpicientes, vocem auferant, hoc eſt impediant ne ad ſuorum peccatorum remiſſionem cōſequendā, ea confeſſoribus confiteatur, hoc enim modo, rabidos illos lupos indubiè poterit à ſe abigere eoſque fugare, ita vt ad illum accedere non ſint auſuri. *Lib. animal.* *Lib. 6. in Hexam. cap. 4.*

Comparatur Pardali, qui eſt beſtia homini inimiciſſima, vt rectè notauit Sanctus Baſilius, quia, inquit, Pardalis natura eſt vt maximè in hominum oculos inſiliat; quòd ſi qui volunt furorem eius auertere, imaginem hominis ex charta ei oſtendunt vel objiciunt, quam illa ſtatim veluti furijs agitata, & diſcerpit ac dilaniat, declarans quanta ſit accenſa ira: ſic Diabolus ita hominis ad Dei imaginem formati inuadit faciem, & ſpiritualibus oculis inſilit, videlicet prudentiæ & rationis, vt ambos eruat ne eius inſidias videant, & eius fallacias, ſed potiùs vt cœcum effectum, in multorum ſcelerum præcipitia quæ non videt trahat. Ita plerique apud Agellium, cuius verba ſubijcio: Volūt (inquit) aliqui, Dęmones ideò linguâ Hebræâ dictos eſſe prædatores, quòd prudentiam, rationem, ſenſumque hominum depredentur; nam quos implent, ab eis omnis intelligentiæ atque ſcientiæ rationem auferunt, vt tanquam cœci & mente capti, in omnia ſcelera, & perniciem ipſi ſuam ruant: Id docuit Iudas, in cuius cor intrauit Sathanas; Ananias item, quorum vtrumque obiectâ argenti ſpecie deceptos prædam ſuam fecit, cùm ab illis prudentiam ac iudicium abſtuliſſet. Sic ille. *Dæmon Pardali comparatur.* *Orat. in Lacizis habitâ.* *In Pſal. 90.*

Dicitur Onocentaurus, nam ſicut hoc animal eſt monſtroſum, ſuperiùs habens effigiem hominis, inferiùs autem ſimilitudinem aſini: ita Dęmon quandoque blandâ facie humanâ apparet; at formam inferiorem belluinam cautiùs abſcondit, vt faciliùs decipiat. *Dæmon dicitur Onocentaurus.*

Comparatur Tauro à Sancto Baſilio, nam quemadmodum, inquit, Taurus in furorem actus in hominis ſtatuam excandeſcit, cor- *Dæmō Tauro comparatur.*

nibuſque decerpit, propintereàquod hominis ſimilitudinem refert: ſic Diabolus tànquam cruenta beſtia, inuehitur in hominem, totiſque ſuis viribus perdere conatur, eo quòd ad imaginem & ſimilitudinem Dei ſit factus, quem ex animo odit.

SECTIO V.

Dæmon Behemoth, Boui & Vitulo comparatur.

Dæmon Behemoth dicitur, & Elephantus.

In cap. 40. Iob.

De partibus animalium cap. 10.

Ariſtot. Plin. lib. 15. Strabo.

Lib 1. cap 39.

INSVPER dicitur Behemoth, quod quidem Hebraïcum nomen, ex Ferdinando in ſuo Theſauro verbo *Behemoth*, ſignificat maximam beſtiarum, & feram crudelem, quæ corporis mole quaſi multas contineat, & apud plurimos Hebræos pro Elephanto ſumitur; quia Elephantus maxima eſt beſtia, immò inſtar eſt maximarum beſtiarum ob eius magnitudinem, robur, & dorſi fortitudinem, ita vt turres ligneæ quandoque ei impoſitæ fuerint; quaſi diceres eſſe beſtiam beſtiarum fortiſſimam, præſtantiſſimam, & excellentiſſimam, vt habet Pineda, interpretans hæc Iobi verba: *Ecce Behemoth quem feci tecum*; hinc Ariſtoteles: Habet (inquit) dentes fortiſſimos ſicut Leo, quos eboris natura demonſtrat: cornua valida ſicut Taurus, non à capite ſed ab ore procedentia: habet ſerpentis agilitatem in proboſcide aut tuba quam huc illucque verſat, ideò anguis à quibuſdam vocatur; Lupi & Vrſi voracitatem, nam ingentem cibi copiam abſumit; coruorum viuacitatem, & diuturnam vitam, Ariſtoteles enim ducentos ei concedit annos: Plinius trecentos; Strabo quingentos: Tigridum iram & furorem, ſummè enim excandeſcit in offendentes: & tandem ouium manſuetudinem erga ſuum ductorem, & cum quiſe ſibi ſubijcit, & illum ſuperiorem agnoſcit: qua de cauſa Ælianus duplici corde & ſenſu illum præſtare confirmat, quorum vno iraſcenditur, altero mitigatur: ità vt nihil aliud Elephas eſſe videatur quàm congeries quędam beſtiarum; vnde vocatur Behemoth, quod eſt nomen pluralis numeri, hoc eſt beſtiæ, quia in ſe omnium beſtiarum mores ferinos crudeles, & immites continet. Sed nonne Diabolus hoc nomine Elephantis vel Behemoth, hoc eſt beſtiæ in plurali, donari debet? nullus profectò inficias ibit, nam ipſe omnium beſtiarum feritatem præhabet, habet enim crudelitatem Tigridis & Pantheræ, voracitatem Vrſi, rabiem Leonis, aſtutiam Vulpis, calliditatem Serpentis, virus Reguli, venenum Viperæ, mordicitatem rabidi Canis, petulantiam Vituli, turpitudinem Porci, &c. Ex quo fit, vt qui-

vt qui cum eo bellum gerit, ſimul cum omnibus illud gerat animalibus & beſtijs, omnium in ſe ipſe ſolus concludens fortitudinem, inhumanitatem, crudelitatem, calliditatem, feritatem, hoſtilitatem, beſtialitatem, &c. Et rectè ſanè Diabolus dicitur quaſi congeries beſtiarum, nam cùm peccatores ſint Vulpes, Porci, Canes, Leones, Equi, Muli, Tigrides, Vrſi, Pardi, Viperæ, ac denique cætera beſtiarum genera; fit equidem vt Pater ipſorum ſortiatur quoque omnium beſtiarum nomina & proprietates. Quia igitur patientiſſimus Iob, ingentis illius & crudelis beſtiæ, hoc eſt *Behemoth*, quæ tot beſtiarum congeries eſt, recenſet proprietates, & omnes eius deſcribit partes, ac membra corporea; ideò multi cenſent ipſum voluiſſe potiùs Diabolum deſcribere, eiuſque aſtutiam, ſæuitiam, fortitudinem, calliditatem, ingenium, eiuſque nocendi artes, quàm ingentem aliquam beſtiam; quamuis tamen propter eius ſuperbiam, à prima ſua conditione nobiliſſima & conſortio Angelorum, deiectus ſit ad conditionem beſtiarum & belluinos mores, & tales conetur ſuis ſuaſionibus reddere homines, eis vſum rationis offuſcans, & veluti beſtias quò vult conducens. Quòd autem ipſum Dæmonem deſcribere voluerit S. Iob, ſatis manifeſtè apparet ex eo quòd ſequenti capite deſcribens *Behemoth* in plurali, dicit eius dentes eſſe ipſam formidinem, *per gyrum dentium eius formido*: cuius cartilago eſt tota ferrea, quæ tamen in alijs animantibus vt in homine tenera eſt pars, *Cartilago illius quaſi laminæ ferreæ*: cuius carnes *ſcuta fuſilia*; cuius os *ignis*: cuius halitus *flamma*. Quæ omnia ſi ſenſum myſticum inquiras, admirabilem indicant Diaboli fortitudinem, potentiam, inflexibilitatem, duritiam, pertinaciam, aſtutiam, ac tandem ſuprà homines imperium: Et quomodo nobis qui terrei, fragiles & puluis ſumus, poſſibile erit cum tanto hoſte in certamen deſcendere illumque vincere? Deus præpotens qui tanti inimici fortitudinem & nequitiam, apud Sanctum Iob deſcribit vt id non ignoremus; modum etiam quo eum debellare valeamus nobis tradidit, atque auxilium ſanctiſſimos nobis aſſignando Angelos paris fortitudinis, imò ſuperioris, quorum auxilio vincimus, ſuperamus & deijcimus ipſum Dæmonem, & vt ſic dicam ſuffocamus. Quòd item per ipſum *Behemoth*, voluerit Deus apud eundem S. Iob Dæmonem intelligere, apparet quoque ex eo quod de ipſo agens, & volens explicare quiſnam eſſet, ſubdit; *Ipſe eſt principium viarum Dei*. Quo nomine ipſum Dæmonem poſteà apud Ezechielem deſcripſit, vnde etiam poſtquam idem S. Iob de immani illa beſtia ſermonem inſtituit dicens, *Ecce Behemoth*, addit, *quem feci tecum; fœnum quaſi Bos comedet*. Sed quid vult hæc dictio *tecum?* vult dicere fuiſſe factum cum

[Margin notes: *Iob. 41.* (beside "ſcribere voluerit S. Iob"); *Ezech. 28.* (beside "ipſum Dæmonem poſteà apud Ezechielem")]

nibuſque decerpit, propterea quod hominis ſimilitudinem refert: ſic Diabolus tanquam cruenta beſtia, inuehitur in hominem, totiſque ſuis viribus perdere conatur, eo quòd ad imaginem & ſimilitudinem Dei ſit factus, quem ex animo odit.

SECTIO V.

Dæmon Behemoth, Boui & Vitulo comparatur.

Dæmon Behemoth dicitur, & Elephantus.

INSVPER dicitur Behemoth, quod quidem Hebraïcum nomen, ex Ferdinando in ſuo Theſauro verbo *Behemoth*, ſignificat maximam beſtiarum, & feram crudelem, quæ corporis mole quaſi multas contineat, & apud plurimos Hebræos pro Elephanto ſumitur; quia Elephantus maxima eſt beſtia, immò inſtar eſt maximarum beſtiarum ob eius magnitudinem, robur, & dorſi fortitudinem, ita vt turres ligneæ quandoque ei impoſitæ fuerint; quaſi diceres eſſe beſtiam beſtiarum fortiſſimam, præſtantiſſimam, & excellentiſſimam, vt habet Pineda, interpretans hæc Iobi verba: *Ecce Behemoth quem feci tecum*; hinc Ariſtoteles: Habet (inquit) dentes fortiſſimos ſicut Leo, quos eboris natura demonſtrat: cornua valida ſicut Taurus, non à capite ſed ab ore procedentia: habet ſerpentis agilitatem in proboſcide aut tuba quam huc illucque verſat, ideò anguis à quibuſdam vocatur; Lupi & Vrſi voracitatem, nam ingentem cibi copiam abſumit; coruorum viuacitatem, & diuturnam vitam, Ariſtoteles enim ducentos ei concedit annos: Plinius trecentos: Strabo quingentos: Tigridum iram & furorem, ſummè enim excandeſcit in offendentes: & tandem ouium manſuetudinem erga ſuum ductorem, & eum qui ſe ſibi ſubijcit, & illum ſuperiorem agnoſcit: qua de cauſa Ælianus duplici corde & ſenſu illum præſtare confirmat, quorum vno ira accenditur, altero mitigatur: ità vt nihil aliud Elephas eſſe videatur quàm congeries quędam beſtiarum; vnde vocatur Behemoth, quod eſt nomen pluralis numeri, hoc eſt beſtiæ, quia in ſe omnium beſtiarum mores ferinos crudeles, & immites continet. Sed nonne Diabolus hoc nomine Elephantis vel Behemoth, hoc eſt beſtiæ in plurali, donari debet? nullus profectò inficias ibit, nam ipſe omnium beſtiarum feritatem præhabet, habet enim crudelitatem Tigridis & Pantheræ, voracitatem Vrſi, rabiem Leonis, aſtutiam Vulpis, calliditatem Serpentis, virus Reguli, venenum Viperæ, mordicitatem rabidi Canis, petulantiam Vituli, turpitudinem Porci, &c. Ex quo fit, vt qui

In cap. 40. Iob.

De partibus animalium cap. 10.

Ariſtot. Plin. lib. 15. Strabo.

Lib 2. cap 39.

vt qui cum eo bellum gerit, ſimul cum omnibus illud gerat animalibus & beſtijs, omnium in ſe ipſe ſolus concludens fortitudinem, inhumanitatem, crudelitatem, calliditatem, feritatem, hoſtilitatem, beſtialitatem, &c. Et rectè ſanè Diabolus dicitur quaſi congeries beſtiarum, nam cùm peccatores ſint Vulpes, Porci, Canes, Leones, Equi, Muli, Tigrides, Vrſi, Pardi; Viperæ, ac denique cætera beſtiarum genera; fit equidem vt Pater ipſorum ſortiatur quoque omnium beſtiarum nomina & proprietates. Quia igitur patientiſſimus Iob, ingentis illius & crudelis beſtiæ, hoc eſt *Behemoth*, quæ tot beſtiarum congeries eſt, recenſet proprietates, & omnes eius deſcribit partes, ac membra corporea; ideò multi cenſent ipſum voluiſſe potiùs Diabolum deſcribere, eiuſque aſtutiam, ſæuitiam, fortitudinem, calliditatem, ingenium, eiuſque nocendi artes, quàm ingentem aliquam beſtiam; quamuis tamen propter eius ſuperbiam, à prima ſua conditione nobiliſſima & conſortio Angelorum, deiectus ſit ad conditionem beſtiarum & belluinos mores, & tales conetur ſuis ſuaſionibus reddere homines, eis vſum rationis offuſcans, & veluti beſtias quò vult conducens. Quòd autem ipſum Dæmonem deſcribere voluerit S. Iob, ſatis manifeſtè apparet ex eo quòd ſequenti capite deſcribens *Behemoth* in plurali, dicit eius dentes eſſe ipſam formidinem, *per gyrum dentium eius formido*: cuius cartilago eſt tota ferrea, quæ tamen in alijs animantibus vt in homine tenera eſt pars, *Cartilago illius quaſi laminæ ferreæ*: cuius carnes *ſcuta fuſilia*; cuius os *ignis*: cuius halitus *flamma*. Quæ omnia ſi ſenſum myſticum inquiras, admirabilem indicant Diaboli fortitudinem, potentiam, inflexibilitatem, duritiam, pertinaciam, aſtutiam, ac tandem ſuprà homines imperium: Et quomodo nobis qui terrei, fragiles & puluis ſumus, poſſibile erit cum tanto hoſte in certamen deſcendere illumque vincere? Deus præpotens qui tanti inimici fortitudinem & nequitiam, apud Sanctum Iob deſcribit vt id non ignoremus; modum etiam quo eum debellare valeamus nobis tradidit, atque auxilium ſanctiſſimos nobis aſſignando Angelos paris fortitudinis, imò ſuperioris, quorum auxilio vincimus, ſuperamus & deijcimus ipſum Dæmonem, & vt ſic dicam ſuffocamus. Quòd item per ipſum *Behemoth*, voluerit Deus apud eundem S. Iob, Dæmonem intelligere, apparet quoque ex eo quod de ipſo agens, & volens explicare quiſnam eſſet, ſubdit; *Ipſe eſt principium viarum Dei.* Quo nomine ipſum Dæmonem poſteà apud Ezechielem deſcripſit; vnde etiam poſtquam idem S. Iob de immani illa beſtia ſermonem inſtituit dicens, *Ecce Behemoth*, addit, *quem feci tecum; fœnum quaſi Bos comedet.* Sed quid vult hæc dictio *tecum?* vult dicere fuiſſe factum cum

Iob. 41. *Ezech. 28.*

S. Gregor. Iobo, vel cum ipſo homine, vt exponit S. Gregorius, eâ ratione quâ omnia dicuntur facta ſimul in cognitione diuinâ, quamuis non eodem tẽporis momento proceſſerint: vel hæc dictio, *tecum*, eſt ad naturæ intellectualis ſimilitudinem referenda, quòd videlicet ad eandẽ ſimilitudinem conditi ſunt homo & Diabolus: vnde non mirũ ſi per *Behemoth*, Elephantus intelligi poſſit, quia Ælianus & Plinius aduertunt, hoc animal habere naturam proximam humano ingenio, propter ſubtilem æſtimatiuam quâ pollet, & eius perſpicacem & prudentem naturam; nam de illo dicitur quod *belluarum nulla prudentior eſt Elephanto.* Iob autem ſuperaddidit *Fœnum quaſi Bos comedet:* per fœnum quod comedit, S. Gregorius intelligit carnales homines, qui ſunt ſicut fœnum ſine fruge. ſine grano, ſine fructu; nam apud Eſaïam habetur: *Omnis caro fœnum, & fœnum eſt populus.* Talis cibus qui diuino guſtui amareſcit, ſoli Diabolo dulceſcit & ſuauiſſimum pabulum præbet & ideò non ſine ratione dicit Iob: *fœnum vt Bos comedet;* & non dicit, vt Equus, quià quamuis vterque fœni appetens ſit, Bos tamen potiùs recenti & mundo pabulo veſcitur quàm veteraſcenti, & fœnum ſeligere ac diſcernere ſolet: ita Dæmon electiſſimum quemque deuorare appetit, cùm de illo ſcriptum ſit: *Cibus eius electus.* Et in hoc non ſolùm Behemoth aut Elephantus dici debet, verumetiam & Bos, quia vt ait Mandina, Bouem ſe ſimulat: & ſicut Bos eſt piger, elinguis & taciturnus, quòd linguam potiùs habeat ad paſcua quàm ad vſum ſermonis intentam, quò fit vt Bos communi vocabulo mutus dicatur; ita de ipſo Dæmone iudicandum: eſt enim ad aliquod bonum opus peragendum piger, & elinguis atque taciturnus ad Dei decantandas laudes, nunquam enim eſt Dei laudibus intentus, ſed potiùs probris, iniurijs & blaſphemijs: & ſicut Bos habet continuò caput inclinatum & verſùs terram depreſſum: ita Dæmon caput habet ad terram inclinatum, hoc eſt ad terrenos homines quos tentat; & ne ad cœleſtia ſe ſe erigant, quantum poteſt impedit. Vlteriùs ſuperaddit S. Iob de *Behemoth* loquens; *Stringit caudam ſuam quaſi Cedrum.* Quod exponens S. Gregor. ait; *Bene ſtringere caudam dicitur Behemoth, dente enim vulnerat, & caudâ ligat, quia ſuggeſtione prima percutit, ſed percuſſam mentem ne euadere valeat, inualeſcente fine tentationis adſtringit. Et ſciendũ quòd plerumq; eis quos ceperit, tunc grauiores culpas ingerit, cùm præſentis vitæ termino, illos propinquare cognoſcit. Behemoth igitur caudam quaſi Cedrum ſtringit, quia quos per praua initia ceperit, ad finem deteriorem trahit.* Hæc ille. Nota autem per Cedrum arborem proceriſſimam, aliquando in Sacra Scriptura, iuſtorum excellentiam ſignificari; aliquando verò ſuperbam prauorum potentiam:

Ælianus Plinius.

Greg. in Iob.

Eſaie 40.

Habac. 1. Dæmon Bos dicitur

In Cap. 1. Hieron.

Lib 32. Moral. cap 17. & in cap 40. Iob.

quando igitur cauda Diaboli per Cedrum exprimitur, docemur Diaboli finem quem prætendit homini, eſſe aliquando vt Sanctorum excellentiam videatur æmulari, quamquam fictè & ſimulatè. Cauda hæc vel fallax valdè & fortis eſt in blanditijs, vel terribilis in minis, itaut tali modo percellit & ſtringit, vt vix homo ipſe ita miſerè deceptus, ſe mouere audeat, & à malo reſilire & pœnitere poſſit.

Comparatur Vitulo comedenti fœnum à Nouarino, & expendit Regij Prophetæ verba loquentis de vitulo, quem Hebræi fabricarunt, *Et mutauerunt*, inquit, *gloriam ſuam*, id eſt Deum qui illis decori & honori erat; hoc enim gloria hîc ſignificat, *in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum.* Cur non potiùs dixit (ait Nouarinus) in ſimilitudinem vituli arantis terram, triturantis aream, plauſtrumque trahentis? His enim omnibus deſtinatus vitulùs & Bos; rectè id, & non ſine myſterio, vitulùs ille Dæmone grauidus, Dæmonis figuram exprimebat, quia verò illius eſt, nos noſtraque tantùm demoliri atque conſumere, nullamque nobis vtilitatem ſuâ ſponte afferre, nullum commodum; idcircò vitulo fœnum comedenti non aranti aut trituranti comparatur. Superaddi hic poteſt quod ſuprà diximus de Behemoth, hoc eſt de Dæmone comedente fœnum, cum allata ſignificatione.

Dæmon Vitulo comparatur.

Lib. 2. ſacrorum electorum excurſu 53.

Pſal. 105.

SECTIO VI.

Dæmon Equo, Mulo, Aſino, Hirco, Cani, Cerbero, Lepori, Muri, Cato vel Feli comparatur.

PRIMO, comparatur Equo, Mulo, & Aſino, quia aliquando his in figuris, ſe ſe quibuſdam in locis, viatoribus obiecit, circà flumina & in ędibus. Et huiuſmodi Dæmones dicti ſunt Telchines, quos nonnulli vocant ſpiritus familiares, ſeu folecos vel ludicros. Olaus Magnus refert Hodingum Danorum Regem in ſuum regnum, quo nonnullorum factione fuerat eiectus, per immenſa maris ſpatia, ab Othini Dęmone in equi ſpecie eſſe reductum.

Dæmon Equo Mulo & Aſino comparatur.

Lib. 3. hiſt. Septentr. c. 19.

Apparuit quoque Sancto Benedicto in Mulo medici, & ei obuiam factus eſt cornu & tripedicam ferens, vt refert Binsfeldius: legimus apparuiſſe quoque pluries in Aſini forma.

De Confeſſ. Malef. Præludio 12.

Comparatur Hirco, quia vt multi notant, plerumque apparet multis Sagis in forma Hirci nigri, præſertim quando defert eas ad

Dæmon Hirco comparatur.

congregationem ſeu conſortium, ex confeſſione earumdem; & hęc forma præ alijs eſt ipſi gratiſſima; Hircus autem eſt animal mento, barbâ incultâ, & cornibus terribile, truculentum capite, libidinoſum, & valdè fœtidum. Quibus proprietatibus mores Dæmonum & Maleficorum deſignantur; nam ſi præcipuè agatur de fœditate & libidinoſa obſcænitate, nullâ re tam certò ſuam Dæmon teſtatur pręſentiam, quàm odoris fœditate intolerabili; & præcipuè ſatagit vt ſuos rebus venereis quammaximè deditos habeat, & ne deſit occaſio, ipſe quotięs illis occurrit eam formam induit, quæ huic vſui ſit accommodatiſſima. Addit Nicolaus Remigius [a] Hirci ſaliuam eſſe fructibus venenum, teſte Varrone [b], & dentes valdè noxios & lethales habere. Hæc maximè conueniunt Dæmoni qui totus eſt lethalis & exitioſus. Vide plura apud dictum Remigium. De talibus Hircis hoc eſt Dęmonibus habet Iſaïas, vbi de deſtructione Babylonis ſermonem inſtituens ait: *Et piloſi ſaltabunt ibi*, Chaldaïcè, *Dæmones.* Forerius, *Ego* (inquit) *ſimias dicerem*, alij *Satyros*. Oleaſter hîc, Hircum etiam ſylueſtrem hac voce ſignificari vult, & addit: *Sunt qui Dæmones vertunt, quod in figuris Hircorum olim mortalibus apparere ſolerent.* Rabinus Kimhi quoque per hos piloſos, de quibus Propheta loquitur intelligit Hircos, quia de facto ſunt valdè piloſi: vnde vertit: *Hirci ſaltabunt: Hirci* (inquit) *ſunt Dæmones, vocantur autem ſic, quia in forma Hircorum apparent his qui credunt in eos.* Plura etiam in hunc locum adferunt Rabi Salamo & Galatinus. Conſtat itaque Dæmones apparuiſſe pluries in forma Hirci, nunquam autem ouium effigiem induiſſe, cùm Chriſto Domino placuerit ſe paſtorem, & familiam ſuam oues nominare. Sic in Euangelio: *Oues ſtatuit à dextris, hædos autem à ſiniſtris*: & deindè nunquam aſſumpſit Dęmon figuram, niſi quorundam animalium vel nociuorum, vel turpis figuræ, vtplurimum, & ideo non mirum ſi nunquam in forma ouis apparuit, oues enim ſunt animalia fructifera, manſueta, humillima, & patientiſſima: quæ proprietates ouibus Chriſti, nullâ verò ratione Dæmoni conueniunt.

a *Lib. 1. de Dæmonolatria cap. 25.*
b *Lib. 1. de re ruſtica cap. 2.*
Iſaie 13.
Forerius in Iſaiam.
Galatinus l. 4. contrà Iudæos cap. 6.
Matth. 25.

Dæmon cōparatur Cani. *Lib. 5 hiſtor. Apoſt.*

Comparatur Cani, quia in Canis figura pluries apparuit, ſcribit enim Abdias Babyloniæ Epiſcopus, in Nicæa ciuitate ſeptem Dæmonia inter ſepulchra delituiſſe, quæ pręterenntes lapidibus impetebant & interficiebāt, quæ eò adueniens S. Andræas rogatus à populo iuſſit in medium venire; quod ipſi fecerunt prodeuntes in forma Canum, quibus præcepit in loca arida & infructuoſa abire, néue vlli nocerent, aut alicubi acceſſum haberent, donec acciperent debitum ſupplicium ignis inferni, ita etiam ipſiſmet verbis id refert Gregor. Toloſ.[a]

a *Comment. in lib. 6. Syntax. art. mirab. cap. 14.*

Dæmon quoque Sanctis quibuſdam viris, aliquando in forma Canis nigri obuiam factus eſt, vt refert Binsfeld. b Sic Simeon Metaphraſtes in vita S. Triphonis martyris apud Surium c refert, vt idem Binsfeldius notat, ipſum ſanctum expuliſſe Dæmonem qui filiam Gordiani Auguſti inuaſerat, & Gordiano alijſque præſentibus, ad ipſius Gordiani petitionem videndum exhibuiſſe: *Tibi dico*, ait S. Triphon, ***in nomine Ieſu Chriſti, appare eis qui adſunt, & eis oſtende tuam turpitudinem & imbecillitatem.*** Simul atque hoc dixiſſet, ecce tanquam Canis aſpectu deformis, niger colore, oculos habens tanquam ignem emittentes, & caput humi defixum, coram omnibus apparuit. Et Andræas quidam Italus, in Canis cæci & rufi ſpecie, ducebat Dæmonem, anno 1548. qui vniuſcuiuſque arcana aperiret, ſtupendaque alia ederet, Ita Tyræus a & Nicolaus Remigius b referunt, quandam maleficam confeſſam fuiſſe, Dæmonem cùm eſſet in carcere, ſub atri Canis ſpecie vidiſſe. Et non mirum ſi Dæmoni pluries in Canis figura apparuit, Canis enim nomine in ſcriptura deſignatur, vt in Pſalmis: ***Erue à framea Deus animam meam; & de manu canis vnicam meam***; vnicam ſuam vocat ſpiritum corporis ſui, vt Chaldæus vertit, hoc eſt animam, quam Septuaginta dicunt vnigenitam, id eſt ſuper omnia eximiè charam & dilectam: & Sanctus Hieronymus, ſolitariam meam: illam ergo erui & liberari cupit Pſaltes, de manu & poteſtate Canis, hoc eſt Dæmonis, qui tanquam immanis bellua, eſt eius ruinæ & perditionis ſitientiſſimus, manus enim ſymbolum eſt, & inſigne poteſtatis plenæ & deſpoticæ. Et idem Vates Regius de Dæmonibus in plurali habet: ***Conuertentur ad veſperam, famem patientur vt Canes, & circuibunt ciuitatem.*** Quæ verba multi de ipſis Dæmonibus exponunt, qui maximè ſe ad nocendum hominibus, potiſſimùm ad veſperam, & nocturno tempore accingunt, & tanquam famelici, continuò inhiant prædæ animæ cuiuſcumque noſtrûm, eamque nituntur deuorare & perdere: vnde ſubdit: ***Et circuibunt ciuitatẽ***, ſupple eiuſdem animæ, vel etiam ipſius Eccleſiæ, quæ Dei ciuitas nuncupatur, vt eius filios ſubuertere queant, ſi poſſint. Deindè dicitur Diabolus Canis, quia caninæ eſt conditionis. Canis ex propria domo excluſus, ad fores tumultuari latratibus non ceſſat, donec intromittatur; quinimò vt obſeruatum eſt, ex naturali inſtinctu ſolet blandimentis tranſeuntes inuitare, vt ad portam domus pulſent, vel funem dependentem trahendo concutiant, quatenus quod per ſe non poteſt, per alios aſſequatur: eodem modo infernalis Canis non ſolùm per ſe, ſed etiam per alios ſollicitat corda eorum in quibus ſpecialiter habitare ſolet, poſtquam expulſus eſt. Zoroaſter dicit Dæmones eſſe Canes terreſtres, quia

b *De Confeſſ. Malefic. Prælud. 11.*
c *Tomo 1. de hiſt. SS. 1. Febr.*
a *De locis infeſtis, p. 2. c. 26.*
b *Lib. 1 cap. 7. de Dæmonolat.*
Pſal. 21.
Pſal. 58.
In ſua Magia.

continuò in homines latrant, nec tamen mordere audent abſque Dei permiſſione.

Dæmon Cani Cerbero cõparatur. *Euſebius.*

Comparatur Cani Cerbero, & non ſolùm ſimplici Cani, vt dictum eſt: & ita monet Euſebius, docetque Gentiles ipſum Cerberum tricipitem finxiſſe, & Ægyptios ſub eius forma Serapim coluiſſe, quorum quidem capitum, mediùm Leonis fuit, Canis dextrum, ſiniſtrum Lupi, corpus Draconis erat, & caudam ad dextrum caput inflectebat. Diabolus ergo ob nocendi ſæuitiam, & varias ſæuiendi ac decipiendi artes, Cerberus dictus eſt, quòd multa capita referre videatur, non enim ſatis erat caput vnicum ei tribuere, vnicaſque fauces, qui tot ora ſemper habet hiantia, tam ardentem & immenſam cupiditatem exorbendi multorum ſanguinis, hoc eſt decipiendi, & eorum animas deuorandi, vt nunquam eis parcere decreuerit; continuò tria guttura pandit, & terrificè latrat & inuadit, ac pauore animum complet, geſtit enim & furiatur odioſâ & caninâ inuidiâ.

Iſaac.

Hinc illud Iſaac in allegorijs Noui Teſtamenti: *Latrat adhuc Cerberus, & tertium caput concutit, ſcilicet prudentiam carnis iniecta offa*; fingatur ſatiatus Cerberus, de quo Poetæ, noſter videlicet Dæmon non ſatiatur, ſemper rabiem & furorem patitur, quæ funeſta eſt Canum peſtis, & in omnem partem noxia, nunquam deſinit ſæuire, falli iniectis oſſulis nequit, ſed contrà, rebus terrenis velut quibuſdam oſſis nos decipit ipſe, vt eius ſuaſionibus acquieſcamus, ridet, blanditur; at eius blanditiæ inſidiæ ſunt, riſus furor eſt, & iam Canis rabidus nunc ridere videtur, cùm magis rabie æſtuat; ita Dæmon ridet, vt mordeat (inquit S. Hieronymus) riſui ne crede ne interitum fleas: Omne animal (inquit Ariſtoteles) à cane rabido morſum interit, ſolus homo non ſine periculo euadit; quod in hoc cane ſcilicet Dæmone, eſt veriſſimum, ſicut & illud Galeni ad Piſonem, illis qui à rabioſo Cane morſi ſunt corpus inareſcere, ac febri intùs acri exuri, animam delirare: quæ cùm ſint formidoloſa, quis non extimeat huic tam furioſo Cani occurrere? Quis ab eius facie magis etiam quàm à facie colubri fugam non arripiet? Dicamus itaque cum vate Regio: *Erue à framea Deus animam meam, & de manu Canis vnicam meam*, hoc eſt de ferrea manu huius Cerberi Dæmonis, & ſtygij Canis. Nam vt ſcribit Ioannes Moſcus, in hac figura ſicut etiam & Canum aliorumque ſpectrorum, apparuit quibuſdam moriturus, non ſine pauore adſtantium; illa ſiquidem ſpectra nonniſi Dæmones putabantur, cùm admiſſa extrinſecus non fuiſſent, & poſteà euaneſcerent, vt iam anteà dictum eſt.

a In proœmio 3 libri comment. in Hierem.

b. De animalibus lib. 8 cap. 22.

In Prato ſpir. cap. 105.

Dæmõ comparatur Lepori.

Comparatur etiam Lepori & muri, quia in his etiam figuris, quandoque apparuit, & confeſſione quarumdam Sagarum, vt refert Ni-

colaus Remigius; illarum ſiquidem vna (ait) retulit Martinellum ſuum (ſic enim ſuum vocabat Dæmonem) modò auis per feneſtram inuolantis, modò Leporis aut Muris circumcurrentis formam induiſſe. Eſt etiam hic notandum per Mures illos qui in Philiſtinorum pœnam natiſunt in regione Azotiorum S. Gregorium interpretari Diabolos in tenebris corrodentes & quicquid viribus non poſſunt, fraudibus machinantes. *Loco citato.* *1. Reg. 5.*

Comparatur denique Cato ſeu Feli, nam S. Baſilius refert Dæmones ſæpè hominibus petulanter inſultare Felis, Muſtelæ, & Canis ſe diſcerpentis ſpecie. Dæmon Cato ſeu feli comparatur. *In cap. 2. Iſaia.*

SECTIO VII.

Dæmon Vulpi, Harpyiæ & Hyænæ comparatur.

COMPARATVR Vulpi ipſe Dæmon ob calliditatem, vt eleganter oſtendit B. Epiphanius [a], B. Iſidorus [b], S. Petrus Damianus [c] & alij, qui illius animalis naturam deſcribunt. Vulpes (inquiunt) verſutum eſt animal, cùm enim eſurit & cibo caret, quærit vbi ſit rubra terra, & dùm reperit, toto corpore in ea prouoluitur & inquinatur, vt vulnerata ac ſanguine cruentata appareat, moxque ſimulans ſe mortuam ſupina iacet, oculis clauſis & pedibus ſurſùm erectis, roſtro tamen in terram verſo, & flatum inter ſe retinet, ac reprimit vt non reſpiret, quò ſecuras reddat aues; dùm enim hoc modo cruenta videtur & turgida, aues ipſæ dilabuntur vt ipſâ veſcantur, ſed illa repentè proſiliens arripit eas, & voraciter deuorat quas ad ſe deuorandum fallaciter inuitabat. Sic ſe ergà nos gerit Dęmon antiquus ille deceptor, carnalia ſiquidem lucra quęrentibus, ſe quaſi mortuum fingit, illiſque opera ſua tanquam ſua membra exponit, illa autem alia non ſunt niſi carnis opera ab eo excitata, & in praxim à carnalibus reducta, quæ ſunt ex Apoſtolo fornicatio, immunditia, luxuria, auaritia, idolorum ſeruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, inuidię, homicidia, ebrietates, comeſſationes. Hæc planè ſunt iniqui ſpiritus viſcera (inquit Sanctus Damianus) hæc reproborum & carnaliter viuentium quotidiana ſunt alimenta: ad hæc dùm perditi quique velut eſurientes inhiant, eos Vulpes doloſa, ſcilicet malignus ſpiritus, tanquam volucres deglutit, eoſque ſuis faucibus excipit; de quibus per Prophetam Regium dicitur, *Introi-*

Dæmon Vulpi comparatur
a *In Phyſiol. cap. 19.*
b *L. 2. Ethym. cap 2.*
c *Opuſculo 52. cap. 7.*
Ad Gal. 5.
Pſal. 62.

bunt in inferiora terræ, tradentur in manus gladij, partes Vulpium erunt. Huius Vulpis pars erat Herodes, de quo Dominus aiebat, apud S. Lucam: *Dicite Vulpi illi.* Huius Vulpis quoque fœtus & partes ſunt hęretici, de quibus habetur in libris Canticorum: *Capite nobis Vulpes paruulas, &c.* ipſi enim hæretici, Eccleſiæ vineas demoliri conantur. Simpliciter autem per Vulpes paruulas, intelligit ſcriptura Dęmones nobis inſidiantes, ait S. Gregor. Nyſſ. vt iam monuimus in Tractatu de Angelis Cap. 15. Sect. 4. Quas non Vulpes abſolutè, ſed Vulpes paruulas in contemptum vocauit, nullum enim animal timidius, infirmius, & magis ad fugam procliue quàm Vulpes, & ſi illa paruula fuerit, multò magis infirma, debilis, timida, ac modicæ virtutis erit: ita de Dæmone dicendum: vnde non dicitur (inquit) capite aprum qui ex ſylua vineam Domini depaſcitur, aut ſingularem ferum, aut rugientem Leonem, vel Tigridem & Vrſum, aut magnam Balænam, vim namque aliquam inimicorum hæc verba præ ſe ferrent, ſed *capite Vulpes paruulas*, hoc eſt Dæmones, qui quamuis terreſtres ſint Principatus, Poteſtates, & rectores tenebrarum harum atque ſpiritus nequitiæ, aduerſùs quos eſt hominibus colluctatio, vt ait Apoſtolus, ſunt tamen tanquam Vulpes paruulæ & infœlices; atque ita debiles ſunt eorum vires, ſi cum noſtris (ſi Dei gratia ſimus adiuti) conferantur, vt ab homine generoſo & conſtante, illicò repelli & expugnari queant; ſicut huius animalis conditio eſt, quòd doloſum ſit & timidum, quodque ex hoc non ſolùm non præualeat, ſed fugiat ſi aliquis ei reſiſtat, & faciem iratam contrà eum conuertat: & hinc perbellè S. Iacobus: *Reſiſtite Diabolo & refugiet à vobis.* Sed quæſo quam virtutem habere poteſt is qui fugit? Vires ergo huius Vulpis Diaboli, contrà nos exiguæ ſunt, & idèò tantum dicitur demoliri vineas florentes, & palmites teneros, illos videlicet qui nulla in virtutis viâ fundamenta adhuc iecerunt; & adhuc neque hos imperfectos & incipientes demoliri, ſicut deſiderat, poteſt: ſtatuit enim cœleſtis ſponſus venatores ſuos (inquit idem Grg. Nyſſ. [a]) aut vt dixit Origenes [b], cuſtodes vinearum vel ſodales ſocios & famulos ſuos, videlicet Angelos, eiſque committit vt tales Vulpeculas comprehendant, alligent, & comprimant. Item Dæmones benè dicuntur Vulpes, nam ſimiles ſunt Vulpibus Sampſonis, ſolis caudis colligatis, vt ſegetes incendant, cùm capitibus & voluntate ſint omninò diſiuncti, ſolâ enim nocendi intentione conueniunt.

Luc. 13. Cant. 2. Hom. 5. in Cant. Apoſtol. Iacobi 4. a Loco cit. b Hom. 4. in Can. Iudicum 15.

Dæmon Harpyæ & Hyænæ aſſimilatur.

Satanicus deindè ille hoſtis, meritò inter alia animantia crudeliſſima & vorantia, Harpyiam refert, nam ſicut hoc animal eſt valdè rapax & ſæuum, vt etiam terram effodiat, ad mortuorum corpora

iam

iam ſepulta, rapienda & deuoranda: & idem de Hyena refert Hugo de Sancto Victore, & alij: ità Dæmon ſe erga homines gerit, & tam crudelis eſt vt viuis & mortuis non parcat: vnde etiam hi qui alienas res inuadunt & omnia diripiunt Harpyiæ prouerbialiter dicuntur. Et hinc Sidonius Apollinaris ait: *Hi in foro ſcythæ, in cubiculo viperæ, in conuiuio ſcurræ, in exactionibus Harpyiæ*: & hinc illud Rutilij: Lib. 5. epiſt. 7. Itinerario 1.

Nam olim ſacri iuſtiſſimus arbiter auri,
Circumſiſtentes repulit Harpyias,
Harpyias quarum decerpitur vnguibus orbis,
Quæ pede glutineo, quæ tetigêre trahunt.

Qui alienas opes rapiunt, fœneratores omnes, hoc titulo donari poſſunt; Satanicus quoque ille hoſtis, hâc ratione Harpyiam refert, dum partem aliquam à bonis quæ pręſtamus in Dei gloriam, ſurripere ſtudet, ſi totum rapere aut inficere non poteſt. Hinc S. Petrus Damianus hæc habet: *Sed ſciendum eſt, quòd humani generis inimicus, dum totum ſacrificium non valet de manibus offerentium rapere, more quaſi rapacis Harpyiæ, partem ſaltem quamlibet, conatur auferre.* Nec ſacris locis, nec rebus ſacris Dæmon parcit, in illas impudens irrumpit, ex his quæ poteſt inſidioſè rapit, prædæ vbique inhiat, nulli parcit, & ideò omni Harpyiâ eſt ſæuior atque crudelior. Opuſc. 45. cap. 1.

SECTIO VIII.

Dæmon Simiæ, Herinaceo & Chamæleonti comparatur.

SIMIÆ etiam comparatur Dæmon: nam quemadmodum Simia omnia imitatur, omnes humanos actus, fiſtulâ canit, ſaltat, ſcribit, & alia agere vniuerſa conatur quæ homo pulchrè perficit; vnde Tatianus Orator dictus eſt ſui temporis Simia, quòd cuncta imitatus eſſet, vt refert Iulius Capitolinus; ita Diabolus Simia dici poteſt, inquantum eſt Dei ęmulus, omni enim tempore quæ cultui diuino conſecrata vidit, ſibi vſurpare ſacrilegè tentauit, homines vt ei ſacrificia offerent induxit, ſicut ipſi Deo. Hinc Sanctus Auguſtinus: *Talis extitit, & ita ſibi honorem diuinum arrogauit, vt impleret mundum templis, & templa altaribus, & altaria ſimulachris, vt vbique eum honoribus diuinis ac ſacrificijs proſequerentur homines, imò & in penetralibus cuiuſque domus, ſub typo Deorum quos propterea Penates vocat* Dæmon Simiæ comparatur. In vita Maximini Iunioris. In Pſalm. 96.

a 1. de Ciuit. Dei, c. 1. & 3. b Geneſ. 22.

bant, de quibus alibi ait idem S. Auguſt. a *Adorari & ſibi ſacrificari voluit.* Ab vnico homine Abraham b, Deus petijt filium offerri vt oſtenderet ſe in mundo amicum tam fidelem habere, qui non parceret vnigenito filio ſuo propter ſe: ſed Diaboli ſuperbia vlterius progreſſa eſt, dùm non ab vno, ſed ab innumeris cuiuſuis generis hominibus, filios in ſuum obſequium mactari poſtulauit. Et quidem Deus ita petijt ab Abraham, vt ſola voluntate viri contentus, ſanguinem filij effundi prohibuerit: Diabolus autem vlteriùs progrediens, ita voluit fidelitatem ſuorum mundo demonſtrari, vt non ſolam eorum voluntatem, ſed & opus ipſum expoſtulauerit, & obtinuit vt non ſolùm homines de media plebe, ſed & nobiles, immò & Reges in ſui obſequium, filios primogenitos regnorum hæredes mactarent, & & igne abſumerent. Nec tantùm à Gentilibus, ſed ab his qui Dei populus dicebantur; quos deplorat Dauid dicens: *Immolauerunt filios ſuos & filias ſuas Dæmonijs, & effuderunt ſanguinem innocentem, ſanguinem filiorum ſuorum & filiarum ſuarum, quas ſacrificauerunt ſculptilibus Chanaam.* Deus petijt ab hominibus cor & viſcera, ita tamen quòd quiuis illud offerret affectu & animo, non reipſa corpus exanterans: vnde Sapiens; *Fili præbe mihi cor tuum*: ſed Diaboli ſuperbia maiora poſtulabat, vt ſcilicet reipſa corda & viſcera, ex ipſis corporibus hominum educerentur, ſibique offerrentur ſuper ardentes prunas. In huius confirmationem, vltra multa antiqua quæ poſſemus hic adducere, illud ſufficere poteſt quòd Ioannes de Zumarraga, noſtri Minoritani Ordinis, primus Archiepiſcopus Mexicanæ Ciuitatis, in epiſtola ad ſui Ordinis congregationem, collectam Tholoſæ anno 1532, refert quòd in ſola illa ciuitate, dum Diabolus ibi colebatur à Gentilibus, ſingulis quibuſque annis, pluſquam viginti millia cordium puerorum & puellarum ſolita erant ipſi offerri. Et ſic apparet eius incredibilis crudelitas; cùm multo maiora petierit quàm Deus ipſe vnquam petere cogitauerit: hinc perbellè notat Pererius in cap. 7. Exodi, diſp. 11. ipſum Dæmonem verè eſſe Dei Simiam: is enim qui initio affectauit Dei ſimilitudinem, neque in cœlo aſſequi potuerat eam, poſtea in terris omni tempore per inſipientiam hominum, aſſequi conatus eſt. Deus habet veros Prophetas: & Dæmon Pſeudoprophetas habet. Deus varios Ordines Religioſorum hominum inſtituit, vbi præcipuâ quadâm eximiâque ſanctitate coleretur: & Dæmon plures ſectas hominum inſtituit, vt vt ab inſipientibus hominibus coleretur. Deus vera miracula facit ad conteſtandam, & comprobandam veritatem: Dæmon ad perſuadendam falſitatem, ſimilia veris miraculis operatur, vt conſtat de Magis Pharaonis, quorum virgæ admodum virgæ Aaronis, in Dra-

Pſalm. 105. Deuter. 32.

Prouerb. 23.

Lib. de Orig. Seraph. Relig. parte 3.

cones conuerſæ ſunt. Et in his apparet Dæmonem Dei eſſe Simiam, fingendo vel agendo quæ ipſe perficit, & vt dictum eſt; etiam cum nimia crudelitate vlteriùs progreditur: vnde forſitan accidit ad id deſignandum (aiunt nonnulli) vt ineptiſſimi Arabes caudatas Simias adorarent. Item Diabolus Dei Simia eſt, inquit Nouarinus, quia vt omnes decipiat omnia imitatur, etiam diuinæ ſcripturæ ſententijs vtitur, dummodò deprauatis ſenſibus fallat. Id conſtat apud S. Matthæum vt fusè anteà diximus, cùm enim Chriſtum eſſet aggreſſus ad illum tentandum, & ipſum audiret ſcripturæ quædam loca allegantem: *Scriptum eſt non in ſolo pane, &c.* eum æmulatus retorquet illud, *ſcriptum eſt*, allegans teſtimonium ex Pſalmis deſumptum, ſed ridiculè, veluti Simia eſt ridiculum animal, vt ſcribit Galenus, pulchra certè ſemper apud pueros eſt Simia, vt ait Veterum quidam, nos admonens ludicrum & ridiculum hoc animal eſſe cui pueri ſolent illudere, omnes enim humanos actus imitari dum ſatagit, & fruſtratur in ipſis, ridiculum ſe exhibet: ita ſe quoque omni tempore, ridiculum apud Deum atque homines prudentes, ſapientes, & probos ſe exhibuit Dæmon, dum vt Simia actus Dei & ſuæ Eccleſiæ æmulari voluit, tum in ſacrificijs quibus tanquam Deus voluit adorari, tum in allegandis Sacræ Scripturæ quibuſdam locis, tum in alijs ſimilibus, vt populum deceptum, ea ratione in errore ſemel concepto, detineret.

Lib. 1. Sacrorum elect. ſect. 14.

Matth. 4.

De vſu partium corporis humani lib. 1. c. 22.

Herinaceo item ſe ſuper vuas euoluenti Dæmonem comparat S. Petrus Damianus, cuius verba quia vtilium monitorum grauida hic ſubijciemus, ſic ille ſcribit: Huius (antiqui ſcilicet hoſtis) figuram etiam Herinaceus repræſentat, qui nimirum dum toto corpore ſpinis ſit obſitus, vindemiarum tempore ingreditur vineam, & quam meliorem viderit occupat vuam, quam mox tam violenter exagitat, vt omnia eius in humum grana proſternat, indeque deſcendens, tamdiu ſuper eadem grana prouoluitur, donec ſpinarum eis aculeis omnia transfigantur: ſic vndique onuſtus remeat, atque hæc filijs ſuis alimenta comportat. Cuſtodienda eſt ergo boni operis vinea ne ſuper eam antiquus hoſtis aſcendat, & ſpiritualium virtutum, turgentia, ac per hoc matura grana deijciat, deinde tentationum ſuarum aculeis inſuat, eaque beſtijs terræ, hoc eſt aduerſarijs poteſtatibus cibum tendat, ſicque labefactatus & fruſtratus à laboribus ſuis, homo id quod in Canticis legitur gemebundus exclamet: *Poſuerunt me cuſtodem in vineis, vineam meam non cuſtodiui*: ſicut enim ab Herinacio botrus exuitur acinis, ſic à Diabolo incautus quilibet homo nudatur operibus bonis; mille-formis enim & callidus nequitiæ ſpiritus, nouæ ſemper artis præſtigium ſtruit, vt poſſit non modo nudare,

Dæmon Herinaceo aſſimilatur.

Opuſc. 53. cap. 6.

Cant. 1.

ſed & funditus deuorare quos decipit. *Hucuſque P. Damianus.*

Dæmon Chamæleonti ſimilis eſt. *De pallio cap. 5.*

Ipſe Dæmon Chamelæonti quoque comparatur, de quo Tertul. *Beſtiola* (inquit) *de mediocribus oppidò, ſed nomen grande, Chamelæontem qui audieris haud ante gnarus, iam timebis aliquid ampliùs cum Leone, at cùm offenderis apud vineam, fermè ſub pampino totum, videbis illicò audaciam:* En tibi Diabolus fama quidem ſui nominis formidandus vt ingens monſtrum, vt Chamæleon, vt geminatus Leo, at experientiâ ſuæ infirmitatis irridendus, vt beſtiola tenuis, fragilis, exilis, pigra ad fugam, pigrior ad congreſſum, quæ nihil vi, ſed fraude valeat: *Solùm potens* (vt loquitur Tertull.) *de corio ſuo ludere*, hoc eſt colorum quos corio refert varietate ludificare oculos; non tamen armorum viribus animos expugnare. Nota autem quòd quemadmodum Chamęleon varios induit colores; ita Dæmon vt homines decipiat, potiſſimùm verò ſub ſanctitatis veſte ſanctos aggreditur, omnium mores & inclinationes nouit, omnes imitatur, & ſe in Angelum lucis transfigurat, vt nulli parcat.

SECTIO IX.

Dæmoni quorundam reptilium aptantur nomina, & primò ſerpentis.

Dæmon dicitur Serpens & quorſum. *In cap. 6. ad Epheſ.*

PRIMÒ dicitur Serpens ob malitiam, aſtutiam, calliditatem, & nocendi cupiditatem, atque ob multimoda eius ingenia, quibus nos capere & virus ſuum effundere nititur, vt ex Sancto Hieronymo colligimus; & in hoc vincit omne Serpentum genus; quòd hi dum venenum ſuum effuderint, minùs habent quod effundant; Dæmon autem Serpens ille antiquus, quaſi fontem & venam veneni in corde ſemper ſcatutientem occultans, quantumlibet effuderit, æquè ſemper plenus remanet; neque quantumuis eijciat, in vllo ſeipſum exonerat aut alleuiat (inquit noſter Titelmannus) Nulli ex Africa Pſylli, nulli ex Italia Marſi, ait Creſolius, Nullum denique genus hominum eſt, quod venenum educere huius ſerpentis, aut exinanire poſſit. Et ſerpentes quidem ſi Iſidoro credimus, hominem nudum & dormientem nunquam lædunt: hic verò gratia & virtute nudat hominem, vt exanimare poſſit, & copioſum virus effundere: iure igitur ſerpentis nomen accepit, à ſerpendo, quia occultis acceſſibus ſerpit, & occultè decipit quos viribus non poſſet vincere. Rectè S. Cyprianus apud Cornelium à Lapide ait: *Diabolus eſt ſerpens, quia*

In ſua ſumma myſt. ſi ſeu cont. tempt. 7.
In cap. 17. Leuit.

cùm latenter obrepit, cum per pacis imaginem fallens, occultis acceſſibus ſerpit: (vnde & ſerpentis nomen accepit) ea eſt eius aſtutia, ea eſt circumueniendi hominis cœca & laborioſa fallacia, vt aſſerere videatur noctem pro die, venenum pro ſalute, deſperationem ſub obtentu ſpe, perfidiam ſub pretextu fidei, Antichriſtum ſub vocabulo Chriſti, &c. ſic ille. Cui ſuffragatur S. Baſilius dum ait: *Poteſt etiam non incongruè dici Serpens, quia ſicut hoc reptile ſurſum erecto toto corpore ſtare nequit, ita ille poſt lapſum nequit reſipiſcere.* S. Baſil.

Naturalis conditio ſerpentis eſt (inquit S. Greg. Nyſſen.) quòd vbi caput immittit, mox reliquam corporis molem ingerit, & ideò cùm totum corpus introducere vult, primò nititur intromittere caput, quo inducto facilè totum corpus inducit: ita ſi Diabolus in principio caput introducat, vſque ad internas medullas ſe intromittit: ita ſe geſſit cum noſtris primis parentibus; principio namque aſtutiâ ſuâ, & dolo, curauit introducere caput, gulam ſcilicet, aut cibum vetitum in ſtomachum, ad cuius ingreſſum continuò tot tamque innumera mala conſequuta ſunt, vt totum corpus introduxiſſe Diabolus viſus fuerit, inde enim rebellio carnis & deſideria terrena affectuſque innumeri à recto deflectentes. O quanta Dæmonis aſtutia & ſœuitia! De illa loquitur S. Paulus; *Sicut ſerpens Euam ſeduxit aſtutiâ ſuâ*; vt vel hinc ipſum Sathanam eſſe fallaciarum ducem & principem intelligamus; & ita eius caput, hoc eſt tentationis eius initium eſt ita obſeruandum, vt non concedendus ſit illi aliquis locus. Videte quomodo ille ſerpens caput applicauit, hoc eſt luxuriam, & intromiſit, quando Dauidem excitauit vt ſolarium aſcenderet, & intenderet mulieri ex aduerſo ſe lauanti; Iudæ viam ſibi fecit patentem, quâ totum corpus ſubinferret, dum ad deſiderium accendit, ad adulterium excitauit, & ad homicidium induxit: Quando igitur Iudam perdidit, vt expendit Sanctus Hieronymus; caput primò applicauit, dùm ad aliqualem affectum pecuniæ illius cor excitauit; ſed cùm miſer ille caput non contriuiſſet ſerpentis, paulatim ingredi cepit, dùm miſit in cor illius vt Chriſtum traderet; tandemque quaſi totum corpus inuexit, quando Iudas nec Chriſti benignitate motus, nec beneficijs ſupremis illectus, *Poſt buxellam introiuit in eum Sathanas*: Ita & agit nobiſcum, excitat ſiquidem primò hominem, vt ad animi recreationem capiendam, cum muliere conuerſationem admittat; dum caput hoc mittit ſtatim ad deſiderium mouet & accendit, & ad illicita pertrahit. Similiter mulieri ſuadet, vt admittat alterius vrbanam ſalutationem, & eius recipiat amatorias litteras, mentem applicet ad eum auſcultandum, quo paulatim voluntatem afficit, vt totum corpus introducat: *Nolite ergò locum dare*

In lib. Eccleſ. Hom. 4.

2. Cor. 11.

In cap. 14 ad Epheſ.

Ioan. 13.

Ad Epheſ. 4. *Diabolo*, inquit S. Paulus, ſed caput eius ſtatim conterite; & obſeruate, quòd cùm ſe introducit, ita nos excæcat, vt ad carnalia & temporalia attendamus, & de cœleſtibus nullo modo cogitemus. Huius Dæmonis ſymbolum fuit Naas Rex Ammon, Hebraicè enim *Naas* id eſt ſerpens, is inſidioſè ac ſubtili calliditate & aſtutiâ, voluit incolas Iabes vincere, vt habetur in primo libro Regum eis oculum dextrum expungendo, tum in opprobrium, tum vt rebellare non poſſent, faciendo eos bello inutiles & cæcos, ſiniſtrum enim oculum ſcuto tegunt milites, exempto ergo dextro, fuiſſent prorſùs in prœlio cæci. Ita Ioſephus [a] vt S. Gregor. [b] *Dexter oculus*, inquit, *eſt intuitus æternæ claritatis qui fit per fidem; ſiniſter eſt concupiſcentia carnalis & intuitus terrenorum: Ergò Naas hoc eſt ſerpens ille Diabolus, dextros oculos ſuorum eruit, quando intuitum æternorum adimit, facitque vt homines carnalia ſolùm cogitent & cupiant, ac cœleſtia quæ ſolêbant amare non attendant.* Sic & Angelomus, ibidem.

Dæmonis ſymbolum fuit Naas. 1. Reg. 11.

a Lib. 6. antiq. c. 5. b In hunc locum.

SECTIO X.

Draconis nomen Dæmoni accommodatur.

LINGVA Sancta quæ myſterijs abundat, in diuinis vatum oraculis, Dæmones appellat Thanninim, quam vocem Sanctus Hieronymus, & cæteri diuinarum litterarum interpretes, variè ſolent exponere. Quidam enim vertunt Sirenes, Hericios aut Lamias, nonnulli Cete, alij tandem Dracones ſiue colubros. Quæ omnia Dæmonis fraudulentum ingenium, & in tentando ac decipiendo verſutiam exprimunt: Blanditur vt Syren; vt Lamia Prophetica nudat mammam; vt Hericius pungit & lancinat; deglutit vt Cetus; vt Draco firmiſſimè inuadit, & cauda impia circumligat. Hac autem Sectione (alijs alibi remiſſis) poſtquam de ſerpente in communi diximus: nunc de ipſo Dracone eſt differendum, quia inter ſerpentes, nullus eo maior, nocentior, tetrior, ferocior, ſæuior & horribilior eſt, vulgò enim dicitur; *Draco non fit niſi ſerpentem deuoret.* Videndum autem quomodo Dæmoni eius nomen conueniat, hoc enim conſtat ex ſcripturis, habet enim vates Regius; *Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis Leonem & Draconem.* Quē locum SS. Patres communiter de Dæmone accipiunt, qui verè Draco eſt tribus ordinibus dentium horribilis, & quales in Phrygia eſſe

Draconis nomen Dæmoni conuenit, & quomodo. Pſalm. 90.

dicebantur, tam noxio & potenti halitu, vt aues ſuprà volantes attraherent, & tetris faucibus exciperent. Quando etiam Draco cum homine bellum gerit, ſtatim ad faucem eius prouoluitur, cumque premit & ſuffocat, nec gemere aut reſpirare ſinit; ſic Diabolus animam diuerſis vitijs & ſceleribus comprehendit, ne ad Deum clamare poſſit, aut peccata ſua confiteri. Sunt aliqui Dracones ingentes admodum, qui propè turrim Babel habitare dicuntur, & in deſertis antiquæ Babylonis: Dæmones ijs Draconibus aſſimilantur, quoniam Babel, id eſt confuſionem mentiſque perturbationem & amant & efficiunt, ibique potiſſimùm habitant; quamobrem Dæmon Rex Babylonis appellatur à S. Gregorio. Dracones loca calidiora ad vitam propagandam eligunt: ita Diabolus adoleſcentiam in qua ætas calidior eſt & ardentior, libidinis facibus impenſiùs infeſtat; libidinem verò S. Iob ignem vocat; *Ignis* (inquit) *eſt vſque ad perditionem deuorans, & omnia eradicans germina*; hoc eſt, vt interpretatur S. Hieronymus; *Ignis eſt omnia bona virtutum deuorans, atque vniuerſa in homine, ſanctarum rerum incrementa conſumens, &c.* Et propterea luxuriæ tentamenta *tela ignea* vocantur ab Apoſtolo; nam ſicut ignis proxima quæque incendit & deuorat; ita effrænata libido vires corporis & animæ, domum & viciniam conſumit. Deinde ſcribunt graues Hiſtoriographi, tantæ magnitudinis Dracones in India ali, vt quilibet facili circumplexu Elephantem, (eſt enim Draconibus cum Elephantis perpetua diſcordia) conſtringat, & interdum noxio interficiat nodo. Vnde B. Ambroſius; *Draco* (inquit) *Elephantem ligat, cuius ruina mors victoris eſt, &c.* En Diaboli ingenium, qui ruina hominum quos alligat, cruciatus ſibi deſtinari ampliores ſciens, non ceſſat tentationibus & culpæ morſibus in nos ſæuire. Draco conſtringens Elephantem illius ruinâ oppreſſus interficitur; ita Dæmon in Chriſtum irruens, & per ſatellites ſuos eum interficiens, ab eodem moriente oppreſſus interficitur, iuxtà illud Oſeæ; *O mors ero mors tua*: vbi mortis nomine, præter mortem ipſam Diabolus quoque intelligendus eſt. Ex Draconum cerebro lapis extrahitur qui Dracontias ſiue Draconites appellatur, huiuſmodi autem lapis inuidiâ animalis mori ſe ſentientis, nunquam gemmaſcit, niſi viuenti abſcindatur, vt auctor eſt Plinius; itaque morem eſſe aiunt, vt dormienti Draconi caput præcidatur. Citat Plinius Stotacum, qui tradit bigis vehi qui eam gemmam optant, viſoque Dracone ſoporifera ſpargere medicamenta, atque ita caput amputare, eſſe autem candore tranſlucidò, nec poſteà poliri, aut artem admittere. Meminit huius lapidis Tertull. *Aiunt*, inquit, *de frontibus Draconum gemmas erui, &c.* Curandum eſt nobis vt

Lib. 7. Moral. cap. 16.

Iob cap. 31.

Ad Epheſ. 6.

Lib. 3. Hexam. cap. 9.

Oſee 13.

Ex Draconis cerebro lapis extrahitur, & quomodo vocetur.

Lib. 37 cap. 10

De habitu muliebri cap. 6.

Dæmonis caput amputetur, vt inde gemma gloriæ extrahatur à victore, quę ex capite Draconis proſtrati (vt diximus) acquiritur. In eo tamen gemma gloriæ à Draconite diſtinguitur, quòd hæc nec poliri arte poteſt, nec ex eodem Dracone ſæpiùs extrahi; illa verò virtutum exercitio pretioſior fit, & quoties Dæmon ſuperatur, toties acquiritur, angeſcit, & pulchrior fit. His ergo rationibus ſatis manifeſtè apparet Draconis nomine Dæmonem donari debere. Et prętereà nulli dubium eſt, quin illud nomen propriè quoque ei conueniat, ex eo quòd ſub Draconis figura voluit à pluribus adorari, vt primò conſtat apud Danielem, vbi legimus Babylonios ſub tali Draconis ſpecie illum adoraſſe. Idipſum Epyrotæ, & Delij in templo Apollinis factitabant: alij Bacchum ſub eadem Draconis forma coluerunt, tanta magnitudine vt ad quina terræ iugera protenderetur. Romæ cultus eſt Epidaurius Draco Æſculapio Sacer, peſtilentiæ ſedandæ atque auertendæ causâ, qui tamen in ſpecu latitans accedentes propiùs homines, halitu ſuo infectos perimebat; donec obſtructâ à Sancto Syluestro ſpeluncâ, ianuiſque æreis ſigno Crucis obſignatis, non comparuit. Videns autem Dęmon ſe ampliùs non adorari in illo Dracone, eoſdem ſui cultores idololatras excitauit, ad Draconem ligneum priori ſimilem ædificandum, molis ac magnitudinis ampliſſimæ, cuius ex ore prodibat gladius, ex oculis autem micantes pretioſi lapides fulgurabant, aſpectu tremendo; puellæ aliquot illi quotannis ſacrificabantur, vt hęc & alia plura habet Proſper Aquitanicus. Hadrianus Imperator templum Iouis Olympij cōſtruxit Athenis, in quo Draconem pro numine coli iuſſit: quod Ophitæ impuriſſimi hæretici, ſub eadem tempora factitarunt, tantâ improbitate, vt pro Diabolo contrà Deum, pro nequitia contrà omne fidei & rationis lumen, conſpiraſſe viderentur. Vide Baronium anno Chriſti 145.

Dæmon ſub Draconis figura adorari voluit.

Dan. 14.

Parte 3. cap. 38.

In his ergò crudeliſſimis beſtijs, & earum figuris voluit teterrimus ac ferociſſimus ille generis humani hoſtis coli & adorari, quaſi eſſet Deus. Et non mirum certè, cùm ab initio ſuæ creationis in cœlo adhuc exiſtens, appetierit Dei æqualitatem, & ab alijs Angelis vt Deus voluerit recognoſci & adorari, vt ſuprà dictum eſt. Hinc ſicut alati quidam Dracones reperiuntur qui per aërem volant, vt notant rerum naturalium ſcriptores; ita Dæmon aptiſſimè dici poteſt Draco alatus, ob ſuperbiam quâ ſuper omnia conatur volare & aſcendere: Sic enim loquitur apud Iſaiam; *In cœlum conſcendam & ſuper aſtra cœli exaltabo ſolium meum*, dicit ſe velle in cœlum conſcendere, hoc eſt, vſque ad Dei ſimilitudinem, nam adhuc in cœlo erat Empyreo. Vidit illum Draconem S. Ioannes, vt refert in ſua

Iſai. 14.

Apoc. 12.

Apocalypſi, poſtquàm enim ſignum magnum mulieris vidit, ait; *Viſum eſt aliud ſignum in cœlo: ecce Draco magnus & rufus, habens capita ſeptem, & cornua decem;* Dicitur in cœlo apparuiſſe, quia inde decidit, vel in aëre, qui vocatur cœlum, quia in eo dominatur. Dicitur rufus, quia *eſt homicidia ab initio*: vel quia per ſuos miniſtros putà infideles & hæreticos, multos effecit Martyres, & plures item per Antichriſtum efficiet: vel item dicitur rufus ob eius dolum, fraudem & malitiam, quid enim Dæmone fraudulentius? quid immanius? Nonne lethiferum virus perpetuò contendit in homines effundere? & ob id forſitam ipſe Dæmon, propter fraudulentiam & malitiæ venenum quo plenus eſt, in ſpecie Draconis cum cauda depingi ſolet; idcircò etiam comparatur Tigridi, quod animal vario colore maculiſque diſtinguitur. Adde quòd quidam ſerpens rufo colore, cœteris callidior & exitialior reperitur: & fortaſſè rufus idem eſt quod ignitus, vt alluſio fiat ad ignitos ſerpentes, qui immiſſi ſunt in Iudæos murmurantes. Porrò viſos ſubindè eſſe Dracones, qui ignes vomerent, narrant hiſtorici. Leſlæus in ſua Scotia anno 1558. refert apud Marchiam & Laudouiam, Draconem quendam ignes vomuiſſe, quibus ſegetes & fruges incendebat, ac proindè populum coactum fuiſſe peruigilare, vt ignes hoſce extingueret.

Draco in cœlo viſus, habens capita ſeptem & cornua decem, eſt Lucifer

Ioan. 8.

Num. 21.

Hic Draco habet capita ſeptem; vnde Alcazar in hunc Apocalypſis locum, opinatur cum quibuſdam alijs, Draconem hunc eſſe Hydram quam Lernam lacum inhabitaſſe volunt Alcæus, Heſiodus, Aratus, Horatius, de quibus Cameracenſis recens author. Ferunt autem aliqui, hunc ſerpentem ſeu potiùs Draconem habere capita ſeptem; alij dicunt octo, alij quinquaginta. Simonides illi attribuit nonaginta; quidam volunt id ſolùm eſſe Poëtarum fictionem: communior opinio eſt habere tantùm ſeptem, & de facto anno 1625. qui annus Iubilæi erat, vidi Hydræ pellem fœno oppletam, cum ſeptem ſuis capitibus integris, in Palatio Ducis Mantuani, & animaduerti caput medium cæteris eminere & maius eſſe, & alia ex vtraque parte in diminutionem à primo capite abire. Nulli dubium eſſe poteſt, quin Hydra vel ſeptem vel plura alia habens capita, typus ſit & figura Dæmonis, qui innumera habet capita, hoc eſt, innumeras nocendi artes; maximè autem figuram refert illius Draconis quam ſeptem capita habentem, vidit S. Ioannes. Rurſùm Hydra eſt inuidiæ ſymbolum, vti docet Pierius, & hoc ipſi Dæmoni maximè congruit, *cuius inuidiâ mors intrauit in orbem terrarum.* Haymo & alij paſſim myſticè, per hæc ſeptem capita Draconis intelligunt ſeptem vitia capitalia. Vincentius Regius capita illa ſeptem, eſſe ſeptem Diuinationum genera ab eo excogitata, hominibuſque perditiſſimis tra-

Lib. 4. c. 15.

Hieroglyph. lib. Sap. 2.

Lib. 2. dilucid. Euang. cap. 10. Theor. 2.

Diuinationum genera ſeptem.

dita: Horum primum *Mantice* dicitur, quæ duplex eſt, vel ex elementis ſumpta, & quidem ſi ex terra eſt, *Geomantia*, ſi ex aqua, *Hydromantia*, ſi ex aëre, *Aëromantia*, ſi ex igne, *Pyromantia* dicitur: vel ex mortuis deſumpta eſt, quę *Necromantia* nuncupatur. Secundùm genus *Aruſpicium* appellatur, ab animalibus in aris trucidatis depromptum. Tertium porrò *Augurium* eſt, ab auibus huc illuc volantibus excerptum. Quartum eſt *Maleficium*, quo præſcriptis ſibi ritibus ipſe ſeipſum cogit Dæmon, atque per ſpectra ſæpiùs apparet. Quintum *Sortilegium* dicitur, iuxtà varij generis ſortes multiplex. Sextum *Præſtigrum*, ex Phantaſticis illuſionibus deſumptum, & ita dicitur, quia oculi hominum pręſtringuntur. Poſtremum tandem *Horoſcopia*, ſiue diuinatio aſtrologica vocatur, quæ ex ſyderum intuitu futura prænoſcit, prædicique poſſe mortalibus vaniſſimè ac mendaciſſimè perſuadet. Vtinam nobis Herculis adeſſent vires, quibus tot immania capita ac portentoſa, præcidere ac conflagrare valeremus. Vide Binsfeldium in Rubrica de Maleficijs, &c. Notabili 9.

Idem etiam Draco habet cornua decem, per quæ intelliguntur ad litteram decem Reges (cornu enim ſymbolum eſt roboris & regni) qui dominabuntur in orbe quando veniet Antichriſtus, vt notat Cornelius in hunc locum Apocalypſis, è quibus tres occidet Antichriſtus; vnde reliqui ſeptem timore perculſi, ſponte ipſi ſe ſubdent, & cum eo quaſi Dæmonis inſtrumento, Chriſtianos & Eccleſiam peſſundare & euertere conabuntur: & id colligit ex Danielis Prophetia. Myſticè Richardus per decem cornua accipit ſæcularem poteſtatem, putà Reges omnes qui Decalogum Deique legem & cultum impugnant.

Cornelius à lapide.

Dan. 7.

SECTIO XI.

Dæmon Crocodilo, Aſpidi, & Baſiliſco, ſeu Regulo comparatur.

Dæmon Crocodilus dicitur.

DICITVR etiam Dęmon Crocodilus, ob illius generis ſerpentis proprietates, quæ ei maximè conueniunt: Crocodilus enim animal eſt veneno tumidum, & animantibus terræ & aquarum æquè infeſtum; piſces enim in aquis, homines & bruta comprehenſa in terris vorat; ad octodecim aliquando cubitos vtrobique diſtenditur, viſu fœdus horrendusque; quaternos habet pedes armatos vnguibus, & immanem rictum oris grandibus acutiſſimiſque dentibus obuallat.

tium, quibus omnia gladiorum inſtar diſſecat, ſuperiore pręſertim maxillâ quæ ſola mobilis eſt, ſquamoſa cutis, nullum vulneri locum, nullum ferro aditum prębet. Hæc turpiſſima beſtia pręcipuum ferè Ægyptijs numen fuit, quod non infantes modò comprehenſos, ſed adultos quoque ex fuga retractos vorabat: eam tamen cladem miſeri ac cœci parentes in diuinis beneficijs numerabant. Eſt nobis facilè ſatis concipere, ſi benè perpendamus, huius ingentis ſerpentis proprietates Dęmoni conuenire; ille enim tanquam ingentis admodùm Crocodili, infeſtus eſt non ſolùm hominibus quorum damnationem intendit & vult, ſed etiam cunctis alijs rebus, & terræ, & aquarum, & aëris, quæ in ipſius hominis vſum ſunt à Deo creatæ. Et pręterea quis neſcit ipſum eſſe fœdum atque horrendum? quaternos habet pedes pręcipuos quibus incedit, qui ſunt quatuor pręcipua vitia capitalia; ſuperbia, inuidia, luxuria, & gula; nam licet tria alia ſint valdè nociua, attamen videntur quodammodò à quatuor nominatis initium ſumere: non caret etiam grandibus & acutiſſimis dentibus, quibus incautos deuorat; & cùm ſit eius cutis ſquamoſa, hoc eſt ingenti polleat fortitudine, tum ad aggrediendum, tum ad reſiſtendum, ita vt *Non ſit poteſtas ſuper terram quæ comparetur ei*, vt in libro Iob legimus; vix tantæ poteſtati quis reſiſtere poteſt. Iob. 41.

Dæmon Aſpis vocatur.

Appellatur Aſpis propter eius obſtinationem. Aſpis, vt Innominatus tradit, aures obturat, ne incantatoris voces audiat, aurem vnam terrâ, alteram verò caudâ tegit: ſic Diabolus eſt obſtinatus in ſua malitia, & homines ſua aſtutia obſtinatos eſſe facit. Aſpis tam pręſens habet venenum, vt vix ſit eius morſus remedium: vnde in Deut. Deuter. 32. dicitur venenum eius inſanabile: ita Dæmonis venenoſi morſus, hoc eſt eius ſuggeſtiones & tentationes vix ſanari poſſunt, ſi tantillum in eis complaceamus, & eis Dei auxiliò muniti non occurramus: vt itaque hoc venenum vitare valeamus, opus eſt vt ſuper hunc Aſpidem ambulemus, hoc eſt eius venenoſos tentationum morſus, cauere & ſupprimere curemus, iuxtà vatis Regij monita: *Super Aſpidem & Baſiliſcum ambulabis*, &c. Pſal. 90.

Dæmon dicitur ſerpens Baſiliſcus.

Dicitur ſerpens Baſiliſcus ſecundùm Sanctum Bernardum; quia Baſiliſcus venenum in oculo gerit, quare ſolo aſpectu necare ſolet aues per medium cœlum volantes, immò & homines; quod ad inuidiam Dæmonis refert inſignis hic Doctor, inuidiâ enim eius mors intrauit in orbem terrarum: vidit hominem vſque ad cœlum diuinitatis per aſſumptionem humanæ naturæ à verbo euectum, & eius fœlicitati inuidens, oculò liuoris eum interficere niſus eſt. De hoc ſerpente ſicut de Aſpide, hoc eſt de Dęmone intelligitur authoritas vatis Regij ſuprà allegata, vt interpretantur Patres: *Super Aſpidem &*

Diuinationum genera ſeptem.

dita: Horum primum *Mantice* dicitur, quæ duplex eſt, vel ex elementis ſumpta, & quidem ſi ex terra eſt, *Geomantia*, ſi ex aqua, *Hydromantia*, ſi ex aëre, *Aëromantia*, ſi ex igne, *Pyromantia* dicitur: vel ex mortuis deſumpta eſt, quę *Necromantia* nuncupatur. Secundùm genus *Aruſpicium* appellatur, ab animalibus in aris trucidatis depromptum: Tertium porrò *Augurium* eſt, ab auibus huc illuc volantibus excerptum. Quartum eſt *Maleficium*, quo præſcriptis ſibi ritibus ipſe ſeipſum cogit Dæmon, atque per ſpectra ſæpiùs apparet. Quintum *Sortilegium* dicitur, iuxtà varij generis ſortes multiplex. Sextum *Præſtigium*, ex Phantaſticis illuſionibus deſumptum, & ita dicitur, quia oculi hominum perſtringuntur. Poſtremum tandem *Horoſcopia*, ſiue diuinatio aſtrologica vocatur, quæ ex ſyderum intuitu futura prænoſcit, prædicique poſſe mortalibus vaniſſimè ac mendaciſſimè perſuadet. Vtinam nobis Herculis adeſſent vires, quibus tot immania capita ac portentoſa, præcidere ac conflagrare valeremus. Vide Binsfeldium in Rubrica de Maleficijs, &c. Notabili 9.

Cornelius à Lapide.

Idem etiam Draco habet cornua decem, per quæ intelliguntur ad litteram decem Reges (cornu enim ſymbolum eſt roboris & regni) qui dominabuntur in orbe quando veniet Antichriſtus, vt notat Cornelius in hunc locum Apocalypſis, è quibus tres occidet Antichriſtus, vnde reliqui ſeptem timore perculſi, ſpontè ipſi ſe ſubdent, & cum eo quaſi Dæmonis inſtrumento, Chriſtianos & Eccleſiam peſſundare & euertere conabuntur: & id colligit ex Danielis Prophetia. Myſticè Richardus per decem cornua accipit ſæcularem poteſtatem, putà Reges omnes qui Decalogum Deique legem & cultum impugnant.

Dan. 7.

SECTIO XI.

Dæmon Crocodilo, Aſpidi & Baſiliſco, ſeu Regulo comparatur.

Dæmon Crocodilus dicitur.

DICITVR etiam Dęmon Crocodilus, ob illius generis ſerpentis proprietates, quæ ei maximè conueniunt: Crocodilus enim animal eſt veneno tumidum, animantibus terræ & aquarum æquè infeſtum; piſces enim in aquis, homines & bruta comprehenſa in terris vorat; ad octodecim aliquando cubitos vtrobique diſtenditur, viſu fœdus horrendusque, quaternos habet pedes armatos vnguibus, & immanem rictum oris grandibus acutiſſimiſque dentibus obualla-

tum, quibus omnia gladiorum inſtar diſſecat, ſuperiore præſertim maxillâ quæ ſola mobilis eſt; ſquamoſa cutis, nullum vulneri locum, nullum ferro aditum præbet. Hæc turpiſſima beſtia præcipuum ferè Ægyptijs numen fuit, quod non infantes modò comprehenſos, ſed adultos quoque ex fuga retractos vorabat: eam tamen cladem miſeri ac cœci parentes in diuinis beneficijs numerabant. Eſt nobis facilè ſatis concipere, ſi benè perpendamus, huius ingentis ſerpentis proprietates Dæmoni conuenire; ille enim tanquam ingentis admodùm Crocodili, infeſtus eſt non ſolùm hominibus quorum damnationem intendit & vult, ſed etiam cunctis alijs rebus, & terræ, & aquarum, & aëris, quæ in ipſius hominis vſum ſunt à Deo creatæ. Et prætereà quis neſcit ipſum eſſe fœdum atque horrendum? quaternos habet pedes præcipuos quibus incedit, qui ſunt quatuor præcipua vitia capitalia; ſuperbia, inuidia, luxuria, & gula; nam licet tria alia ſint valdè nociua, attamen videntur quodammodò à quatuor nominatis initium ſumere: non caret etiam grandibus & acutiſſimis dentibus, quibus incautos deuorat; & cùm ſit eius cutis ſquamoſa, hoc eſt ingenti polleat fortitudine, tum ad aggrediendum, tum ad reſiſtendum, ita vt *Non ſit poteſtas ſuper terram quæ comparetur ei*, vt in libro Iob legimus; vix tantæ poteſtati quis reſiſtere poteſt. *Iob. 41.*

Dæmon Aſpis vocatur. Appellatur Aſpis propter eius obſtinationem. Aſpis, vt Innominatus tradit, aures obturat, ne incantatoris voces audiat, aurem vnam terrâ, alteram verò caudâ tegit: ſic Diabolus eſt obſtinatus in ſua malitia, & homines ſua aſtutia obſtinatos eſſe facit. Aſpis tam præſens habet venenum, vt vix ſit eius morſus remedium: vnde in Deut. dicitur venenum eius inſanabile: ita Dæmonis venenoſi morſus, hoc eſt eius ſuggeſtiones & tentationes vix ſanari poſſunt, ſi tantillum in eis complaceamus, & eis Dei auxilio muniti non occurramus: vt itaque hoc venenum vitare valeamus, opus eſt vt ſuper hunc Aſpidem ambulemus, hoc eſt eius venenoſos tentationum morſus, cauere & ſupprimere curemus, iuxtà vatis Regij monita: *Super Aſpidem & Baſiliſcum ambulabis*, &c. *Deuter. 32.* *Pſal. 90.*

Dæmon dicitur ſerpens Baſiliſcus. Dicitur ſerpens Baſiliſcus ſecundùm Sanctum Bernardum; quia Baſiliſcus venenum in oculo gerit, quare ſolo aſpectu necare ſolet aues per medium cœlum volantes, immò & homines; quod ad inuidiam Dæmonis refert inſignis hic Doctor, inuidiâ enim eius mors intrauit in orbem terrarum: vidit hominem vſque ad cœlum diuinitatis per aſſumptionem humanæ naturæ à verbo euectum, & eius fœlicitati inuidens, oculo liuoris eum interficere niſus eſt. De hoc ſerpente ſicut de Aſpide, hoc eſt de Dæmone intelligitur authoritas vatis Regij ſuprà allegata, vt interpretantur Patres: *Super Aſpidem &*

Baſiliſcum ambulabis, &c. Serpens Baſiliſcus dicitur à latinis Regulus, quia inter omnia ſerpentum genera Rex eſt & Princeps, vt ſatis demonſtrat corona quam in capite geſtat, nec reptat ſicut cæteri, ſed ex parte, & ex parte celſus incedit. De quo Lucanus.

in vacua regnat Baſiliſcus arena.

Regnat, inquit, in vacua arena; arena arida ſemper, licet vndis abluatur, nec vllius rei ferax vnquam eſt; & ex eo quod inſtabilis eſt & fundamentum nullum habet, probat Sanctus Auguſtinus malos ſignificare; in malis ergo regnat Baſiliſcus Dæmon, qui nullo operum germine, nec virtutum ſoliditate pollent: & propterea dum ait Salomon: *Quaſi à facie colubri fuge peccatum*, Pallatius vertit: *Quaſi à facie Baſiliſci.* Cenſet autem Eugubinus, Diabolum cùm Euam tentauit vſum fuiſſe Baſiliſco, quem cùm non fugit Eua, victorem tandem ſenſit: & Dominus per Ieremiam, propter peccata minatur ſe permittere Regulorum infernalium morſus: *Quia ecce, ego mittam vobis ſerpentes Regulos quibus non eſt incantatio, & mordebunt vos:* ſed quo morſu? tali: *Vt dolor ſit ſuper dolorem, & cor mœrens.*

Lib. 11. contra Fauſtum.

Eccleſ. 21.

Idem 8.

Verum contra ſerpentem huiuſmodi duo ſunt remedia. Primū hoc eſſe exiſtimat Bellouacenſis, & nonnulli alij, ſi nos prius ipſum ferimus aſpectu quàm ipſe nos: atque ita damna quæ ex tentatione Diabolici ſerpentis exurgunt, euitabimus, ſi prius & ſollicitè, quaſcumque ſolet inſidias inferre perſcrutemur, & machinamenta præuideamus: vnde Sanctus Gregorius: *Caput ſerpentis obſeruare eſt initia ſuggeſtionis eius aſpicere, & manu ſollicitæ conſiderationis, à cordis aditu funditus extirpare.*

Duo remedia contra Baſiliſcum ſeu Regulum.

Lib. 1. Moral. cap. 38.

Secundum remedium experimento conſtat, ſi homo veſte ſpeculis diſtinctâ appareat; inde enim fiet vt virus retrocedens ipſum ſerpentem interimat. Quicumque autem à veneno Reguli infernalis ſaluus eſſe cupit, & in ipſius caput recidere fraudes, inducat ſpeculum ſine macula, id eſt Chriſtum de quo Apoſtolus: *Induimini Dominum Ieſum Chriſtum, & carnis curam ne feceritis in deſiderijs:* vel induamur virtutibus Sanctorum, quæ ſpecula ſunt, vt probat Rupertus. Videtur etiam idem Apoſtolus contra hunc ſpiritualem Baſiliſcum nos armare, his verbis: *Induite vos armaturam Dei, vt poſſitis ſtare aduersùs inſidias Diaboli;* quaſi diceret hoc ſpeculo retunditur vis infernalis & virus.

Rom. 13.

Rupertus.

Epheſ. 6.

SECTIO XII.

Dæmon Ceraſti, Scorpioni, Salamandræ, Lamiæ & Syrtio, comparatur.

DICITVR etiam Dæmon Ceraſtes, quod quidem ſerpentis genus ex Alberto Magno & Olao, ita dictum eſt propter gemina cornua quæ habet; & hæc eſt natura illius ſerpentis, vt colligitur ex Nicandro & Solino; longitudo eius eſt duorũ cubitorum, corpore arenoſus, deſquamatus, eminentias habet in capite duas, cornu ſimilitudine, partes verò circa ventrem ſquamis obſitæ, editque ſonum in ſerpendo ſimilem ſibilo. Solinus verò exiſtimat hunc ſerpentem quadrigemina habere cornicula, quorum oſtentatione velut eſca, ſollicitatas aues perimit; nam quod ſpectat ad reliquas corporis partes de induſtria arenis contegit. Ceraſtes igitur Dæmonem ſignificat abſconditum in corde illorum qui cœleſti rore non ſunt perfuſi, ſed quaſi arenoſi & infrugiferi, vanos ad ſe trahit ſub ſpecie eſcæ, at cùm crediderint eſcam inuenire, cornua reperiunt: ſic Iudam pellexit, triginta nummos ei oſtendens, impij mercedem facinoris; at miſer ille reperit laqueum & ſuſpendium. Hoc animal eſt tali aſtu præditum, vt dum latet ſub arenis in ſemitis, videtque ſolùm contra pedeſtrem ſe poſſe venena diffundere, equi tranſeuntis vngulam ſuo morſu inficit, vt ſic ille ſeſſorem veneno efferatus eijciat: meminit huius rei Iacob quando prædicebat ventura filijs ſuis loquens de Dan, hæc dicens: *Fiat Dan coluber in via, Ceraſtes in ſemita, mordens vngulas equi vt cadat aſcenſor eius retrò.* Et licet per hoc litteraliter iuxtà expoſitionem Euſebij Emiſſeni & Gennadij in hunc locum, intelligantur doli & fraudes Dalilæ contra Samſonem qui fuit de tribu Dan; attamen S. Ambroſius intelligit allegoricè de Diabolo. Sic etiam Procopius Gazeus.

Dæmon dicitur Ceraſtes. *Nicander Solinus.* *Geneſ 49.* *S. Ambroſ & Procopius in cap. 49. Gen.*

Sunt qui ſupradicta illa Geneſis verba interpretantur, de diuerſis ſæcularium & religioſorum tentationibus, Diabolus enim cùm ſæculares tentat ſe oſtendit colubrum, & cùm religioſos tentat Ceraſtes eſt: Sæculares ſunt in via lata mandatorum Dei quæ obſeruare tenentur; at religioſi vltra Dei mandata ſunt in ſemita ſtrictiori Conſiliorum, quæ etiam obſeruare debent: Diabolus ergo coluber eſt in via tentando ſæculares, hoc eſt, non opus eſt vt tanto dolo & calliditate, aut tanto ingenio in illis tentandis vtatur; ſufficit enim

Dæmon tentans ſæculares Coluber eſt, & tentans Religioſos eſt Ceraſtes.

hominibus ſuperbis honoris obiecta proponere, auaris pecuniam & commoditatem, voluptuoſis delectationem, guloſis cibos, vina, &c. Hi enim ſæculares in ſæculo viuunt peccatis & continuis offenſionibus obnoxij, qui habent carnis incentiua, qui inter negotia ſæcularia commorantes, varijs cogitationibus diſtracti dies abſumunt; at verò in religioſis tentandis ipſe Dæmon Ceraſtes eſt in ſemita, hoc eſt aſtutior & crudelior eſt, longè maiorique arte ac vafritie ipſum pollere neceſſe eſt, vt ſuis ſuggeſtionibus in peccatum labantur.

Dæmon dicitur corpio. *In cap. 2. Ezech.* *Hom. 9. ſuper Ezech.* Dicitur Scorpio, S. enim Hieronymus Scorpionum proprietates referens, hæc habet: *Scorpiones arcuato vulnere & aculeo fiſtulato percutiunt, eademque plaga aperit cutem, venena diffundit, & inhamat.* Hæ proprietates Dæmonibus verè conueniunt: *Sunt enim Scorpiones*, inquit Sanctus Gregorius, *qui blandi & innoxij in facie videntur, ſed poſt dorſum portant, vnde venenum fundant; eos quibus præualent à bonis moribus ſubuertunt; & quos inflectere non valent, occultis machinationibus feriunt.* Hæc S. Greg. *Clem. Alex.* Clemens Alexandrinus notat cautiſſimum & valdè ſubtile Scorpionum genus in Lybia inueniri, qui ſi ſe reperiant nimis debiles ad inimicum aggrediendum, in ſua latibula redeunt, & alios in ſuum ſubſidium euocant & adducunt: in hoc profectò, Scorpionis infernalis aſtutiam detegimus, ipſe enim, vt ait Chriſtus, cupiens maximè domum è qua expulſus eſt, ingredi, & videns id præſtare non poſſe, cùm illam reperiat *Luc. 11.* ſcopis mundatam & ornatam, *Tunc vadit & aſſumit ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi, fiuntque nouiſſima hominis illius peiora prioribus*: En iſtius venenoſi Scorpionis ingens calliditas.

Dæmon Salamandræ aſſimilatur. *Plinius.* Dæmon Salamandræ quoque comparatur, eſt enim Salamandra animal inſtar lacerti, cui tantus frigoris ineſt rigor, vt per carbones ignitos incedens, nullo afficiatur nocumento, immò non ſecùs atque glacies ignem extinguit, teſte Plinio; eius venenum frigidiſſimum eſt & nihil ab aconito diſtans, ita vt ſi arbori irrepſerit, ipſo ſuo tam frigido veneno poma inficiat, & eos qui ederunt necet. Quis non videt has proprietates Dæmoni conuenire? Nam ob eius ſuperbiam aliaque peccata, ineſt continuò eius naturæ frigoris rigor, hoc eſt abſque vllo charitatis ardore in perpetuum manet, quo fit vt eius malitiæ venenum quaſi aconitum frigidiſſimum ſit, & homines incautos & qui ei adhærent, inficiat & interimat.

Lamiæ comparatur Dæmon. *Plinius.* *S. Chryſoſt.* Lamiæ pariter comparatur Dæmon: Lamia, vt ait Plinius, eſt genus ſerpentis ferociſſimum; Et S. Chryſoſtomus docet hoc animal cætera animalia quidem viribus expugnare, homines verò fraude & deceptione, dum faciem pectus, & vbera oſtentat, iuxtà illud

Threnotum; *Sed & Lamiæ nudauerunt Mammas.* Cùm verò hæ Lamiæ aliquos grato aſpectu viderint, veneficijs quibuſdam pelliciunt, immò cogunt ferè ad confabulationis deſiderium, & hi quidem veluti ad mulieres accedunt, illæ intrepidæ manent, deorſum humum ſemper reſpicientes, ornatum ac pudorem mulierum imitantes; atque ita cùm quis propriùs acceſſerit rapiunt, manus namque habent ferarum, quas occultant, vnde Lamiæ à laniando dicuntur. Hæ igitur Lamiæ cum ſuo fallaci corpore ſignificant Dæmones libidinis præſides, eorumque fraudes ad hominum interitum & perditionem, vt probat Ludouicus Cœlius: quamplures enim docent ipſos ſæpius Maleficis & alijs in mulierum forma apparuiſſe, eiſque vt Lamiæ ſpecioſam faciem pectus & vbera oſtentaſſe, vt non ſolùm ad confabulationis deſiderium accenderent, ſed etiam ad libidinem. Et indè ſuccubi Dæmones, de quibus ſuprà diximus Cap. 9. Sect. 2. Exiſtimant nonnulli Dæmonem hoc ſerpente ſcilicet Lamiâ, ad tentandam Euam tanquam inſtrumento vſum fuiſſe: & ad id mouentur, quia Beda, Abulenſis, & alij docuerunt vultum retuliſſe virgineum pulcherrimum, & quoad alias partes ſerpentis imaginem repræſentaſſe. Et quidam alij aduertunt ipſi Euæ vultum ſuum tantùm oſtentaſſe, cœteras verò corporis partes inter arboris folia abſcondiſſe; Et ita pictores ex longo vſu, ipſum ſerpentem eo modo repræſentare ſolent.

Tren. 4.

Lib. 19. cap. 5.

De ſimili ferè ſerpente qui Syrtium dicitur & qui Dæmonem apprimè repræſentare poteſt, refert Dion Chryſoſtomus, dicitque eum in Lybia naſci ex promiſcuo beſtiarum coitu. Eius corpus muliebre eſt & formoſum, tumentes cum laſciuia papillæ; totum pectus ac ceruix pulcherrima, color cutis nitidiſſimus; mira ab illius oculis emicat hilaritas, quæ intuentem quemlibet illicit in amorem: reliquum corpus horridum eſt, & omninò ſerpentinum, ſquamiſque hirſutum atque intractabile; infernè in longum deſinit anguem: non loquitur, ſed ſibilat; velocitate curſus quemlibet conſequitur fugientem; & quidem cæteras feras curſu prehenſas enecat, hominem verò blanditijs aggreditur; in hunc cùm inciderit immotus manet, nihil minatur hoſtile, oculis interim magna cum modeſtia deiectis, inſtar ſpecioſæ fœminæ, allicit ad congreſſum; ſi quis verò cominùs imitatione illâ permotus acceſſerit, confeſtim eum arripit vnguibuſque quos ante occultauerat ac morſibus membratim diſcerpit. Ferunt Herculem Lybicum in eam feram fortè incidiſſe, defugiſſeque è longinquo viſam, quę cùm fugientem conſequi non poſſet, ſe prę rabie fœdùm in modum dilacerauit. Figmentum aliqui putant quod à Dione de hoc ſerpente narratur, ſed vtile eſt vt laſciuiam

Dæmon Syrtio comparatur.

Orat. 5.

Pierius lib. 16. cap. 6.

hominum, voluptatis illecebras aſſectantium infrenet, ob eamque cauſam doctis placet, & quoniam ipſum Dæmonem hominum mentibus, ipſam imprimentem laſciuiam refert, nam vt dictum eſt hilari aliquando vultu, & in forma mulieris pulcherrimæ ſe ſe exhibet.

SECTIO XIII.

Dæmoni quorundam aquatilium ſeu piſcium nomina conueniunt, vt videlicet commune nomen Piſcis, ac etiam Ceti ſeu Balenæ, aut Leuiathan.

PRIMÒ ergo nomen Piſcis omnibus aquatilibus commune, Dæmoni conuenit, vt patet in hiſtoria Tobiæ ad quem deuorandum piſcis immanis de Tygris fluuio exiuit; hunc enim piſcem docet Beda eſſe Dæmonis ſymbolum, qui tam auidus fuit ad prædam, vt in illam extra proprium elementum, magno cum diſcrimine inſilierit, perire namque maluit quàm non ſequire. Quod Dæmonis ingenium Sanctus Hieronymus rectè expendit, dum ait de Dæmonijs loquens: *Quibus ſi optio detur magis eligent perire quàm prædam perdere*, & de facto & ipſe perijt & prędam perdidit, volenſquè capere, captus eſt; ſicut idem piſcis qui præ furore volens Tobiam deuorare, fuit captus ab eodem, attraxit enim illum in ſiccum, & euiſcerauit, & ſic ſuam prędam videlicet Tobiam perdidit, & ipſemet perijt; dixit enim Angelus Tobiæ; *Exentera hunc piſcem*, vt ſignificaret ſicut illius piſcis intima præcordia nudabantur, ita occultas Diaboli inſidias à Sanctis hominibus facile detegendas. Nec illud omittendum quod Angelus nec apprehendit, nec attraxit, nec exenterauit hunc piſcem, ſed hæc omnia Tobiæ commiſit exequenda, in maiorem planè Diaboli ignominiam, qui non ſolùm à milite veterano ac bellatore, ſed etiam à iuuene quodam delicato, vincitur ac coercetur. Vnde Sanctus Ioannes hanc de Diabolo victoriam non modò viris, ſed etiam adoleſcentibus, & iuuenibus, immò & infantibus gratulatur: *Scribo*, inquit, *vobis adoleſcentes, quoniam viciſtis malignum; ſcribo vobis infantes, quoniam cognouiſtis patrem; ſcribo vobis iuuenes quoniam fortes eſtis, & verbum Dei manet in vobis & viciſtis malignum*; quaſi tanta ſit Diaboli infirmitas, vt etiam ab infirmis adoleſcentibus, imò à tenellis infantibus ſuperetur, & de illis verum ſit, quòd in tenera admodum ætate, ſuper aſpidem & Baſiliſcum,

Tob. 6.
Beda.
In cap. 9. Iſai.
1. Ioan. 2.

liſcum ambularint & conculcarint Leonem & Draconem, vt iam ex vate Regio aliàs diximus.

Pſalm. 90.

Dæmoni quoque Ceti nomen ſeu Balænæ tribuitur, ob proprietates ipſius ingentis animalis marini, quæ ei conueniunt. Dicitur autem hoc animal marinum Cete in plurali & indeclinabile; de quo Moſes in libro Geneſis habet, dum dicit Deum creaſſe: *Cete grandia*; & in Cantico trium Puerorum habetur: *Benedicite Cete & omnia quæ mouentur in aquis Domino.* Dicitur etiam in ſingulari idem animal Cetus, quod quidem nomen declinabile eſt. Vtrumque nomen (Cete & Cetus) omnibus grandioribus piſcibus maris commune eſt, qui animal pariunt non oua, cuiuſmodi ſunt Balęnæ, Miſticeti, Phyſeteres, Priſtes, Thyni, & huiuſmodi alia marina monſtra. Refert autem Plinius Cetos ſexcentorum pedum longitudinis & trecentorum ſexaginta latitudinis in flumen quoddam Arabiæ intraſſe. Non diſſimilis fortaſsè fuit qui deglutiuit Ionam, in typum ſepulchri corporis Chriſti, ſiue limbi Patrum; de quo Chriſtus habet apud S. Matthæum: *Sicut Ionas fuit in ventre Ceti tribus diebus & tribus noctibus, ita filius hominis erit in corde terræ, tribus diebus & tribus noctibus.* Quod intelligendum eſt per ſynechdochen, acceptâ parte pro toto ſpatio trium dierum noctem ſuam habentium iuxtà Hebraïſmum, ſed in partem non in totum.

Dæmoni nomen Ceti ſeu Balænæ aut Leuiathan tribuitur.

Geneſ. 1.

Dan. 3.

Lib. 32. c. 4.

Matth. 12.

Cetus metaphoricè vocatur Diabolus, huius mundi Princeps, & humani generis ſœuiſſimus hoſtis; vel ſymbolum eius eſt, vt benè aduertit Tertullianus [a]. Deus etiam dum apud Iobum [b] de Ceto ſeu de Leuiathan ſermonem inſtituens, non tam hoc animal deſcribere intendit quàm Dæmonis peccatum & malitiam, ait enim. *Ipſe eſt Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ.* Quod ſoli Dęmoni conuenire eſt manifeſtum. Habemus enim apud Eſaïam: *In die illâ viſitabit Dominus in gladio ſuo duro, & grandi, & forti, ſuper Leuiathan ſerpentem vectem, & ſuper Leuiathan ſerpentem tortuoſum, & occidet Cetum qui in mari eſt.* Cetus ergò ſeu Balęna vel Draco marinus, alio nomine vocatur Leuiathan, ſub cuius ſymbolo, hic Dęmonem omni ex parte Deus depingit, poteſt enim dici ſerpens marinus & ex aquis, ait S. Gregorius, quia in huius ſæculi mari volubili, verſatur aſtutiâ.

a *Lib. 4. aduerſus Marcionem.*

b *Iob. 41.*

Iſaia 27.

Cetus dicitur etiam Leuiathan & Serpens vectis ac tortuoſus, & cur.

Lib. 33. Moral. cap. 20.

Aduertendum porrò ex S. Hieronymo, ipſum appellari vectem ſiue claudentem, quòd genus humanum tanquam vectis quidam ferreus carcere concluſerit, ſuęque poteſtati ſubiecerit, hoc eſt limbi carcere vt alij dicunt; quem tamen poſteà Chriſtus in cruce moriens confregit, proüt explicant Tertullianus, Cyrillus, Theodoretus, Procopius, & alij: vel ſi magis placet, ex eo *ſerpens vectis* dicitur, quia quando prima illius tentamenta admittuntur ab homine, & to-

Tertul. Lib. 4. contra Marcionem.

Cyrillus. Theodoretus. Procopius.

Et

tus in corde ſuſcipitur, ſtatim linguam occupat, & omnes ſenſus claudit tanquam vectis ferreus, ne per confeſſionem peccatorum exire cogatur. Pagnin. loco vectis legit: *Serpens tranſiens*; alij *Serpens fugiens, aut velox, aut diſcurrens de extremo ad extremum,* videlicet omnem locum occupans, omnem exitum obſtruens, velut inductus vectis, omnibus dominari cupiens. Appellatur etiam tortuoſus ſeu flexuoſus, quia in huius mundi Oceano perindè diſcurrit, atque in mari maximus omnium piſcis, ſed maximè Sanctus Baſilius oſtendit, cur appelletur tortuoſus, explicans illa verba Pſalmiſtæ: *Rectos decet collaudatio. Serpens,* inquit, *qui ad peccatum nobis incentor fuit, obliquus dicitur, & in Serpentem Draconem obliquum, Dei enſis apud Iſaiam inducitur, quoniam multas ſpiras & inuolucra facit in itinere; Serpentis namque tractus inæqualiter per humum ſerpit. Itaque qui Serpentem imitatur, inæqualem etiam ſuam reipſa exprimit vitam, ſicut qui è diuerſo veſtigia Dei ſequitur, rectas ſemitas, rectaque pedum veſtigia facit, quoniam rectus Dominus Deus noſter, & rectitudinem ſiue æquitatem vidit vultus eius.* Hucuſque S. Baſilius.

S. Baſil. in Pſalm. 32.

Deindè ſuperaddit Propheta: *Et occidet Cetum qui in mari eſt.* Per Cetum ipſum intelligitur Leuiathan, qui inter Cetos maximus eſt, & vt notant aliqui, in mari Indico naſcitur: myſticè verò Diabolus ſignificatur, qui quaſi Leuiathan ſemper eſt paratus, patentibus faucibus ad homines deglutiendos, eoſque ſecum trahendos in profundum inferni; occidet ergo illum Dominus extremâ iudicij finalis pœnâ, videlicet mortis æternæ. Si etymologiam huius nominis Leuiathan inquirere volumus, idem eſt quod *additamentum eorum,* vt Veteres interpretantur. Rogat autem Iſidorus quorum ſit additamentum. Et reſpondet: *Quorum niſi hominum, quibus in Paradiſo ſemel per culpam præuaricationis intulit mortem, & hanc vſque ad æternam mortem quotidie perſuadendo adducit vel extendit?* Eadem ferè ſcripſit S. Gregorius: *Addidit verò etiam,* inquit, *hanc nominis Leuiathan rationem, vt per irriſionem dicatur additamentum hominum, primo quippè homini perſuaſione callidâ diuinitatem additurum ſe perhibuit, ſed immortalitatem tulit.* Interpretatur ergo *additamentum* actiuè, quòd ipſe nobis addiderit mortem. Philippus verò: *Quòd excedens præſumptionis modum, addidit ſibi ſuperbiam, & quaſi ſupra naturæ bonum, in tumorem morbo elationis excreuit.* Sed præſtat vt actiuè ſimul & paſſiuè interpretemur, quod ipſe *Leuiathan* habeat additamentum, & acceſſionem eorum omnium quorum ipſe eſt caput, & quæ tanquam ſua membra ſibi incorporat, & quos ſuos Angelos efficit, ſiue illi ſint homines ſiue Angeli, quos etiam vt piſciculos ſuis ſquamis agglutinat, & ſuis brachijs excipit

Lib. 8. Etym. cap. de Dijs Gentium.

3. Dialog. cap. 20.

Philippus.

pro qualitate vitiorum, vt Sanctus Hieronymus interpretatur: *Ita vt* (inquit) *copulentur ei, vel in erroris conſortio, vel in pœnæ ſimilitudine, quomodo qui adhæret Domino vnus ſpiritus eſt.* Et eſt quod clariſſimè docet quidam Modernus Doctor: dicitur Leuiathan, hoc eſt additamentum ijs qui peccata ſuper peccata frequentiſſimè cumulant, nam ipſe additando eis mala ſub ſpecie boni, facit quod illa inſequantur, amplectantur, & mala malis adiungant, donec in mortem incidant, & his grauati in infernum detrudantur, & ibi in æternum puniantur. *S. Hieron.*

Porro apud S. Iob deſcribuntur ſigillatim partes Leuiathan aut Balænæ, de quibus Pinedam conſulas, aliosque ſi vis Auctores qui in Iob ſcripſerunt. Singulariter autem cor eius deſcribitur, & quis ſit illius effectus: *Cor eius*, inquit, *indurabitur*, id eſt durum eſt, *tanquam lapis, & conſtringetur quaſi malleatoris incus.* Cor in animalibus vt Ariſtoteles [a], & Plinius [b] dixerunt, carneum eſt & neruoſum, quippe cùm in illo validiùs vis animalis & ſenſitiua debeat vigere: Cetus tamen vt Plinius obſeruat, cor habet duriſſimum, rigidum, & hirſutum vt totum oſſeum, lapideum, ac ferreum videatur; immò duritiem tenens incudis, qui quò validiùs percutitur maiorem duritiam contrahit. Et quidem S. Thomas, alijque auctores, hoc ideò de Ceto dictum credunt, quia talis durities cordis in ipſo animali, ſingularem eius audaciam & fortitudinem indicat; vnde fit, vt neque tempeſtatibus, neq; mallei ictibus, aut agitationibus, quibus cæteri piſces concutiuntur & debilitantur aliquatenùs cedat; quin potiùs maiori tunc fertur agilitate. Et non mirùm etiã, quia tanta eſt eius magnitudo (ſi S. Ambr. & quotidianæ experientiæ fides adhibenda ſit) vt quando per fluctus maris progreditur, quaſi parua inſula oculis intuentium appareat. Tanta etiam eſt eius potentia & fortitudo, vt vnda ab ore eius procedens, ipſas etiam naues ſubmergere ſoleat, quo fit ſicut S. Iſidorus explicat, vt dum caput eleuat, aut ſuper aquas quaſi aſſurgit, ſummo timore afficiantur nauigantes; qui propterea ob timorem quem concipiunt ſe totos ad Deum conuertunt, & quaſi in mortis periculo conſtituti, de purgandis peccatis per contritionem cogitant, & ideo Deus Opt. Max. hominum incolumitati prouidens, in mari Athlantico monſtrum illud marinum reclusit, vt Mediterraneum mare liberè nauigari poſſet, ſicut ex illis verbis Sancti Iobi manifeſtè colligitur: *Nunquid mare ego ſum aut Cetus, quia circumdediſti me carcere?* In huiuſmodi ergò Ceti ſeu Leuiathan conditionibus, Dæmonis qualitates mirè exprimuntur; & eius voluntas cordis nomine, iuxtà Sacræ Scripturæ phraſim, nobis eleganter aperitur; hæc enim in malo ita obſtinata indurataque eſt, vt nullis icti,

Iob. 41.

a Lib. 3. de part. animal.
b Lib. 11. cap. 37.

In Cap. 41. Iob.

S. Iſidorus.

Iob 7.

Durities cordis Ceti, duriorem Dæmonis voluntatem demonſtrat.

bus frangatur, aut emolliatur, quin potiùs quò validiùs percutitur, durior redditur: & tanta eſt eius furia, vt niſi per diuinam potentiam reprimeretur, nullus inter filios Adæ potentiæ eius reſiſtere poſſet. Probè nouerat tantam ipſius monſtri fortitudinem S. Paulus qui ad

Epheſ. 6. Epheſios ſcribens ait: *De cætero fratres, confortamini in Domino, & in potentia virtutis eius, induite vos armaturam Dei: vt poſſitis ſtare aduersùs inſidias Diaboli, &c.* Nemo ſecuritatem ſibi promittat quantumcunque tentatorem deuicerit; quem enim de gula tentantem fortiter ſuperaſti, ſtatim aliud grauius bellum tibi indicit, maiorem in animo tuo excitat tempeſtatem & conturbationem, nam tentat te adhuc fortiùs de ſuperbia aut inani gloria; & ſi illum in luxuriæ materia Deo adiuuante viciſti, ſubitò ſenties ſi attendis, ad murmurationem vel detractionem, vel aliud vitiorum genus pertrahere conantem, & ita de ſimilibus.

Non erit iniucundum hìc aduertere, quòd cùm aliquando Leuiathan ſeu Balæna contra nauem inſurgit, & ſe exhibet quaſi illam deglutire vellet; ſi forti perſonantique ictu naui emiſſo feriri ſe ſentiat, fugit ſub aquis ſe ſubmergens, tantam maris commotionem excitans, vt grandem videatur commouere totius illius tempe-

Iob. 41. ſtatem. Quòd & Deus dicere voluit; *Feruere,* inquit, *faciet quaſi ollam profundum mare, & ponet quaſi cùm vnguenta bulliunt: poſt eum lucebit ſemita, & æſtimabit abyſſum quaſi ſeneſcentem:* Albicantibus namque ſpumis, totum mare candidum & quaſi canum reddit: ſignanter viam aut ſemitam per quam fugit aut recedit. Non aliter Diabolo contingit, cùm à Sanctis quos deglutire vult, acri reprehenſione expellitur & percutitur.

Pſal. 103. De hac Balęna ſeu Leuiathan loquitur vates Regius: *Draco iſte quem formaſti ad illudendum ei.* Quæ verba bifariàm exponuntur: vno modo iuxta ſententiam Rabbi Kimhi, vt dicatur ille grandis Cętus à Deo creatus vt ludat in mari, & reliqua aquatica monſtra deſpiçiat atque deuoret: altero ad illudendum, id eſt vt illudatur ei, nimirum vt poſtquam homines eum prehenderint, ei illudant & inſultent. Cadit vtraque interpretatio in Dæmonem; cum enim Deus feciſſe videtur, tum vt hominibus illuderet, tum vt ab hominibus illuderetur, præcipuè poſt Chriſti paſſionem. Ad priorem expoſitionem pertinet illud S. Hieronymi: *Datus eſt,* inquit, *in hoc mundo ad*

S. Hieronym. *illudendum nobis, quantos enim Monachos & Clericos præcipitauit?*

Conc. 4. in Pſal. 101. *&c.* Ad ſecundum ſenſum reſpexit S. Auguſtinus dicens: *Illude Draconi ad hoc enim factus eſt Draco, &c.* Et confirmari poteſt ex eo

Iob. 40. quòd etiam apud Iobum habetur: *Numquid illudes ei quaſi aui? aut ligabis eum ancillis tuis?* Seu vt S. Ambroſius ſine interrogatione

legit: *Ludes eum ſicut auem: ligabis eum ſicut paſſerem puer*; Et vt ex Hebræo elici poteſt, *puella imponet ſuper eum manum*; Vbi ſermo eſt de Deo Diabolum illudente; ſeu pueris ac puellis committente, vt ei ab omnibus illudatur: nam ſicut capta auicula, à nemine duriùs & immitius tractatur quàm à puero, ſeu puella, quæ illam per luſus pueriles non ſolùm manu comprimit & collidit; ſed etiam exoculat & explumat, pungit, vellicat, mutilat & truncat: ita & Diabolus miris modis ab his pueris & puellis ludificatur; adeò enim infirmus eſt, vt ne teneræ quidem ætati, fragilique ſexui præualeat. Exempla de huiuſmodi non deſunt, plurimos enim vtriuſque ſexus in ætatis flore, imò in ipſamet infantia conſtitutos reperimus, tum in Scripturis Sacris tum in Eccleſiaſticis hiſtorijs, qui de tartareis legionibus victores ac triumphatores extiterunt: Nam Ioſeph ſedecim annos natus Ægyptiam ſeruitutem fortiter tolerauit. Dauid natus annos quindecim, cum Vrſis & Leonibus luſit quaſi cum agnis; hæ autem feroces beſtiæ typus erant Dæmonum. Daniel duodennis, ſeniorum impudentiam fregit & condemnauit. Samuel triennis, in diuino cultu mirabiliter profecit. S. Ioannes Baptiſta in tenera ætate eremum petijt. Ita Sanctus Paulus Eremitarum parens, quindecim annos natus, in ſolitudinem ſe abdidit. S. Nicolaus adhuc anniculus, quartas & ſextas ferias à lacte abſtinebat. Sed quod dicimus de pueris ſiue adoleſcentibus, idem dicendum venit de puellis & adoleſcentulis quàmplurimis, quæ etiam in tenera ætate Dæmoni illuſerunt, vt præ cæteris conſtat de Beatis Priſca & Agnete, quæ tredecim annos natæ, Martyrio coronatæ fuerunt. Mitto penè infinitas alias, quæ Diabolum ſiue clam inſidiantem, ſiue palam irruentem, eluſerunt & contuderunt. Sed quid ſibi volunt ſequentia Iobi verba, *Aut ligabis eum ancillis tuis?* Per illas ancillas intelligit infirmiores, qui Dei gratia ſuffulti, poſſunt quoque Dæmoni inſultare & ei illudere. In quo profectò ipſa Diaboli infirmitas & debilitas notatur: & forſitan ex eo piſci comparatur, quia non ſolùm tanquam piſcis poſt Chriſti aduentum *Aphonos* eſt, hoc eſt vocis expers, & ſilentio mulctatus fuit, qui antea ex ſuis ſanis blaterando & perſtrependo homines decipiebat; verumetiam quia ſicut piſcis adeò infirmus eſt, vt nullas vires habeat extra ſuum elementum, & à quouis puerulo qui in littore conſiſtat facilè irridetur; & ſi in illum extra mare irruat, ſibi potiùs quàm illi interimim machinatur: ita Diabolus nomen piſcis accipit, quia piſcis infirmitatem ſortitur: & ſi in hominem irruit occiſurus, corruit victus & quaſi occiſus.

Lib. 1. de pænit. cap. 13.

CAPVT XI.

De alijs quibuſdam communioribus nominibus, Dæmoni conuenientibus.

POSTQVAM ſatis fusè de nominibus Auium, Animalium terreſtrium, reptilium, & aquatilium Dæmoni conuenientibus, anteà dictum fuit, ſiue ob quaſdam proprietates in ijs beſtijs repertas, ei ipſa conueniant, ſiue quià aliquoties in eorum figuris apparuit, vel quia in ijs coli & adorari voluit, vel ob alias rationes; Nunc præſenti capite dicendum, nomina etiam alia communiora, tum idolorum in quibus eſt loquutus, & à Gentilibus cœcis ſub eorum nominibus adoratus, non minùs ei quam præcedentia conuenire; tum alia quę pro maiori parte in ſcripturis continentur.

SECTIO I.

Nomina Belial, Bel, Baal, Baalim, Beelzebub, Baalberith, BeelZephon, Beelphegor, Baalpeor, Moloch, Aſtaroth, & Dagon Dæmoni conueniunt.

Dæmon dicitur Belial. *Comment in 27. Iſaia.*

PRIMVM ergo commune nomen quod Dæmoni tribuitur eſt Belial, quod quidem iuxta S. Hieronymum idem ſonat ac apoſtata, præuaricator, & abſque iugo, vel vt alij dicunt abſque fræno: deducitur enim hoc nomen à *Beli*, quod interpretatur *ſine*, & *hal* id eſt *iugum*, ſicque *Belial*, ſignificat *abſque iugo*. Secundùm quam Etymologiam ſcripturæ loca declarantur, vt in libro Iudicum: *Venerunt viri ciuitatis illius filij Belial, id eſt abſque iugo*; Septuaginta, *filij præuaricatorum*. Et vbicumque ipſi Septuaginta Interpretes transferunt, *filios peſtilentiæ ſeu iniquitatis*, in Hebræo legimus, *filios Belial*. Et in lib. primò Regum aiebat Anna Heli Sacerdoti exiſtimanti eam eſſe temulentam: *Ne reputes ancillam tuam quaſi vnam de filiabus Belial*, hoc eſt (vt alij dicunt) *de filiabus Bacchi*,

Iudicum 19.

1. Reg. 1.

qui erat Idolum ſub cuius figura quædam ſacrificulæ quæ Bacchæ ſiue Mænades, & inebriatæ ac temulentæ dicebantur, Bacchanalia celebrabant, & ſic Dæmoni immolabant, de quâ re multi Poëtæ. Et in eodem libro primo Regum: *Adductis duobus viris filijs Diaboli:* Hebraïcè *filijs Belial.* Ex quo intelliges quod dixit Apoſtolus in epiſtola ſecunda ad Corinthios: *Quæ conuentio lucis ad tenebras, aut Chriſti ad Belial?* Id eſt ad Diabolum vel ad tranſgreſſorem, & apoſtatam. Quaſi diceret, quæ conuentio inter illum qui ſemper tulit obedientiæ iugum: *Factus obediens vſque ad mortem, mortem autem Crucis*, cum illo qui mox vt fuit in gratia creatus, obedientiæ iugum excuſſit? Vnde Dominus ſuis ſectatoribus dicit apud S. Matthæum: *Tollite iugum meum ſuper vos*, id eſt quod ego portaui ad mortem vſque. Satis ergò conſtat nomen Belial maximè Dæmoni conuenire, cùm idem ſignificet ac ſine iugo vt dictum eſt. 1. Reg. 11. 2. Cor. 6. Ad Philipp. 2. Math. 11.

Poteſt etiam Dæmon vocari Bel, & Baal quæ quidem nomina in ſingulari ſignificant Idola quędam; vel omni idolo conueniunt, vt nonnulli volunt, & vtrumque ſignificat Hebraicè Dominum. Dicitur autem Bel à Belo Aſſyriorum Rege Patre Nini, qui quidem Ninus apud Aſſyrios ſui nominis Niniuem condidit ciuitatem, & cùm aduersùs Zoroaſtrem Bactrianorum Regem, forti certamine dimicaſſet, in tantam peruenit gloriam vt Patrem ſuum Belum referret in Deum, qui Hebraïcè dicitur *Bel*, vel *Beel.* Exiſtimant autem quidam Belum fuiſſe Saturnum, vt docent Euſebius [a], & Sanctus Hieronymus [b] ſuper illud Iſaïæ: *Confractus eſt Bel: Quem Græci* (inquit S. Hieron.) *Belum ideſt Saturnum vocant, cuius tanta fuit apud veteres Religio, vt ei non ſolùm humanas hoſtias captiuorum ignobiliorumque mortalium, ſed & ſuos liberos immolarent:* hæc ille. De quo vates Regius: *Immolauerunt filios ſuos, & filias ſuas Dæmonijs.* Obiter autem aduertendum venit, Aſſyrios cum Idololatria adorationis Beli innumera imbibiſſe flagitia; de quibus omnibus mirabile dictu, prædicante Ionâ pœnitentiam egerunt: quod Dominus commemorauit apud Sanctum Matthæum; & tamen multi Chriſtiani quamplurimis vitijs dediti, ad prædicationem Chriſti & eius miniſtrorum, reſipiſcere & pœnitere negligunt. Sidonij & Phœnices hunc Deum Bel, vel Beel, Baal appellarunt, & ſub tali nomine Dæmonem adorarunt. De eodem autem Baal mentio fit in tertio Regum libro, vbi habemus Heliam Prophetam verum Deum Iſraël à falſo Deo Baal ſecreuiſſe, ex eo quòd ignem ſuper ſacrificia Deus oratione Prophetæ è cœlo miſerit, non autem ſuper ſacrificia Baal. Vide ibi. Notandum autem quòd Baal generale eſt nomen Idolorum, quæ colebantur ab infidelibus propè terram Iſ-

Dæmon Bel & Baal dici poteſt.

a Lib. 9. de præpar. Euang. cap. 4

b In 46. Iſaia.

Pſalm 77.

Ionæ 3.

Math. 12.

3. Reg. 18.

raël: habebant enim Ammonitæ ſuum Baal, habebant & Samaritæ ſuum: habebant quoque reliquæ circumiacentes regiones ſuos Baalim. De quibus ait Dominus apud Oſeam, *auferam nomina Baalim, &c.*

Oſee 2.

Quod ſpectat igitur ad illud nomen Baalim, ſæpè legitur in plurali apud Prophetas, ad varia eiuſdem idoli ſimulachra ſignificanda, quæ Iudæi à Sidonijs, vt dicebamus, accepêre, ſicut Sidonij ab Aſſyrijs, vt multæ aliæ nationes ab illis. Ita tamen vt pro locorum varietate, varia eidem Idolo Baal ſiue Baalim aut Beel cognomina dederint, vt Beelſephon, id eſt Bel Aquilonis, de quo in Exodo: *Contra Beelſephon*, & in libro Num. *Quæ reſpicit Beelſephon.* De quo quo lege Originem. Item vocarunt idem Idolum Beelphegor, quia colebatur in monte Phegor, de quo in eodem Numer. libro: *Et initiatus eſt Iſraël Beelphegor*, initiatus eſt, id eſt religione coniunctus *Beelphegor.* Et id conforme eſt ſententiæ Vatis Regij: *Et initiati ſunt Beelphegor, & comederunt ſacrificia mortuorum.* Erat Beelphegor Idolum Moabitarum, & Madianitarũ fœdiſſimum ac turpiſſimum, illud vt quidam volunt, quod alibi Scripturæ Sacræ Priapum vocant, quod obſcœna & ſpurciſſima ſpecie omnium oculis exhibebatur, & magiſtrum ſeu apertionis nomine Beelphegor, vel etiam Baalpeor ſignificari; Vnde etiam ex Sancto Hieronymo Phegor idem ſonat ac ignominia. Alij eum vocant Deum fœcunditatis: verius tamen (inquit S. Auguſt.) Deus fœditatis appellandus. Huic eius cultores, obſcœniſſima offerebant ſacrificia, quæ ipſe S. Auguſt. indicat, & ad quæ offerenda Iſraëlitæ pertracti ſunt, per hoc quod comederunt cibos ſacrificiorum, ad quæ fuerant vocati à filiabus Moab, cum quibus fornicati fuerant, vt habetur in Num. libro: *Morabatur* (inquit Moyſes) *eo tempore in Setim, iter agens ad terram repromiſſam, & fornicatus eſt populus cum filiabus Moab, quæ vocauerunt eos ad ſacrificia ſua, quæ Beel-phegor offerebant.* Addit autem Moyſes: *At illi comederunt cibos earum, & adorauerunt Deos earum.* Non aliter factum fuit poſt plurimos annos, quando introducto iam populo in terra repromiſſa, erecto magnifico templo, & veri Dei religione firmatâ, voluit illum Diabolus ad ſui cultum reuocare; quod perfecit tempore Hieroboam, qui vitulos aureos crexit, quos populus adorauit, & inde morti, captiuitati, & innumeris calamitatibus obnoxius manſit.

Baal & Baalim Idolorũ nomina Dæmonibus cõ uenientia.

Beelſephon quid.

Exod. 14.
Num. 33.
Homil. 7. ſuper Num.

Beelphegor quid.

Num. 25.
Pſalm. 105.

Lib. 6. de Ciuit. Dei, cap. 9. & 10. de conſenſu Euang. c. 25.

Num. 25.

Idem Idolum Beel-phegor, dicebatur quoque Beelzebub; hoc eſt Deus muſcarum, propter muſcas, quæ ad eius ſacrificia plurimæ conueniebant; & maximus Deorum dicebatur; vnde S. Hieron. docet in Regum volumine, Idolum illud vocari Idolum Accaron & Idolum

Nomen Beelzebub Dæmoni tribuitur.

& Idolum muſcæ, & hoc aptiſſimè Dæmonem ſignificat; quia ſicut muſca ſæpè expulſa, ſemper redit & infeſtat, eſt valdè importuna & incommoda; ita Dæmon nunquam ceſſat genus humanum modis omnibus infeſtare, & laqueos tendere, vt eos perdat. Iudæi ipſum Idolum Beelzebub Principem Dæmoniorum vocabant apud S. Lucam: *In Beelzebub Principe Dæmoniorum eijcit Dæmonia.* Ideoque filium Dei quòd ſuper omnes Prophetas priores miracula faceret, Beelzebub appellabant apud S. Matthæum. *Si Patrem familias Beelzebub vocauerunt, quantò magis domeſticos eius?* Ideò prędicatores verbi Dei ad opprobria perferenda patientes eſſe oportet, quia terra bona nonniſi in patientia fructum refert, vt apud S. Lucam habetur. Eſt autem ſedulò hic aduertendum, quòd ex nonnullis Doctoribus refert noſter Hylaretus, videlicet varias nationes, iuxta varias linguarum earumdem proprietates, ſupradictum illud ſpurciſſimum idolum, diuerſis vocaſſe nominibus, Chaldæi ſiue Babylonij Beel vocabant: Palęſtini Baal: Moabitæ Beelphegor: Accaronitæ Beelzebub: Gentes Latinè loquentes Priapum: in idololatriæ deteſtationem & execrationem, dicebatur à Iudæis Princeps Dæmoniorum, vt ſtatim ex S. Luca notauimus.

S. Hieron. in 10. cap. Matth.

Luc. 11.

Matth. 10.

Luc. 8.

Hylar. Dominica 3. Quad.

Baalberith de quo mentio fit in libro Iudicum, Idolum fuit Sichimorum, & interpretatur Baal fœderis, ſiue pacti, quia ibi fortè fœdera ſua iurabant.

Baalberith quid. Iudicum 9.

Habebant etiam filij Iſraël inter cætera Idola, æneum vnum quod Moloch appellabant, intus excauatum ſimulachrum, in quo proprios filios includebant; & igne ſuppoſito, cymbalis alijſque inſtrumentis ita perſonabant, vt gemitus & vociferationes miſerorum infantium qui intus cremabantur, exaudiri non poſſent; ne quiſquam ad commiſerationem, ſed potiùs omnes ad gaudium & tripudium mouerentur. Quòd tamen præcauens in Deuteronomio Deus, grauiſſimè toti populo per Moyſem prohibuerat, illis verbis: *Caue ne imiteris gentes poſtquam te fuerunt introeunte ſubuerſæ; omnes enim abominationes quas auerſatur Dominus, fecerunt Dijs ſuis, offerentes filios & filias, & comburentes igni.* Adeò autem creuit crudeliſſima hęc veſania, Dęmonibus in varijs mundi partibus ad eam inſtigantibus, vt vix enumerari poſſint non dicam myriades hominum eo genere mortis interfectorum, ſed neque ipſa cruenta ſacrificiorum genera diuerſa, & ſpecies horribilium ſuperſtitionum, quibus Ioui, Saturno, Marti, Apollini, Baccho, Veneri, Mineruæ, & alijs Dæmonibus quæ plurimę Gentilium nationes, pro pace, pro bello, pro victoria obtenta, pro obtinenda, & quibuſuis alijs impetrandis, aut pro

4. Reg. 23. Hierem. 7. ibique Lyranus.

Deuter. 12.

variis calamitatibus auertendis inſtituebantur, & adhuc quoque ad noſtra vſque tempora, perſeuerant in Indijs Orientalibus & Occidentalibus. Itaque in vna ſola Ciuitate Mexicana, vt aliàs dictum eſt, ſingulis annis pluſquam viginti millia hominum, Dæmonibus ſacrificabantur. Quę crudeliſſima ſuperſtitio, tandem annis ſuperioribus penitus ſublata eſt, prędicato ibi Euangelio, & Chriſtianâ fide ac religione ab omnibus iam ſusceptâ.

Arias, de Imitatione Christi, tomo 1. Tract. 8. cap. 13.

Dæmon dicitur Aſtaroth.

Quòd ſpectat ad Aſtaroth, erat famoſum Sidoniorum Idolum in quo & ſub cuius nomine, ipſi Sidonij Dęmonem adorabant, eique ſacrificabant.

Dagon Dæmonis figura.

Denique idem Dęmon, in Dagone Idolo Philiſtinorum ex auro confecto, non ſolùm figurabatur, verumetiam claudebatur & adorabatur. Ipſius Dagonis figura monſtroſa fuit, vt referunt Hebræi, nam figuram hominis ſuperiùs habebat, inferiùs verò immanis piſcis, & in hoc maximè Dęmonem referebat, quid enim eo monſtroſius qui tot animalium & ferarum conditiones & proprietates habet? Deinde hoc Idolum hanc tenebat effigiem, quia per illam Diabolus ementitam Diuinitatem in terra & mari dominantem, voluit exprimere.

Dagon prӕterea erat Idolum laſciuiæ & turpitudinis, quare autem ſic diceretur, potius ſilentio eſt prætereundum, quàm eloquio explicandum: & in hoc maximè Dęmonem ipſum denotabat, quem ad laſciuiam homines prouocare atque ad fœdiſſima luxuriæ & rei Venereæ opera inducere, pluries diximus: Et eſt etiam quod denotatur in piſcis figura, piſcis enim lubricitatis eſt ſymbolum.

1. Reg. 5. Dagon non potuit coram arca Domini ſubſiſtere, ſed cecidit ſuper faciem ſuam in terram coram arcâ, & caput eius & duę palmę manuum eius abſciſſæ erant ſuper limen: ita Dęmon ſubſiſtere coram Domino nequit, ſed eius caput ac manus, hoc eſt eius potentia & vires confringuntur. Nota igitur, Dæmones nomina Idolorum in quibus regnabant, & ab hominibus colebantur, pluries vſurpaſſe, vt de ſupradicto nomine Beelzebub, Aſtaroth, & alijs conſtat.

SECTIO II.

Dæmon vocatur Zabulus, Aſmodæus, Venator & Piſcator.

APPELLATVR itaque Zabulus à Sanctis Paulino [a], Caſſiano [b], & alijs. Pammelius [c] in lib. Cypriani contra Demetriadem, credit has duas voces *Diabolus*, & *Zabulus*, non eſſe diuerſas, ſed vnam & eandem, apud Græcos ſolâ pronuntiatione Atticâ & Doricâ diſtinctas. B. autem Hieronymus [d] quamuis concedat vocem *Diabolus*, ſimilitudinem habere cum voce *Zabulus*, eſſe tamen intelligendum hanc vocem *Diabolus* tantùm eſſe Græcam. Quicquid ſit, Zabuli nomen pro Diabolo ſumitur: vnde S. Hilarius textum Euangeliſtæ ita legit, *vt tentaretur à Zabulo*. Et quia ſuo loco diximus, illum tentatorem fuiſſe Luciferum Principem Dæmoniorum; ideò Eccleſia in Hymno Angelorum, illum etiam Zabulum vocat,

> *Collaudamus venerantes*, &c.
> *Michaëlem in virtute*
> *Conterentem Zabulum.*

Dæmon appellatur Zabulus.
a *Epiſt.* 2.
b *Lib.* 1. *&* 2.
c *Pammelius.*
d *In cap.* 6. *ad Epheſ. & alibi.*
Cap. 3. *&* 26. *in Matth.*

Dicitur Aſmodæus, hoc eſt Dęmon libidinis, quem vocant Rabbini in Tobiam, *Angelum mortis*; alij *deſtructorem*, propterea quòd ille peſſimus Dæmon qui necauit viros ſeptem Saræ, quæ poſteà Tobiæ iuniori nupſit, hoc nomine donabatur. Hunc Dæmonem ieiunio & oratione ſuperauit ille Tobias iunior, conſilio Raphaëlis Archangeli, quia iuxta verbum Domini apud S. Marcum: *Eſt quoddam genus Dæmoniorum, quod non eijcitur niſi in oratione & ieiunio.* In hiſtoria Tobiæ legimus ipſum S. Raphaëlem, hunc pernicioſiſſimum Dęmonem in ſuperioris Ægypti deſerto ligaſſe, vt illinc ſe ſe mouere & aliò quòpiam euagari non poſſet. Quòd ſi quis ſcire cupiat, quomodo illa alligatio potuit fieri per S. Raphaëlem; nihil certò de modo quo id factum eſt definire poſſumus: probabiliter tamen dicimus id potuiſſe fieri per imperium Raphaëlis, præcipientis Dæmoni illinc non diſcedere, niſi licentiâ præmiſſâ: & quamuis Dęmon ſolo imperio ipſius S. Raphaëlis immò & Dei, ſaluâ ſuæ naturæ libertate non compelleretur, tamen ſicut imperio hominum fit diuina virtute vt Dæmones recedant, exeant &c. ita eâdem virtute credimus Raphaëlem imperaſſe Aſmodæo vt non recederet à de-

Dæmon dicitur Aſmodæus.
Tob. 3.
Mar. 9.
Tob. 8.

ſerto ſuperioris Ægypti, in quo ipſâ diuinâ virtute ligabatur ac detinebatur, ne diſcederet ante licentiam habitam à Deo vel Angelo. De huiuſmodi ligatione per imperium videtur loquutus S. Augu-ſtinus: *Fugantur,* inquit, *Dæmones, vel etiam iuſſu ſuperioribus colligati abſtrahuntur & alienantur à locis ſuis, vt de rebus quibus dominabantur, in quibuſque colebantur fiat voluntas Dei.* Talis autem alligatio Dæmonum, eſt per metaphoram ad ligationem corporalem intelligenda: quemadmodum enim illi qui incarcerantur, & catenis aut chordis alligantur impediuntur ne noceant: ita ſeruata proportione dicitur Dæmonum potentia à Deo vel Angelis ligari, ne hominibus noceant, niſi Deo ipſo permittente.

Lib. de diuinatione Dæmonum cap. 7.

Dæmon dicitur Venator.

Dicitur Venator; ſicut enim venator vel Auceps ad capiendas aues, ſub laqueis & retibus eſcas eis gratas apponit quibus veſcuntur, vt eſcis ipſis attractæ, retibus & laqueis capiantur; ita Dæmon ad incautas capiendas animas ſe gerit, & ſub eius laqueis quod illis nouit eſſe gratum apponit, vt ipſis eſcis attractæ, retibus & laqueis capiantur; cùm enim ſuperbo honorem & dignitatem promittit, cùm auaro pecuniam, cùm lubrico voluptatem, quid aliud agit, quàm ſub eſca laqueum abſcondere, & muſcipulam parare, vt animam capere & irritire valeat? Et quidem de ſuperbis apud Eccleſiaſticum habetur: *Sicut Perdix inducitur in caueam vel foueam; & ſicut Caprea in laqueum; ſic & cor ſuperborum.* Et rectè ſuperbus Perdici & Capræ comparatur; quia ſicut Perdix aliena furatur oua, ſic ſuperbus & ambitioſus alienos honores & alienas dignitates, ad quas nullam aptitudinem habet, aut quibus eſt indignus, furatur: & ſicut Capra ſublimia ſemper appetit, habitatque in montibus, ſic ſuperbus appetit ſuper montem dignitatis aſcendere: Sed nihilominus licèt iſta ſint ſagaciſſima animalia, aſtutiâ tamen aucupis capiuntur: ſic ſuperbi, & quicumque alij peccatores aſtutiâ Dæmonis. Sed animaduerſione dignum eſt id quod Hugo Cardinalis in ſua gloſſa ſuper hunc locum aduertit; nimirum quòd hic notantur duo genera tentationum: quoddam apertum, quod niſi abſconderetur ſub ſpecie alicuius boni, ſtatim ab omnibus percipi poſſet, ſicut eſt fornicatio, & alia huiuſmodi carnalia peccata, & hoc per pedicam quæ ſub terram abſconditur, ſignificatur; aliud latens & ſubtile, quod vix à ſapientibus cognoſcitur, quod per decipulam intelligitur, quæ ſuper ſemitam ponitur. Diabolus igitur quibuſdam decipulam tendit, quibuſdam caueam parat; nouit enim mores hominum, & cui vitio ſint procliues; & illa ponit ante faciem eorum, ad quæ faciliùs videt inclinari mentem; vt blandis & lætis luxuriam & vanam gloriam, aſperis & iracũdis iram & ſuperbiam. Feſtiuè huius venatoris inſidias exemplo

Eccleſiaſtici 11.

Hugo Card. in cap. 11. Eccleſiaſtici.

explicat Vgo Carenſis, ſic enim ſcribit: *Venatores habent in hyeme veſtem pallidam, in æſtate viridem, vt ſcilicet ſemper ſit ſimilis arboribus nemorum, & non poßit cognoſci à beſtijs: ſic Diabolus ſecundùm ſtatus hominum diuerſos, transfigurat ſe & diuerſa ſuggerit.* Hæc ille. Vates Regius ingenti perfundebatur gaudio, quòd altiſſimus cum ab his Dæmonum venatorum laqueis liberaſſet, dum ait: *Quoniam ipſe liberauit me de laqueo venantium.* Per laqueos venantium intelligere debemus dolos, fraudes, & inſidias Dæmonum, à quibus ita ſe liberatum declarat, vt ampliùs ei obeſſe non poſſint. De his Diaboli laqueis habet Apoſtolus: *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum Diaboli:* Et iterùm: *Reſipiſcant à Diaboli laqueis, à quo captiui tenentur.* Vgo Carenſis in Pſal. 90. Pſal. 90. 1. ad Tim. 6. 2. ad Tim. 2.

Dicitur Piſcator; quia in mari magno huius mundi magna ex parte piſcatur homines, quia fur eſt, qui venit vt mactet & perdat: innumeros verò capit homines, quia eis proponit eſcam dulcem, voluptatem ſcilicet quâ homines capiuntur, non attendentes hamum latentem damnationis æternæ. Plato dixit malorum eſcam voluptatem; Et Architas Tarentinus aiebat (referente Cicerone) libidine dominante, temperantiæ nullum locum eſſe, nec in voluptatis regno virtutem poſſe conſiſtere. Non ſolùm hâc eſcâ propoſitâ homines decipit, ſed innumeris fallendi artibus vtitur, quibus miſeros fallit homines, inter quas vna eſt quâ ſe verſutum oſtendit piſcatorem: ſicut enim aſtutus piſcator cùm hamo cepit piſcem grandem, non eum ſtatim in terram extrahit, nec exaſperat aut durâ manu tractat (ſi enim id ageret omnia rumperet piſcis & liber abiret) ſed ei blanditur, largam chordam concedit vt liberè per aquas vagetur; ſic enim hamum omninò deglutit, & laſſatur ac deficit, vt facilè in terram trahi poſſit: ita Dæmon calidiſſimus, miſſo ad te hamo cooperto voluptate aut gloria vana, te cepit & in graue peccatum impulit, quo admiſſo te tenet; ſed ne ab eo diſcedas & vincula eius diſrumpas, aliqua bona opera agere concedit, non vt te dimittat; ſed vt ſecuriùs teneat. Sic Herodem tenebat per adulterium, permittebat tamen vt Sanctum Ioannem Baptiſtam audiret, & eo audito multa faceret; veruntamen cum tandem impulit, vt ipſum S. Ioannem occideret, & demum in æternum periret. Decipit te incautum aſtutus Dæmon, permittens bona aliqua facere, quibus tibi ſecurus videaris, & viam in cœlum agere te credas cùm in infernum properes, quoniam ſi lethali crimine aliquo teneris, omnia tibi inutilia erunt. Aſtutias huius inimici nullus enumerare valet: vnde apud Eccleſiaſticum: *Aſtutias illius quis cognouit?* hâc igitur eſcâ Dæmon dicitur Piſcator animarum. Plato. Cic. de Senect. Simile. Marc 6. Eccleſiaſt. 1.

propoſita, voluptate ſcilicet; ſuperbia vana gloria, & alijs denique aſtutijs, tanquam laqueis, multos miſerè capit, tanquam aſtutus piſcator & illaqueat. De tali captura hominum tanquam piſcium, habetur: *Sicut piſces capiuntur hamo, ſic capiuntur homines in tempore malo*, hoc eſt (ait quidam Doctor) dum non captant opportunitatem benè merendi, & varijs, vanis vagiſque intenti, Diabolus tanquam prædo, inſidiator ac piſcator animarum, bonique ſucceſſus oſor, retia expandit, adaptat hamum, & ſupinos ad ſeria animos, ſeriò captat. Sic Propheta Regius à Diabolo fuit ineſcatus & adhamatus, quia prætermiſſâ & neglectâ occaſione temporis opportuni, loci & circunſtantiarum, bellum aduersùs inimicos gerendi, eo tempore, quo ſolent Reges ad bella procedere, & remaneret in Hieruſalem, ipſe aſtutus Dæmon & piſcator rete & hamum ei adaptauit, in talemque pertraxit perniciem, vt adulterium committeret & perpetraret homicidium; en Diaboli piſcatio: at cùm ipſe Rex factorum pœniteret, miſericotdiam à Deo fuit conſequutus, & ſic Dęmon fuit deceptus.

Eccleſ. 9.

2. Reg. 11.

Chriſtus etiam Piſcator eſt, ſed alio ſenſu, venit enim in hunc mundum, vt homines piſcaretur & ad ſe traheret, non in piſcium interitum, ſed vitam, vt apud S. Ioannem habetur: *Ego veni* (ait) *vt vitam habeant, & vt abundantiùs habeant*, vt relicta ſenſuali vita cœleſtem viuant. Huic eximio optimoque hominum piſcatori, eſca deeſſe non poteſt, multò ſuauior illâ quam Dæmon proponit, ipſa enim delectatio eſt virtutis, & bonorum operum quæ in gratia fiunt, & tandem eſca promiſſio æternorum bonorum. Sed quæſo quis piſcium ſi ratione vtitur (inquit Sanctus Ambroſius) piſcari ſe permittet ab eo qui ei necem machinatur æternam, & eum fugiet qui vitam donat ſine fine manſuram? An non intelligis ô homo, Dæmonem tibi eam eſcam proponere quam piſcator piſci, vt eum capiat & interimat? es-ne adeò demens, qui ſi audieris, cibus hic veneno infectus eſt, nihilominùs illum ſumas & manduces? an non ſæpiùs audiſti in delectatione ſenſuali, in rapta aliena ſubſtantia peccatum eſt, mors in olla hac eſt? vis abſconditam in eo mortem tibi manifeſtam? audi Sapientem: *Homo per malitiam occidit animam ſuam.*

Chriſtus eſt Piſcator & quomodo. *Ioan. 10.*

Lib. 5.

Sap. 16.

SECTIO III.

Dæmon vocatur Abadon, Malleus vniuerſæ terræ & Princeps mundi.

APPELLATVR Abadon, Hebraïcè, *Apollyon* Græcè, id eſt exterminator vel exterminans, & exterminationis Dux, quia omnia exterminare poſſe videtur, & potiſſimùm homines, erga quos tanto odio afficitur, vt profectò niſi à Deo impediretur, eos exterminaret, & in interitum ſempiternum duceret. Dæmon vocatur Abadon, & cur.

Dicitur Malleus vniuerſæ terræ apud Hieremiam *Quomodo*, inquit, *confractus & contritus eſt Malleus vniuerſæ terræ?* ſed à quo fuit ille Malleus confractus & contritus? ab ipſo Christo qui proindè dicitur Adamas in Prophetia Amos: *Ecce Dominus ſtabat ſuper murum litum, & in manu eius trulla cæmentarij*: Septuaginta tranſtulerunt: *Ecce vir ſtabat ſuper murum adamantinum, & in manu eius adamas.* Ex communi itaque SS. Patrum interpretatione, Christus eſt ille lapis Adamas, quem vidit Amos Propheta, & quia indomabilis eſt, comparatur adamanti Indico & Arabico, qui ſi ponantur ſuper incudem & grauibus validiſque mallei ictibus feriantur, potiùs incus & malleus diſſiliunt & franguntur, quàm ipſi conterantur, & proindè maximi ſunt pretij: non verò comparatur Adamantibus Macedonico & Cyprio, qui non tantam habent duritiem, vt ex Xenocrate aduertit S. Hieronymus in præfatum Amos locum. Christus ergo vt indomabilis adamas confregit ac contriuit malleum vniuerſæ terræ, hoc eſt Diabolum: quod expendens Origenes hæc habet: *In proditione ſaluatoris malleus Zabulon, id eſt Diabolus, malleator Iudas fuit, ſed Chriſtus confregit malleum in deſerto cum tentatus Dæmonem proſtrauit: contriuit autem penitùs in paſſione ſimiliterque confringitur à nobis, cùm venimus ad Eccleſiam per fidem, conteritur autem cùm pia opera perficimus, iuxtà illud Apoſtoli ad Romanos: Deus autem conterat Sathan ſub pedibus veſtris*, hęc Origen. Ex qua quidem Origenis auctoritate, conſtat etiam iuſtos & ſanctos, tãquam Adamantes ſolidiſſimos & fortiſſimos, poſſe quoque fultos diuina gratia Sathanam conterere: vnde de illis pariter eadem Amos authoritas à S. Hieronymo ibidem ſecundùm Anagogen exponitur; ſtat enim Dominus ſuper ipſos ſanctos, eos iuſtificans, protegẽs, defendens, quos tanquã murum validum ſtatuit ad ſuæ Eccleſiæ de-

Hierem 50. Dæmon dicitur malleus vniuerſæ terræ.

Amos 7.

S. Hieron. in 7. Amos.

Hom. 3 ſuper Hierem.

Rom. 16.

fenſionem: *Quibus* (inquit S. Hieronymus) *donauit vt & ipſi adamantes vocarentur, & à nullo ſuperari poſſent*, immò, vt dixit ſuprà Origenes, malleum vniuerſæ terræ, hoc eſt ipſum Dæmonem ſuperarent & confringerent, nec non etiam quoſcumque impios & maleſatores ipſos, contumelijs, rapina, odio, incitatione ad malum ferentes, côtererent, & magis ac magis polirentur, atque perficerentur.
Rom. 8. Sicque cum Apoſtolo dicere poſſent: *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio, an anguſtia*, &c.

Dæmon dicitur Princeps mundi. Ioan. 14. Dicitur Princeps mundi à Chriſto: *Venit Princeps mundi huius, & in me non habet quidquam*, hoc eſt, Dęmon per ſe & ſuos miniſtros, eſt mortem meam machinatus, ſed in me qui nullo ſum peccato contaminatus, non habet quod poſſit tollere aut rapere; ſicut in hominibus impijs habet animam quam rapit ducitque ad inferos. Eodem Principis mundi nomine, donatur iterum ab ipſo Chriſto
Ioan. 12. apud S. Ioannem: *Nunc Princeps huius mundi eijcietur foras*, &c.
Ioan. 16. Et item, *Princeps huius mundi iam iudicatus eſt*. Fuit ille mundi Princeps, qui tyrannidem & principatum ſibi vſurpauerat, iudicatus & foras eiectus, quando Chriſtus Redemptor mundum vicit, & ipſius Dęmonis iugum à ceruicibus hominum ſua cruce depulit, eoſque ab eius captiuitate redemit. Sed quęrunt nonnulli quid propriè mundi nomine ſignificetur, dum Diabolus Princeps mundi nuncupatur. Et
S. Baſil. reſpondet S. Baſilius in Homilia, cui titulus eſt: *Quod Deus non ſit auctor malorum*, his verbis: *Idcircò Diabolus mundi Princeps appellatur quoniam circa terras eſt eius imperium*, &c. videtur mundum pro ipſa mundi fabrica ac machina accipere, atque ſic docere Diabolum eſſe ipſius mundi Principem, & in eo circà terras dominari, atque principatum & tyrannidem habere; ſed tamen ipſi machinæ mundi propriè loquendo non dominatur, at benè impijs hominibus qui in mundo habitant & flagitijs ſe ſe mancipant, peccatumque eis ſicut ſeruis dominatur, iuxtà illud Chriſti apud S. Ioan-
Ioan. 8. nem: *Qui facit peccatum ſeruus eſt peccati*, & vt habet Apoſtolus:
2. Ad Tim. 2. *A Diabolo captiui tenentur ad ipſius voluntatem*, &c. Quo fit vt ipſe
Iob 41 Dęmon dicatur à S. Iob: *Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ*. His ſuffragatur S. Auguſt. dum metonymicè continentem mundum accipi putat, pro hominibus contentis. Dicuntur mundus, homines mundi incolæ & amatores, qui mundum & creaturas pluſquam Deum diligunt, horum Princeps eſt Diabolus.

Aliqui reperiuntur qui putant, & non incongruè, Dæmonem dici mundi Principem à Chriſto propter idololatriam, in idolis enim
Pſal. 95 toto orbe colebatur, iuxtà illud Pſalmiſtæ; *Omnes Dij Gentium Dæmonia*, mundi igitur idola colentis Princeps erat. Hunc Principatum vocat

tum vocat S. Cyrillus adulterinum: *Adulterinum* (inquit) *Diabolo principatus nomen eſt, non naturâ ſed errantium prauitate perdurans, &c.* Lib.10.c.40.

Excutiamus itaque à ceruicibus noſtris, Principis huius Tartareum iugum, imperiumque duriſſimum Pharaonis huius, qui luteis nos operibus diriſque ſceleribus vrget ac premit: vnde Hieremias: *Seruietis Dijs alienis die ac nocte, qui non dabunt vobis requiem, &c.* In Hierem.16. quæ verba S. Hieronymus ſic ſcribit: *Quicquid peccamus, quicquid die ac nocte facimus, & malorum operum perpetramus, imperium eſt Dæmonum, qui nunquam nobis dant requiem, ſed ſemper impellunt delictis augere delicta, & cumulum facere peccatorum, &c.* En igitur S. Hieron. principis huius imperium, illud eſt à nobis ſedulò fugiendum & execrandum.

SECTIO IV.

Dæmon Pirata nuncupatur, Tortor & Carnifex, impius, malus, nequiſſimus, malignus & inimicus.

DÆMON quoque Pirata vocatur, quia in mundo tanquam in mari magno, inter prædones & piratas principem locum obtinet, ſummâ namque attentione inuigilat, vt homines qui tanquam naues per illud diſcurrunt, capiat; tantoque maiori aſtu, quantò aliquem viderit pretioſioribus mercimonijs, hoc eſt virtutibus & meritis onuſtum. Dæmon vocatur Pirata.

Dicitur Tortor & Carnifex, quia nihil quærit aliud quàm vt ſibi obſequentes torqueat, & hi miſeri multùm in hoc ſæculo patiuntur, & plura in futuro. Dæmon dicitur Tortor & Carnifex.

Vocatur etiam impius, malus, nequiſſimus, malignus & inimicus in Scriptura Sacra. Impius vt in hiſtoria Sancti Iob: *Terra data eſt in manus impij*, hoc eſt Dęmonis, vt Polichronius, Philippus Diaconus, Cajetanus, & Euſebius hunc Iobi locum exponentes ſentiunt. Et iterum idem S. Iob: *Nunquid bonum tibi videtur, &c. & conſilium impiorum adiuues?* Id eſt Dæmonum, iuxta Olympiodorum, & Philippum. Dæmon vocatur impius. Iob 9. Iob 10.

Malus dicitur abſolutè per antonomaſiam & cum emphaſi à Chriſto Domino, non quòd naturâ malus ſit, ſecundùm quam eſt Dei Dæmon vocatur malus.

ſenſionem: *Quibus* (inquit S. Hieronymus) *donauit vt & ipſi adamantes vocarentur, & à nullo ſuperari poſſent*, immò, vt dixit ſuprà Origenes, malleum vniuerſæ terræ, hoc eſt ipſum Dæmonem ſuperarent & confringerent, nec non etiam quoſcumque impios & malleatores ipſos, contumelijs, rapina, odio, incitatione ad malum ferentes, côtererent, & magis ac magis polirentur, atque perficerentur. Sicque cum Apoſtolo dicere poſſent: *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio, an anguſtia,* &c.

Rom 8.

Dæmon dicitur Princeps mundi
Ioan. 14.

Dicitur Princeps mundi à Chriſto: *Venit Princeps mundi huius, & in me non habet quidquam,* hoc eſt, Dæmon per ſe & ſuos miniſtros, eſt mortem meam machinatus, ſed in me qui nullo ſum peccato contaminatus, non habet quod poſſit tollere aut rapere; ſicut in hominibus impijs habet animam quam rapit ducitque ad inferos. Eodem Principis mundi nomine, donatur iterum ab ipſo Chriſto apud S. Ioannem: *Nunc Princeps huius mundi eÿcietur foras,* &c. Et item, *Princeps huius mundi iam iudicatus eſt.* Fuit ille mundi Princeps, qui tyrannidem & principatum ſibi vſurpauerat, iudicatus & foras eiectus, quando Chriſtus Redemptor mundum vicit, & ipſius Dæmonis iugum à ceruicibus hominum ſua cruce depulit, eoſque ab eius captiuitate redemit. Sed quærunt nonnulli quid propriè mundi nomine ſignificetur, dum Diabolus Princeps mundi nuncupatur. Et reſpondet S. Baſilius in Homilia, cui titulus eſt: *Quod Deus non ſit auctor malorum,* his verbis: *Idcircò Diabolus mundi Princeps appellatur quoniam circà terras eſt eius imperium,* &c. videtur mundum pro ipſa mundi fabrica ac machina accipere, atque ſic docere Diabolum eſſe ipſius mundi Principem, & in eo circà terras dominari, atque principatum & tyrannidem habere; ſed tamen ipſi machinæ mundi propriè loquendo non dominatur, at benè impijs hominibus qui in mundo habitant & flagitijs ſeſe mancipant, peccatumque eis ſicut ſeruis dominatur, iuxtà illud Chriſti apud S. Ioannem: *Qui facit peccatum ſeruus eſt peccati*, & vt habet Apoſtolus: *A Diabolo captiui tenentur ad ipſius voluntatem*, &c. Quo fit vt ipſe Dæmon dicatur à S. Iob: *Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ.* His ſuffragatur S. Auguſt. dum metonymicè continentem mundum accipi putat, pro hominibus contentis. Dicuntur mundus, homines mundi incolæ & amatores, qui mundum & creaturas pluſquam Deum diligunt, horum Princeps eſt Diabolus.

Ioan. 12.
Ioan. 16.
S. Baſil.
Ioan. 8.
2. Ad Tim. 2.
Iob 41

Aliqui reperiuntur qui putant, & non incongruè, Dæmonem dici mundi Principem à Chriſto propter idololatriam, in idolis enim toto orbe colebatur, iuxtà illud Pſalmiſtæ; *Omnes Dÿ Gentium Dæmonia*, mundi igitur idola colentis Princeps erat. Hunc Principatum vocat

Pſal. 95

tum vocat S. Cyrillus adulterinum: *Adulterinum* (inquit) *Diabolo principatus nomen eſt, non naturâ ſed errantium prauitate perdurans, &c.* Lib.10.c.40.

Excutiamus itaque à ceruicibus noſtris, Principis huius Tartareum iugum, imperiumque duriſſimum Pharaonis huius, qui luteis nos operibus diriſque ſceleribus vrget ac premit: vnde Hieremias: *Seruietis Dijs alienis die ac nocte, qui non dabunt vobis requiem, &c.* In quæ verba S. Hieronymus ſic ſcribit: *Quicquid peccamus, quicquid die ac nocte facimus, & malorum operum perpetramus, imperium eſt Dæmonum, qui nunquam nobis dant requiem, ſed ſemper impellunt delictis augere delicta, & cumulum facere peccatorum, &c.* En igitur principis huius imperium, illud eſt à nobis ſedulò fugiendum & execrandum. Hierem. 16. S. Hieron.

SECTIO IV.

Dæmon Pirata nuncupatur, Tortor & Carnifex: impius, malus, nequiſſimus, malignus & inimicus.

DÆMON quoque Pirata vocatur, quia in mundo tanquam in mari magno, inter prædones & piratas principem locum obtinet, ſummâ namque attentione inuigilat, vt homines qui tanquam naues per illud diſcurrunt, capiat; tantoque maiori aſtu, quantò aliquem viderit pretioſioribus mercimonijs, hoc eſt virtutibus & meritis onuſtum. Dæmon vocatur Pirata.

Dicitur Tortor & Carnifex, quia nihil quærit aliud quàm vt ſibi obſequentes torqueat, & hi miſeri multùm in hoc ſæculo patiuntur, & plura in futuro. Dæmon dicitur Tortor & Carnifex.

Vocatur etiam impius, malus, nequiſſimus, malignus & inimicus in Scriptura Sacra. Impius vt in hiſtoria Sancti Iob: *Terra data eſt in manus impij*, hoc eſt Dęmonis, vt Polichronius, Philippus Diaconus, Cajetanus, & Euſebius hunc Iobi locum exponentes ſentiunt. Et iterum idem S. Iob: *Nunquid bonum tibi videtur, &c. & conſilium impiorum adiuues?* Id eſt Dæmonum, iuxta Olympiodorum, & Philippum. Dæmon vocatur impius. Iob 9. Iob 10.

Malus dicitur abſolutè per antonomaſiam & cum emphaſi à Chriſto Domino, non quòd naturâ malus ſit, ſecundùm quam eſt Dei Dæmon vocatur malus.

creatura, ſed quia eſt omnis malitiæ author, in ſe & hominibus, & eſt in ſua malitia omnino obfirmatus & inflexibilis, atque etiam quia praua voluntate omnem malitiæ nequitiam continet. Vt ſępè annotauit S. Auguſtinus, ſicut Deus dicitur abſolutè qui eſt, aut ens, quia omnium entium rationes in ſe altiſſimè prahabet. Vnde Chriſtus iterùm apud S. Matthæum ait: *Omnis qui audit verbum Regni & non intelligit, venit malus, & rapit quod ſeminatum eſt in corde ipſius,* id eſt, *venit Diabolus*, vt clariùs expreſſit S. Lucas. Et hinc liquet Dęmonem malum dici per antonomaſiam, ita in oratione Dominica, *Sed libera nos à malo,* [a] id eſt à Diabolo, vt SS. Gregorius Nyſſenus [b], & Chryſoſtomus [c] exponunt. Sicut namque Deus dicitur abſolutè bonus per antonomaſiam, vt aiebat Chriſtus apud B. Marcum [d]: *Nemo bonus niſi ſolus Deus:* quia in ſeipſo habet totius bonitatis rationem, quæ in creatura quauis reperitur, eminentiori & excellentiori modo: ita Diabolus abſolutè vocatur malus, quia omnem malitiæ rationem, & quicquid noxium in quouis venenato crudelique animali reperitur, eminentius pręhabet: & inde communiter Angelus malus dicitur; quod quidem nomen ratione officij ſibi reuerà competit, quoniam malorum eſt denuntiator peſſimus, quinimo effector iniquiſſimus, qui ſemper mala cogitat, ſuadet, efficit, & molitur. Qua etiam de cauſa ab Apoſtolo vocatur abſolutè nequiſſimus, qui ſupremam nequitiæ cuiuſlibet rationem pręhabeat: & dat rationem S. Thomas in illum locum Apoſtoli; *Quia* (inquit) *quantò melior eſt Dæmon ſecundùm naturam, tantò quando conuertitur ad malum eſt peior & nequior.* Ob eaſdem rationes vocatur etiam in ſcriptura per antonomaſiam, *malignus,* ſic dicit S. Ioannes, *ſcribo vobis adoleſcentes quia viciſtis malignum.* Congruè autem malignus dicitur, ſi rationem grammaticam quam S. Thomas & alij afferunt, conſideres; quia malo igne eſt ſuccenſus, & ſuccendens; ſuccenſus quidem non ſolùm igne infernali quo torquetur, verumetiam igne ſuperbię. *Superbia eorum qui te oderunt aſcendit ſemper;* Inflammatus quoque igne inuidiæ & odij contra hominem: eſt etiam ſuccendens, quia illomet igne totum mundum ſuccendere nititur, igne (inquam) ſuperbiæ, odij, luxurię, auaritiæ, &c. Hinc *totus mundus in maligno,* id eſt in malo igne ſuccenſo à Dæmone, *poſitus eſt.*

Inſuper dicitur inimicus, & hoſtis, propter inimicitiam quam poſuit in initio mundi inter Deum & hominem, & propter illam quam vſque modò, & cum ipſo Deo & cum hominibus ſeruat, vt ſatis fuſè hoc in tractatu oſtendimus. De tali inimico loquebatur Regius Vates, dum dicebat; *Vſquequo exaltabitur inimicus meus?* Et iterùm;

S. Auguſt. — *Matth. 13.* — *Luc. 8.* — *a Matth. 6.* — *b Lib. de Orat. Dominic.* — *c Homil. 20. in Matth.* — *d Marci 10.* — Dæmon vocatur nequiſſimus. — *Epheſ. 6.* — Dæmon dicitur malignus. — *1. Ioan. 2.* — *Pſalm. 73.* — *1. Ioan. 5.* — Dæmon eſt inimicus & hoſtis. — *Pſalm. 12.*

Qui tribulant me inimici mei: ; Et alia ſimilia quæ in ipſo pſalterio clarè leguntur. Ita Chriſtus illum vocauit inimicum loquens de zizanijs in agro Patris familias, apud S. Matthæum; *Inimicus homo* (inquit) *hoc fecit.* Antiqui Timonem quendam hominum inimicum vocitarunt; at longè potiori titulo, Dæmon hoc nomine donari debet, cùm enim videt Deum ipſos homines amore proſequi, tanto maiori odio eos habet. Eo itaque ſolo quòd ipſe Dęmon eſt inimicus noſter, & ſe omni tempore talem exhibuit; & multorum ruinæ & perditionis cauſa fuit, toto conatu eius tentationibus & malis ſuggeſtionibus reſiſtere debemus, eumque contemptui habere, id enim ægrè admodum fert, cùm ſit ſuperbus, & omnium ſuperborum princeps. Quis quæſo confidere vellet irreconciliabili inimico qui eius vitam & famam eſt machinatus? & quis neſciat Dæmonem eſſe huiuſmodi inimico homine peiorem & ad nocendum potentiorem? Eſt igitur illi fortiter reſiſtendum, iuxtà id quod habet S. Iacobus; *Reſiſtite Diabolo, & fugiet à vobis.* Non oportet multa agere, ſed tantùm reſiſtere: & ſolâ reſiſtentiâ ita eum ſuperauit Chriſtus, vt ad accipiendam fugam coëgerit. Et quæſo quis poſſet nocere eis quos fugit? Alia in medium adferemus poſtea, aduerſùs tentationes & vexationes diabolicas remedia.

Pſalm. 26. *Matth. 13.* *Iacob. 4.*

Tot & tanta alia ſunt nomina ipſi Dæmoni conuenientia ; vt non ſine cauſa Poëta prudens, & poſt illum clariſſimi viri , illi tribuerint nomina mille, mille nocendi artes: & in ſumma dicitur Spiritus mendax 3. Reg. 22. Spiritus ſeductor 1. ad Timoth. 4. Viarum inſidiator vt habet S. Cyrillus, quia continuò nobis in via præſentis vitæ inſidiatur, & hinc coluber in ſemita in ſcriptura appellatur. Deinde dicitur deriſio Angelorum Dei, ſpurcitia iuſtorum, Princeps inferorum, &c. Et quia maximè habet in votis vt homines ruant in interitum, vocatur Princeps perditionis, inquinatus, inuidus, perditor infidus, peſſimus; & in Sacra Scriptura vocatur Spiritus erroris, vertiginis, mendacij, nequam, diuinationis, blaſphemiæ, tumoris, immundus, fornicationis, & huiuſmodi: quibus nominibus vitioſi eius naturæ mores haud obſcurè deprehenduntur. Hæc igitur videntur præcipua Dæmonis nomina cum his quatuor quę conſultò iam in medium adduximus, cap. 4. Sect. 1. huius tractatus, & quæ per totum illum tractatum ſparſa ſunt; Et illa nomina, vt iam monuimus, maximè ei competunt, ſiue ad eius deſignandas proprietates, ſiue quia idolorum nomina in quibus, aut ſub quibus ſe ſe exhibuit adorandum, vſurpauit: vel etiam quia ſub diuerſis animalium aut aliarum rerum figuris apparuit. Hęc igitur ſufficiant.

CAPVT XII.

De armis ſpiritualibus & medijs, nobis ad aſtutias, tentationes & ſuggeſtiones Dæmonum propulſandas, neceſſarijs.

2. Reg. 1. VIDENS Dauid, Regem Saül, Principem Ionatham, & inclytos Iſraël, ſagittis Philiſtinorum vulneratos, cecidiſſe in montibus Gelboe; ſtatim initio regni ſui pręcepit filijs Iſraël vt addiſcerent artem ſagittandi, quâ ſe poſſent ab acutis Philiſtinorum ſagittis protueri. Omnes homines incipientes ab Adamo, venenatis Dæmonum ſagittis vulnerati cadebant; & ideò Chriſtus Dauid myſticus, initio regni ſui & prędicationis Euangelij, artem ſagittandi nos edocere voluit, per quam verſutiſſimorum illorum telis & tentationibus atque ſuggeſtionibus, reſiſtere poſſemus. Id autem præſtare incepit, dum in deſertum à Spiritu Sancto ductus, vt in præcedentibus dictum eſt, inſtruxit & informauit nos, qualiter muniri debeamus, vt ſagittarum vim tantorum inimicorum valeamus infirmare, & vt ait Sanctus Chryſologus: *Vbi, & quando, quomodo, & quibus armis, confligendum ſit, nobis triumphali conſtitutione ſignauit.* (Serm. 12.) Et Sanctus Chryſoſtomus, docet Euangeliſtam ſtatim in principio curaſſe exprimere arma quibus Chriſtus munitus inceſſit, vt ad eadem reſumenda nos excitaret; ad victoriam namque reportandam ſummè conducunt arma opportuna, quibus ipſi Dæmones fugantur. (Hom. 13. in Matth.) (Arma ſpiritualia contra Dæmones.) Dicendum ergo præſenti capite, de armis illis ſpiritualibus atque remedijs, aduersus eorum tentationes & ſuggeſtiones, necnon ad illos fugandos; Et capite 14. de ijſdem armis & remedijs alijſque nonnullis dicendum erit, inquantùm à Chriſto & ab Eccleſia aſſignantur, ad eoſdem expellendos à corporibus humanis, & quędam exempla ſubijciemus.

SECTIO I.

De aſſiſtentia ſpiritus Sancti, atque de ieiunio & oratione, ad Diabolicas ſuggeſtiones & tentationes propulſandas.

DVM Dæmon eſt in deſerto Chriſtum aggreſſus, vt anteà diximus, duobus potiſſimùm armorum generibus, ipſe Chriſtus ſe muniuit & armauit; vnum eſt ex parte Dei, aſſiſtentia ſcilicet Spiritus Sancti, eius virtus & fauor, nam ab eo ductus eſt; alterum: ex parte ſui, validum ſcilicet aſperumque ieiunium. Ita ſi eum vincere exoptemus, duo illa armorum genera, præ reliquis ſunt nobis valdè neceſſaria; his enim facilè poterimus illum ſuperare, & maximè quia iam eſt à Chriſto ſuperatus.

Quod primò ad Spiritus Sancti aſſiſtentiam ſpectat; certiſſimum eſt illam nobis multùm eſſe neceſſariam, nam niſi eius motu, impulſu, fauore, ac virtute tanquam armis ſpiritualibus validiſſimis muniamur, & in bello noſtro aduersùs verſutiſſimi hoſtis inſidias, tentandi artes & fallacias nobis adſit, indubiè victoriam haud conſequemur, & filiorum Dei conſortio nequaquam aggregabimur, nam ſolùm iuxtà illud Sancti Pauli: *Qui ſpiritu Dei aguntur hi ſunt Filij Dei*, Spiritus enim Sanctus eſt qui viuificat, roborat, vires ſuggerit, & confortat. Fuit Pelagianorum præcipua hæreſis aſſerentium hominem poſſe omnes Diaboli incurſus viribus proprijs ſuperare, abſque peculiari Spiritus Sancti fauore, vt ſæpè referunt Sancti Patres: Et notanter S. Auguſtinus, cuius præcipuum inſtitutum fuit hunc errorem reuincere, & Sanctus Hieronymus peculiaribus libris contra Pelagianos editis. Nobis autem tanquam certiſſimum Catholicæ fidei dogma ſupponendum, eſt primum armorum genus, quo nos oportet muniri ad Dæmonem vincendum eſſe diuinum fauorem & gratiam, quam propterea (inquit S. Baſilius) die ac nocte implorare debemus, orantes & dicentes: *Deus in adiutorium meum intende*: Ipſe Sanctus quaſdam Homilias de Baptiſmo edidit, in quibus multa ſcitu digna explicat de ipſo Baptiſmo & eius effectu; quoniam autem notum eſt Diabolum ſtatim mouere bellum contra baptiſatos, aliam ſubdit Homiliam cui titulum poſuit, quòd ſine diuina virtute & gratia nullus poſſit reſiſtere Sathanæ: vnde & ita incipit:

Spiritu Sancti aſſiſtentia aduersùs Dæmones.

Rom. 8.

S. Aug.

S. Hieron.

Hom. de Baptiſmo, pag. 230.

Habetur pag. 255. *Quibus ineſt diuina lex non atramento, & litteris inſcripta, ſed Spiritu Dei viuentis, nec tabulis lapideis impreſſa, ſed tabulis cordis carnalibus inſita, illi mentis oculi illuminati exactè ſciunt, quàm impoßibile ſit proprys viribus offendicula verſuti hoſtis vincere, niſi inſuperabilis potentia Dei ſuccurrat. Qui Verbi Dei honore cumulati non ſunt, y fruſtra inflati, libero ſe putant arbitrio peccati occaſiones inanire poſſe, &c.* Vt hanc doctrinam S. ille Baſilius confirmet, varia Scripturæ Sacræ loca in medium adducit, & primò ex Pſalmis; Vates enim Regius de viro iuſto dicturus quòd eſſet Diaboli impugnationes ſuperaturus ait: *Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem*, ſupponit prius illum munitum diuino adiutorio & cœleſti Spiritus Sancti protectione: *Qui habitat*, inquit, *in adiutorio altiſſimi; in protectione Dei cœli commorabitur.* Impoſſibile namque eſt (inquit Sanctus Baſilius) ambulare ſuper aſpidem & baſiliſcum, & conculcare leonem, & draconem, ei qui non priùs ſeipſum quatenus homini poſſibile eſt, repurgauit, vt poſſit corroborari ab eo qui Apoſtolis dixit: *Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſuprà ſerpentes & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici.* Si humana natura extrà Spiritus Sancti panopliam, Diaboli inſidijs reſiſtere poſſet, vtique ab Apoſtolo dictum non eſſet: *Deus autem pacis conterat Sathanam ſub pedibus veſtris velociter.* Itaque qui diuinæ gloriæ (inquit idem S. Baſilius) particeps eſſe cupit, opus habet vt ex omni corde ac virtute, noctes ac dies diuinæ potentiæ auxilium ambiat, & eius gratiæ fauorem imploret, ſi cum Dæmone congreſſurus, victoriam reportare exoptet.

Pſalm. 90. — Luc. 10. — Rom. 16.

Ieiunium valdè vtile contra Dæmonũ tentationes. Quoad ſecundum videlicet ieiunium, illud quoque valdè vtile, immò & neceſſarium videtur, ad tantos hoſtes noſtros vincendos, nam ſi illo eoque valido & aſpero tanquam fortiſſimo armorum genere; ſe muniuit cum Dæmone congreſſurus, licet iam ex parte Dei munitus eſſet ad pugnam, Spiritus Sancti donis; quis noſtrum aduersùs fortiſſimum illum hoſtem, ſe victoriam reportaturum ſperat, niſi eodem armorum genere munitus? Aduerte tamen ipſum ad victoriã de tali hoſte reportandam ieiunio non indiguiſſe, illud nihilominùs præmittere voluiſſe vt nos inſtrueret illo quoque muniri debere, ſi pariter deuincere illum cupiamus. Hinc Sanctus Ambroſius: *Chriſtus ſanè (inquit) non egebat ieiunio ad vincendum, & nihilominùs illud arripuit vt priùs oſtenderet opere quod poſteà docturus erat ſermone.* Et hinc apud S. Lucam aiebat: *Cauete ne grauetur cor veſtrum in vino & crapula*; vtque nos inſtrueret ad victoriam comparandam, eſſe quidem in primis neceſſarium Spiritus Sancti fauorem, ſed oportere etiam adhibere mortificationes & pœnitentiæ opera, qui-

Lib. 4. in Luc. — Luc. 21.

bus carnem noſtram ſubijciamus: *Ieiunans* (inquit Origenes) *vincit, & vt tu ſcias huiuſmodi genus Dæmoniorum, ieiunijs & orationibus ſuperandum, iuxta id S. Matthæi, hoc genus Dæmoniorum non eijcitur niſi in oratione & ieiunio.* Vnde Sanctus Paulus: *Cum infirmor,* per ieiunium & carnis mortificationem: *Tunc fortior ſum & potens,* ſupple ad Dæmones ſuperandos; cùm enim illi oblectentur crapulâ & otio corporis, vim ieiunij valdè metuunt; ipſo enim eorum vincuntur tentamenta, proſternuntur vitia, & caro humiliatur, vt ait Sanctus Iſidorus. Quod conſiderantes plurimi Sancti viri, carnem ſuam acerbis ieiunijs macerare conſueuerunt, planè agnoſcentes illud armorum genus eſſe inimicis inuiſibilibus terribile, eoſque in fugam conuertere. Præ reliquis ſit exemplum de S. Antonio, vt de illo refert S. Athanaſius; poſtquam enim ille, gratiæ diuinæ fauore ſe munitum confidebat, & carnem ſuam multâ abſtinentiâ, vigilijs & mortificationibus, penè confecerat; omnes tenebrarum Principes ad bellum prouocabat, quos magnæ contumeliæ verbis proſequebatur, eos vocans viles, infirmos, inertes, & totius potentiæ expertes.

Origenes. *Matth. 17.* *2. Cor. 12.* *S. Iſidorus.* *S. Athan. in vita S. Anto.*

Quoniam autem eſt ieiunium orationi annectendum, iuxtà allatam Saluatoris ſententiam apud Sanctum Matthæum: ideò ad arma ſpiritualia quibus vincuntur & pelluntur Dæmones, venit nunc addenda ipſa Oratio, tanquam aduerſùs illorum impetus, præſentiſſimum remedium à Chriſto ipſo præſcriptum, apud S. Marcum: *Vigilate & orate ne intretis in tentationem*: Eodem remedio vtebatur Apoſtolus dum dicebat, *datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ Angelus Sathanæ qui me colaphizet, propter quod ter Dominum rogaui vt diſcederet à me, & dixit mihi ſufficit tibi gratia mea,* quibus verbis oſtendit Apoſtolus maximè in tentatione, ad gratiæ Dei thronum eſſe recurrendum, vt dignetur illam nobis illo tempore largiri, & ſuo benigno auxiliari præſidio. Et vt noſtra exaudiatur oratio, debet eſſe feruens ac frequens, cùm ipſum Apoſtolum videamus ter Dominum rogaſſe, hoc eſt frequenter & inſtanter, ternarius enim numerus eſt perfectus. Et forſitan triplici oratione ſe volebat in ſuo certamine munire, cùm ſciret Chriſtum etiam oratione ter repetitâ, ante certamen paſſionis ſe præmunire voluiſſe: *Et factus in agonia prolixiùs orabat. Et factus eſt ſudor eius ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram*; & Angelus eum confortauit. Profectò qui tali oratione ante certamen quatenus homo erat, ſe muniuit, apertè inſtruit, quo affectu debeat vnuſquiſque Spiritus Sancti gratiam & fauorem implorare, procurare & quærere, cùm Dæmone congreſſurus. Debemus quoque in noſtra oratione perſeuerare, nec deſiſtere, quouſ-

Oratio annectenda ieiunio aduerſus Dæmonum tentationes. *Marci 14.* *2. Cor. 12.* *Lucæ 22.*

quæ ab illis tentationibus nos eſſe liberos animaduerterimus, exẽplo Abrahæ, qui à mane ad veſperam importunas volucres flagello abigebat, nam quæ ſunt quæſo tentationes niſi quaſi aues importunæ quæ ad committenda peccata nos inducunt? Itaque orationis flagello illas abigere & fugare debemus. Mulier etiam Chananæa quæ
Matth. 15. Chriſtum pro Dæmoniaca filia ſua precabatur, vt refert S. Matthæus, ſit nobis in Dæmonum tentationibus & vexationibus perſeuerantis orationis exemplum, illa quippè ſuam eſt proſequuta orationem, quouſque ab eo audiret: *O mulier magna eſt fides tua, fiat tibi ſicut vis.*

Aduerte porrò modum vincendi Dæmonum tentationes, eoſque per orationem à nobis abigendi, fundari in communi lege orationum, maximè in promiſſione Chriſti multis in locis, quas reliquit Deus vt remedium vniuerſale hominum, non ſolùm ad bona quæcumque obtinenda, verùm & ad omnia propulſanda mala, inter quæ mala annumerari debent Dæmones & eorum tentationes & infeſtationes: vnde quando Chriſtus docuit nos orare, & quid petere debeamus, iuſſit precari vt non ſolùm non ingrediamur in tentationem, ſed vt liberet nos à malo, id eſt Diabolo, vt omnes Græci S. Nyſſenus, S. Cyrillus, Euthymius, S. Chyſoſtomus, Theophylactus, & alij nonnulli exponunt, verumetiam & ex Latinis S. Ambroſius, Caſſianus, &c. Opportunum quoque maximè eſt, contra maligni ſpiritus tentationes & prauas ſuggeſtiones, ad manum habere iaculatorias orationes è ſcripturis depromptas, quibus velociter conteratur Sathanas ſub pedibus noſtris. Hæc ſunt eloquia breuiter eiaculãda à cordis noſtri arcu & pharetra, de quibus Pſaltes ait: *In corde meo*
Pſal. 118. *abſcondi eloquia tua, vt non peccem tibi.* Si ergo vana gloria inflat,
Pſalm. 113. ora, & lege: *Non nobis Domine non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.*
Pſalm. 50. Si ſuſpicio praua aut ſuggeſtio immunda te premit, ora & lege: *Cor mundum crea in me Deus, &c.* Si caro aut carnalis cogitatio ſtimulat,
Pſalm. 118. ora & lege: *Confige timore tuo carnes meas, &c.* Si impatientia incurrit & te conturbat, ora & lege; da patientiam Domine & pacem ſeruo tuo, ne perdam coronam animæ meæ, quia dixiſti: *In patien-*
Luc 21. *tia veſtra poſſidebitis animas veſtras:* Si affectus rerum temporalium
Pſalm. 118. occurrat, ora & lege: *Inclina cor meum Deus in teſtimonia tua, & non in auaritiam:* Si cibus & potus te tentant, ora & lege; *Non eſt re-*
Rom. 14. *gnum Dei eſca & potus, ſed gaudium & pax in Spiritu Sancto:* Si acedia impugnat, ora & lege: *Dormitauit anima mea præ tædio, con-*
Pſalm. 118. *firma me in verbis tuis:* Si torpor aliquis aut triſtitia aliqua praua te
Pſalm. 50. vexat, ora & lege: *Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, &c.* Si ſentias Dæmonem te ſuggeſtionibus ſuis à Domino tuo velle auertere & auellere,

auellere; ora & lege: *Mihi adhærere Deo bonum eſt, & ponere in Domino ſpem meam.* Et denique contrà quodlibet mortale peccatum dic: *Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte; ne quando dicat inimicus meus, præualui aduersùs eum.* *Pſalm. 72.* *Pſalm. 12.*

SECTIO II.

Ad vitandas etiam Dæmonum tentationes & ſuggeſtiones, multùm proſunt Crux Chriſti & eius vulnera.

INTER potiſſima remedia & arma ſpiritualia, quibus Dæmones pelluntur, & eorum malignis ſuggeſtionibus occurritur, eſt Crux Chriſti, Crux inquam, id eſt effigies Crucis; nam particulæ ligni ſanctiſſimi cui Chriſtus Dominus affixus eſt, & noſtram ſalutem eſt operatus, ad reliquiarum vſum ſpectant, vſus verò effigiei Crucis ſiue formetur in aëre, ſiue in materia ſolida & permanenti, ſiue in plano depingatur, ad Dęmones arcendos & eorum tentationes ſuperandas, ſemper apud Catholicos valdè efficax fuit, vt exemplis à nobis afferendis, vbi de tali efficacia poſteà dicemus Cap. XIIII. Sect. II. *Chriſti Cruce vitantur Dæmones tentationes.* *Cap. 14. de Dæmonacis.*

Porrò Crucis quæ in aëre formatur, & eſt tranſiens duplex eſt vſus; prior quando homines ſibi imprimunt eam, vt cùm frontem, pectus vel os Cruce munimus; poſterior, quandò alijs Crucem affigimus, vt in adminiſtratione Sacramentorum contingit, & quando ab Epiſcopis aut Sacerdotibus benedictio datur; vterque modus antiquiſſimus eſt, & magno præſidio ſemper fuit aduersùs Dæmones. Hinc S. Ephrem a aſſerit Crucem eſſe inſuperabilem Chriſtianorum armaturam. Origines b eiuſdem eſt ſententiæ: *Timor & tremor* (inquit) *cadunt ſuper Dæmones, cùm ſignum in nobis viderint Crucis fideliter fixum.* Idem c alibi ſic habet: *Immortale labarum* (Crucem) *portemus in frontibus noſtris, cùm Dæmones hoc viderint contremiſcent, qui aurata Capitolia non timent.* Sanctus Auguſtinus ad Catechumenos, docet, idcircò eos Cruce ſignari, vt Dęmonibus ſint terrori. Sanctus Athanaſius in vita S. Antonij, narrat Sanctum illum virum iuſſiſſe ſolo Crucis ſigno contra omnes terrores, ſecuros eſſe Monachos. Et non mirum ſi ſigno Crucis probi viri, à Dæmonum terroribus ſecuri fieri & eſſe poſſunt, cùm id quòque *a De pœnit. cap. 3.* *b Hom. 6. in 5. cap. Exodi* *c Idem Hom. 8. ad diuerſos.* *S. Auguſt.* *S. Athan. in vita S. Antonij.*

Orat. 3. contra Iulianum Apoſtat. *Hom. 55. in Matth.* *Catbec. 9.* impijs quandoque acciderit: Refert enim Gregorius Nazian. & alij Patres, Iulianum Apoſtatam territum aſpectu Dæmonum, effinxiſſe ſignum Crucis Chriſti, ſtatimque Dæmones diſparuiſſe: vnde ob tantam ſigni Sanctæ Crucis efficaciam & virtutem S. Chryſoſt. docet Crucem internas paſſiones ac Diabolicas ſuggeſtiones imminuere. Et S. Cyrillus Hieroſol. ſolebat fideles ſic exhortari: *Non pudeat* (inquit) *vos Chriſtum Crucifixum confiteri, ſed in fronte confidenter ſignum Crucis digitis imprimatur, & in alijs omnibus Cruce fiat, in panibus comedendis, & in poculis bibendis, & in egreſſu & ingreſſu, ante ſomnum, recumbendo & ſurgendo, eundo, & quieſcendo.* Similia ferè Tertull. *Lib. de Corona militis cap. 3.* *Ad omnem progreſſum,* inquit, *ex conſuetudine Eccleſiæ, atque promotum ad omnẽ aditum, exitum, veſtitum, & calceatum, ad lauacra, ad menſas, ad lumina, ad cubilia, ad ſedilia, quâcumque nos conuerſatio exercet, frontem Crucis ſignaculo terimus.* Et non mirum ſi exoſam habeant Crucem Dæmones, & ſigno eiuſdem facto præ horrore fugiant, & interdum nos tentare deſinant, nam tale obiectum eos contriſtat, illis horrorem incutit, eorumque vires labefactat, dum enim vident Crucem (ait S. Cyrillus) *Loco citato.* recordantur Crucifixi, metuunt eum qui contriuit capita Draconis, & homines ab eius poteſtate eripuit. Hoc autem crucis ſigno fugari Dæmones, veteres Prophetæ ſignificabant, dum baculo armati incedebant, vt Caſſianus [a] clarè oſtendit; obſeruans enim veteres illos Prophetas baculum portare ſolitos exemplo Elizæi [b] in libris Regum, ſubdit: *Cuius geſtatio ſpiritualiter monet nunquam debere eos inter tot oblatrantes vitiorum canes, & inuiſibiles ſpiritualium nequitiarum beſtias, inermes incedere, ſed irruentes eas retundere Crucis ſignaculo, ac longiùs propulſare.*

a Lib. 1. de habitu Monach. cap. 9.
b 4. Reg. 9.

Cur Dæmones ad Crucis ſignum fugiant. Si autem quærat quis quæ cauſa ſit cur Dæmones ad Crucis ſignum fugiant. Reſpondent Doctores communiter, quia quædam virtus ad eos fugnandos eſt illi ſigno impreſſa; vel quia tanquam Dei inſtrumentum aſſumitur, quod Deus ex ſe atque opere operato (vt in ſcholis loquuntur) valere vult ad illos profligandos; & licèt hanc ſententiam non omnes ſequantur, eſt tamen admodum veriſimilis: Nam ſicut res odioſas & inuiſas deteſtamur & fugimus, ita illi Crucem, cuius virtute eorum vires franguntur & regnum euertitur: *Ad Coll. 2.* *Chriſtus* (inquit S. Paulus) *Chirographum decreti quod erat contrarium nobis, tulit de medio, affigens illud cruci, expolians principatus & poteſtates, traduxit palam confidenter, triumphans illos in ſemetipſo;* quia vt canis baculum quo percuſſus eſt, deteſtatur, ita Dæmones Crucem abhorrent, & incredibile eſt quantum ſit eorum odium erga ipſam, norunt enim fructum maximum quem ex ſigno hoc memo-

riali Paſſionis Chriſti fideles carpere poſſunt; quo fit vt in prouerbium abierit de his qui res ſibi exoſas auerſantur: *Fugiunt eas ſicut Diabolus crucem.* Hoc expertus eſt S. Antonius, vt docet S. Hieronymus; is enim ſanctâ cruce armatus, fuit omnibus nequam ſpiritibus terribilis. *S. Hieron. in vita Pauli.* Eandem etiam vim crucis expertus eſt Gregorius Neocæſarienſis, quem ſępè contrà Dęmones his armis pugnaſſe teſtatur S. Gregorius Nyſſenus in eius vita.

Lucianus Atheiſta & omnis religionis irriſor tradit Eucratem dignum fide virum, cùm annulum accepiſſet ex ferro ex quadam cruce facto, aduerſus ſpiritum nequam fuiſſe ſecurum. Itaque (inquit Baronius) quemadmodum Iudæi exorciſtæ licèt in Ieſum Chriſtum *Anno Christi 60.* non crederent, tamen quòd ſcirent à Paulo & alijs Chriſtianis in nomine Ieſu pelli Dæmones, & ipſi eodem nomine ad dimouendum eos vtebantur. Ita Magi quod à Chriſtianis fœliciter factitari videbant, nimirum crucis virtute eos Dæmonibus imperare; & ipſi ad coërcendos, cùm opus eſſet, impetus Dæmonum, ſigno crucis vti voluerunt. Sicut ergo paruuli dum vident canem latrantem, ad patris brachia recurrunt, & eius auxilium implorant; ſic dum contra te Dæmon latrat, (quem cani poſt hac comparabimus) & inſultare ac mordere conatur, curre in ſpiritu ad Crucem Saluatoris, & ad Chriſtum crucifixum dicens; *Per Crucem Sanctam tuam de inimicis noſtris libera nos Deus noſter.* *Num. 21.* Qui olim percuſſi erant ab ignitis ſerpentibus, aſpicientes in ſerpentem æneum in deſerto eleuatum ſanabantur: ita à morſu & ſuggeſtionibus venenati ſerpentis infernalis, ſanabimur ſi Chriſtum crucifixum, cuius ſerpens ille æneus figura erat, aſpiciamus. De quo etiam illud intelligi poteſt quod habet Iſaïas; *Iſaiæ. 13.* *Leuate ſignum ſuper montem caliginoſum,* hoc eſt crucem contra Diabolum, qui mons eſt caliginoſus ac tenebroſus ob ſuperbiam & alia ſcelera; & quia etiam caliginoſo inferni igne torquetur. Vellem igitur omnes aurea illa verba Thomæ à Kempis in memoriam reuocare, qui *Sermo 10 ad Nouitios p. 3.* ad Nouitios ſic habet. Plantate in hortulo memoriæ veſtræ arborem Sanctæ Crucis, contra omnes mortiferas Diaboli ſuggeſtiones medicinam virtuoſam proferentem: *Multa S. Crucis encomia.* huius enim nobiliſſimæ arboris radix eſt humilitas & paupertas, cortex labor & pœnitentia, rami miſericordia & iuſtitia, folia veritas & doctrina, flores honeſtas & pudicitia, odor ſobrietas & abſtinentia, pulchritudo caſtitas & obedientia, ſplendor fides recta, & ſpes firma; fortitudo magnanimitas & patientia, longitudo longanimitas & perſeuerantia, latitudo benignitas & concordantia, altitudo charitas & ſapientia, dulcedo amor & lætitia, fructus ſalus & vita æterna; Nulla ſylua talem pro-

fert fronde, flore, germine, nulla arbor tantam vim habet pro omnis languoris medicamine. Hæc eſt arbor fœcundiſſima ſuper omnes arbores Paradiſi benedicta, ramis pulcherrimis extenta, folijs virentibus ornata, fructibus vberrimis per mundum dilatata, altitudine tangens cœlos; profunditate penetrans inferos, latitudine ambiens montes & colles, magnitudine implens orbem terrarum, fortitudine vincens impios Reges, & fidei perſecutores, pietate attrahens debiles, ſuauitate ſanans peccatores. Hæc eſt vitis Deifera, oliua fructifera, dulcis ficulnea foris aſpera, intus melliflua in domo Dei plantata, in humilitate radicata, in patientia probata, in obedientia conſummata, in charitate confirmata: hæc eſt palma Deifera, per quam & in qua de omnibus hoſtibus noſtris, Carne, Mundo, Sathana, trophęa referimus. *Hucuſque à Kempis.*

Chriſti vulnera aduerſùs Dęmonum tentationes multùm proſunt

Non ſolùm autem Crux Chriſti præſentiſſimum eſt aduersùs Diabolicas tentationes remedium, verumetiam eius vulnera; nam ſicut lepores, & alia animalia à venatoribus agitata, ad ſua recurrunt latibula; ſic tu contrà retia inſidiantis Sathanæ, tutum habes refugium ad ipſa Saluatoris noſtri vulnera: *Petra refugium Herinacijs,* inquit Vates Regius. Illa myſtica petra Chriſtus, eſt refugium opportunum his qui tanquam herinacij aut lepores timidi, fugiunt venatorem illum animarum, ſcilicet Diabolum eas inſequentem, vt rapiat & perdat. Hęc petra habet foramina, videlicet ſacra vulnera, in quibus ipſas fugientes animas abſcondat & tueatur. Hoc ſaluberrimum remedium præſcribit S. Auguſt. potiſſimum in Manuali: *Cùm me pulſat*, inquit, *aliqua turpis cogitatio, recurro ad vulnera Domini mei Ieſu Chriſti, & ad viſcera miſericordiæ eius, nec alibi efficacius remedium reperio.* Et Sanctus Bernardus Sermone de Quadruplici debito: *Non eſt*, inquit, *quod vobis, vel pro vobis, timeam à viribus Sathanæ & miniſtrorum eius, cùm nouerim illius fortitudinem, per redemptoris vulnera traductam & deductam in nihilum.*

Pſalm 103.

Cap. 22. & 23. *tom.* 9.

S. Bernard.

SECTIO III.

Sanctæ Reliquiæ, & res aliæ ſacratæ aut benedictæ, præſentiſſimum ſunt aduerſùs Dæmonum ſuggeſtiones, & vexationes remedium, eoſque fugant.

IAM ſupradictum eſt Sanctæ Crucis cui Chriſtus affixus eſt particulas, ad res Sacras, ſeu ad Sanctarum Reliquiarum vſum ſpectare, ſicut ſi eius effigies in materia ſit ſolida & permanente, referri poteſt ad vſum imaginum. De illis ergò particulis ad Sanctas Reliquias ſpectantibus, ſicut de ipſis Sanctorum Reliquijs, & alijs rebus Sacris, hic ſermonem inſtituimus; dicimuſque nullum eſſe aduerſùs Dæmones, & eorum tentationes præſentiùs remedium, quàm res illas Sacras, nempè aliquam veræ Crucis (vt aiunt) particulam, aut res alias Sacras, cuiuſmodi ſunt Sanctæ Reliquiæ, ſecum deferre; has enim mirum in modum fugit Dæmon, teſte Sancto Hieronymo contrà Vigilantium, & Crucis effigies illi vires infringit.

Reliquiæ Sanctorum ſunt aduerſùs Dæmonum tentationes Diabolicas remedium.

S. Hieron.

Quod igitur primò ad Sanctorum Reliquias ſpectat; de munimine aduerſùs Dæmones per illas euentum celebrem narrat Theodoretus in Hiſtoria Sanctorum Patrum [a] vt videre eſt apud Baronium [b]: Execrandus Marcio, inquit Theodoretus, multas ſpinas impietatis ſeminauit in regione vrbis Cyri; eas cùm conarer euellere radicitus, noctu venit quidam Dæmon exitialis, clamans, & linguâ vtens Syriacâ, cur, inquiens, bellum geris cum Marcione? cur hanc pugnam aduerſùs eum ſuſcipis? quânam is te vnquam affecit moleſtiâ? deſine belligerare, deſine à maleuolentia, aut diſces experientiâ quantum bonum ſit quies; ſcias quòd te iampridem confodiſſem, niſi chorum Martyrum te cuſtodientem vidiſſem cum Iacobo. Hæc ego audiui, & dixi cuidam ex familiaribus qui propè me dormiebat, audis, inquam, quæ dicuntur? ille verò, omnia, inquit, audiui, & cùm vellem ſurgere, & reſpicere, & ſcire quis loqueretur, tuâ causâ quieui, quia te putarem quieſcere; ambo itaque ſurgentes reſpeximus, neque vllum qui moueretur vidimus, nec qui loqueretur, audiuimus. Illa verba alij quoque qui nobiſcum habitabant audierunt. Intellexi igitur quod Martyrum quidem chorum dicebat lecythum olei martyrum, qui cùm à multis Martyribus collectam haberet benedictionem, pendebat in meo lecto: ſub meo autem ca-

[a] *Cap* 22.

[b] *Tom* 5. *hiſt. Eccleſ. circa annum Dom.* 424.

pite erat magni Iacobi vetus amictus, qui quouis clauſtro adamantino fuit mihi quoque validior. *Hucuſque Theodoretus.* Hâc ergo Hiſtoriâ & alijs quas breuitatis cauſâ omitto, manifeſtè conſtat Dæmones Reliquijs viſis exhorreſcere & triſtari, immò multò plus (inquiunt nonnulli) quàm nos ſi Dæmonia videremus in forma horribili, & proinde fugam arriperemus; non valentes eorum præſentiam ferre. Quòd ſi rationem talis fugæ Dæmonum inquiras, dicimus id prouenire ex odio & inuidia aduersùs Sanctos, qui occupant cœleſtes ſedes quas ipſi perdiderunt; & quia ipſi Sancti, & non illi, à Chriſto Redempti ſunt, & eis ſunt moleſti, illoſque ſuperant & confundunt. Naturale eſt omnibus, quorum odio ac inuidia flagrant, eorum neque aſpectum ferre, neque præſentiam, eorum deteſtari mores, filios, amicos, immò etiam imagines; & quicquid ad eos attinet eis graue eſt, moleſtum eſt, tortura eſt: at Dæmones odio & inuidia Sanctos homines proſequuntur; itaque non mirum ſi eorum reliquias, veſtes, imagines, &c. deteſtentur, & eorum fugiant præſentiam.

Dæmones horrent & fugiunt Sanctorum Reliquias, & ad quid.

Præterea ſolent nonnulli, & maximè improbi, deteſtari eos quanquam defunctos, cum quibus in eorum vita graues inimicitias exercuerunt; aut à quibus iniurias perpeſſi ſunt; ſed Dæmones multa paſſi ſunt à ſanctis viris, & ab illis victi, ſuperati, & neglectui ſunt habiti: cùm igitur nequiſſimi ſint, & iniuriarum haud immemores, nulli dubium eſſe poteſt quin ſemper odio pluſquam Vatiniano, ſanctos illos quanquam mortuos proſequantur, eorumque reliquias cum moleſtia ſuſtineant, & adeſſe reformident in eorum præſentia, & maximè quia Deo eas protegente, non audent nec poſſunt diſperdere, quanquam bene vellent. Denique agnoſcunt ipſi Dæmones Deum ſuos dilexiſſe ſanctos dum viuerent, & non minori dilectione poſt illorum mortem illos proſequi; & proindè illorum inanimata corpora & reliquias tanquam chara pignora æſtimare, & magnalia per illas operari; & ideò vix credibile eſt, quantum eas execrentur & fugiant. Confirmatur ex eo quod S. Chryſoſtomus docet ipſos Dæmones vbi coronatorum Martyrum viderent corpora poſita, longè illico à conſpectu illorum pauidos fugiſſe & abſilijſſe. Ex quibus omnibus liquet ſacras illas ſanctorum Reliquias in ſummo honore habendas eſſe, vt pulchrè exprimit Gennadius de Eccleſiaſticis dogmatibus; *Sanctorum corpora* (inquit) *& precipuè Beatorum Martyrum reliquias, perindè ac ſi Chriſti membra, ſinceriſſimè honoranda, & baſilicas eorum nominibus appellatas, veluti loca ſancta diuino cultui mancipata, affectu pijſſimo & deuotione fideliſſimâ adeundas credimus. Si quis contrà hanc ſententiam venerit, Eunomianus, &*

Hom. 7. de 7. Machab.

Gennadius.

Vigilantianus creditur. Et hinc multi Eccleſiæ Fideles longas & difficiles peregrinationes ad Sanctorum Reliquias ſuſcepere; *Quia*, inquit B. Chryſoſtomus, *à Martyribus miracula eduntur, magna affatim ad illos multitudo affluit.* Adde, quòd ipſas ſanctas Reliquias, ſtudioſè & magnâ diligentiâ, tanquam maximos theſauros quæſierunt, & ijs in locis vbi conſeruabantur, ſua ſelegerunt ſepulchra. S. Chryſoſt.

Quod ad res ſacratas & benedictas ab Epiſcopis aut ſacerdotibus attinet; ipſæ ſunt pariter medium valdè efficax ad fugandos Dæmones, & eorum malignas ſuggeſtiones declinandas, & vt ab eorum infeſtationibus liberemur. Et primò aqua luſtralis ſeu benedicta, atque ſal exorcizatum, & ipſi aquæ benedictæ mixtum; vt clarum erit legenti formulas benedictionum quibus vtitur Eccleſia: nam in aquæ benedictione aut ſacratione ſic orat Eccleſia. *Deus qui ad ſalutem humani generis, maxima quæque Sacramenta in aquarum ſubſtantia condidiſti; adeſto propitius inuocationibus noſtris, & elemento huic multimodis purificationibus præparato, virtutem tuæ benedictionis infunde: vt creatura tua myſterijs tuis ſeruiens, ad abigendos Dæmones, morboſque pellendos diuinæ gratiæ ſumat effectum, &c.* Et in benedictione ſalis hâc formulâ vtitur. *Omnipotens æterne Deus, immenſam clementiam tuam humiliter imploramus, vt hanc creaturam ſalis, quam in vſum generis humani tribuiſti, benedicere & ſanctificare digneris, vt ſit omnibus ſumentibus ſanitas animæ & corporis, & quidquid ex eo tactum vel aſperſum fuerit, careat omni immunditiâ, omnique impugnatione ſpiritualis nequitiæ. Per Dominum noſtrum, &c.* Et in oratione poſt commixtionem ſalis & aquæ, habetur; *Vt vbicumque fuerit aſperſa* (aqua benedicta) *per inuocationem ſancti nominis tui, omnis infeſtatio immundi ſpiritus abigatur, terrorque venenoſi ſerpentis procul pellatur &c. Per Dominum, &c.* Hę Sanctæ Eccleſiæ Orationes à Sanctis Patribus probatæ ſunt; S. enim Dionyſius de Eccleſiaſtica Hierarchia dicit aquam ſacris inuocationibus conſecrari. S. Cyrillus docet ſimplicem aquam fieri benedictam, inuocatione Dei. S. Ambroſius, lib. de his qui myſterijs initiantur, docet aquam niſi ſigno Crucis priùs ſacretur nullum habere vſum in Eccleſia. Ita multi Patres aquę benedictæ meminerunt, vt Epiphanius, Theodoretus, Auguſtinus, &c. Hos autem aquę benedictę effectus in illa formula contentos & præſcriptos, confirmant exempla ſequentia. Metaphraſtes in vita S. viri Theodori Sicęorum Archimandritę, narrat de domo cuiuſdam quæ à Dęmonibus vexabatur, & dum prandium ſumerent domeſtici, vel cœnarent, lapides ſuper menſas iaciebantur, rumpebantur telæ mulierum; tanta quoque multitudo murium & ſerpentium domum occupabat, vt præ

Aqua benedicta, ad fugãdos Dæmones valdè efficax.

S. Dionyſius.

Catech. 3. Cap. 3.

S. Ambr.

Epiphanius, Theodoretus, S. Auguſt. &c.

formidine nemo eam ingredi auderet. Ingreſſus autem ad illorum preces S. Theodorus, poſt orationem, aquâ cui benedixerat totam aſperſit, & à ſpiritibus immundis liberauit: nihil aliud maligni illi ſpiritus intendebant, niſi domum illam inhabitantibus nocere, tentare, & ad peccatum, & perditionem inducere, hic enim finis eſt & ſcopus eorum; at aquæ benedictæ virtute, remedium allatum eſt. Ita Beda venerabilis narrat S. Germanum aquâ benedictâ tumeſcentes & inualeſcentes maris fluctus ſedaſſe, quos Dęmon viri ſancti in Anglia aduentum impedire volens, excitauerat. Plura poſſent adduci ſimilia exempla, ſed hęc duo ad noſtram confirmationem ſufficiant. Ex his autem effectibus ſatis liquet, vt nonnulli aſſerunt, in vſu aquæ benedictæ eſſe vim inſtrumentalem, hoc eſt, eſſe Dei inſtrumentum; ſicut forſan eadem vis ineſt quibuſdam alijs rebus ſacratis & benedictis, ad Dęmones profligandos & eorum ſuggeſtiones propulſandas, de quibus ſtatim dicemus.

In Hiſtor. Angelorum lib. 1. cap. 17.

Si autem quis roget, in quo concurſus iſte inſtrumentalis fundetur; Reſpondemus, in impetratione Eccleſię, quando eas res benedixit aut ſacrauit; ex verbis enim & ceremonijs quibus ipſa in earum benedictione vtitur, conſtat eam enixè ſupplicare, ac à Deo niti obtinere, vt vſu earum Dæmonia fugentur, ſicut videre licèt in ſuæ benedictionis formulis; Deum autem exaudiuiſſe Eccleſiam ſponſam ſuam, quis ambigit? maximè quia ex Spiritus Sancti inſpiratione, modus ac forma benedicendi & ſacrandi eas res, ortum habuit à tempore Apoſtolorum.

Virtus olei benedicti & Chriſmatis maxima aduerſus Dæmones.

Secundò, Oleum benedictum & Chriſma virtutem quoque habent contra ſuggeſtiones & infeſtationes Dæmonum. Oleum benedictum fuit quod per Proculum Chriſtianum adminiſtrari ſolitum, ſcribit Tertullianus ad Scapulam. S. Baſilius docet Apoſtolicam eſſe traditionem quòd aquam benedicimus: ſed antiquitatem eius ſicut & olei Sancti, probat illa oratio quæ inter Conſtitutiones à B. Clemente conſcriptas reperitur, ibi enim ſic habetur; *Domine Sabaoth, Deus virtutum, creator aquarum, & dator olei miſericors & benigne, qui dediſti aquam ad potum & munditiem; oleum ad exhilarandam faciem in exultatione lætitiæ: ipſe quoque nunc ſanctifica aquam & hoc oleum, in nomine eorum qui attulerunt; & da virtutem ſanitatis effectricem, ægritudinum expultricem, Dæmonum fugatricem, omnibus inſidijs aduerſariam, per Chriſtum qui eſt ſpes noſtra, quo cum tibi gloria, & honor & cultus cum Spiritu Sancto, Amen.*

a *Tertull. ad Scap. 4.*
b *Baſil. lib. de Spiritu Sancto.*

Imagines ceree proſunt multùm, aduerſus Dæmonum ſuggeſtiones,

Tertiò, imagines cereæ quas Agnos Dei vocamus, multùm quoque proſunt aduerſus ſuggeſtiones, tentationes, & infeſtationes Dęmonum, vt conſtat ex formula qua in eorum benedictione & ſacratione

ne vtitur Eccleſia, quæ ſic orat: *Quæſumus Domine, hos Agnos quos de cera virginea in tuum honorem formauimus, ſacra & perenni vndâ balſamoque ſacri Chriſmatis perfuſos, benedicere, ſanctificare, & conſecrare digneris: quatenùs à te benedicti virtutem accipiant contra omnia Diabolica tentamenta, & omnes portantes tuti eſſe poßint inter aduerſa & proſpera, vt tuâ conſolatione accepta, nullum periculum timeant, nullamque formident vmbram, nulla ſæuitia Diabolica aut verſutia humana, eis noceat, ſed virtute tuæ fortitudinis roborati tuâ conſolatione glorientur, qui verè paracletus diceris*, &c.

Quartò, valent quoque cerei benedicti; in horum enim benedictione petitur vt per ceræ ſanctificationem, Dominus conterat Diabolum & diſperdat de cunctis habitationibus colentium Deum, de Baſilicis, de domibus, de angulis, de refectorijs, de lectulis, de vniuerſis locis in quibuſcumque Deo famulantes habitant & requieſcunt, dormiunt, vigilant, ambulant, & conſiſtunt; nec audeat ille malignus ſpiritus inquietare amplius, vel pauorem immittere ſuper eos quos Sancti Chriſmatis ſui vnctione fecit eſſe munitos: ita libri rituales. Videatur quoque benedictio candelarum circa finem Miſſalis Romani, inter alia hæc habentur; *Talemque benedictionem ſignaculo Sanctæ Crucis accipiant, vt quibuſcumque locis accenſæ ſiue poſitæ fuerint, diſcedant Principes tenebrarum, & contremiſcant, & fugiant pauidi cum omnibus miniſtris ſuis ab habitationibus illis, nec præſumant ampliùs inquietare aut moleſtare ſeruientes tibi omnipotenti Deo, qui viuis & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen.*

Cerei benedicti & præſertim Paſchalis & Purificationis multum valent contra Dæmones.

Nulli etiam dubium eſſe poteſt quin cereus Paſchalis, & candelæ in feſto Purificationis benedictæ, multùm quoque aduersùs Dæmones valeant. De cerei Paſchalis benedictione habet Strabo[a], & Patres in Concilio Toletano[b] 4.

a Strabo cap. 30.
b Concil. Tolet. 4 Can. 8.

Maximam quoque virtutem habent palmæ benedictæ Dominicâ Palmarum, & cineres etiam benedicti die ab Eccleſia ſtatuto, aduersùs Dæmones; de quorum benedictione habet Sanctus Maximus in homilijs habitis in die cinerum, & in Dominica Palmarum.

Cineres & palmæ benedictæ multũ valent aduersus Dæmones.

Denique poteſt etiam multùm prodeſſe aduersùs eoſdem Dæmones panis benedictus extrà Euchariſtiam, de quo Sanctus Auguſtinus & Paulinus in Epiſtolis ad Alipiũ & Romanianum. Idem iudicandum de vino benedicto, ſicut & de cibis, de veſtibus, de vaſis Sacris, & ſingulis alijs rebus quas benedicere ſolet Eccleſia, quæ etiamſi ex vi ſuæ benedictionis aut ſacrationis ad præfatum finem non ordinentur, videlicet ad Dæmones abigendos, ſed ad alios vſus, & ad Dei cultum, ad ſacrorum adminiſtrationem, ad morbos

Lib. 2. de peccatorum meritis, cap. 16.
Panis benedictus, &c. multùm proſunt contra Dæmones.

curandos, ad tempeſtates compeſcendas, tonitrua, fulgura, grandines, ventos, & alia ſimilia; quia tamen propter earum ſacrationem aut benedictionem, eas Dæmones exoſas habent, dicunt aliqui illas ſaltem indirectè & minùs præcipuè Dæmones fugare; quamuis tamen alij aſſeuerent, eorum odium erga illas fortè non eſſe ita ingens vt compellantur à loco recedere, aut non ad illum accedere, Quicquid ſit, Dæmones ſemper ad earum præſentiam reformidant & tremunt, & à multis malis quæ inferre poſſent, retardantur, aut impediuntur. Hinc factum eſt vt iſtarum rerum ſacratarum vſus, valdè ſit frequens apud Catholicos, in locis ac temporibus quibus Dæmones moleſti eſſe ſolent.

SECTIO IV.

Miræ etiam virtutis contrà Dæmones, & eorum ſuggeſtiones & infeſtationes, eſt Sacramentorum frequentatio, vt Confeſſionis, & Euchariſtiæ.

Sacramentorum frequētatio vt Confeſſionis & Euchariſtiæ, Aduerſùs Dæmones multum valet.

TALIS Sacramentorum frequentatio aduersùs Dæmonum tentationes quaſlibet, omni tempore fuit à SS. Patribus commendata, quia his abundè gratiam largitur Deus, cuius quidem gradus minimus, vt ait Sanctus Thomas ſufficit ad quaſlibet tentationes ſuperandas; & ſpecialiter Sacramentum Confeſſionis vim habet contra maligni ſpiritus tentationes & ſuggeſtiones, dum enim prauas cogitationes noſtras & peccata Sacerdoti detegimus, id maximè Dæmoni diſplicet, quia eius virtutem deſtruit, & peſſimum eius conſilium euaneſcit, & ita confuſus aufugit. Quod docet Caſſianus dicens, quòd dum per ſubmiſſionem & humilitatem animi, tentationes & ſuggeſtiones Patri ſpirituali declarantur, hæc ſubmiſſio ita Deo placet vt antequam ipſum remedium præſtetur, iam per ſe euaneſcant: *Tandiu* inquit) *ſuggeſtiones eius noxiæ, dominantur in nobis, quandiu celantur in corde, illico enim, vt patefacta erit cogitatio maligna, marceſcit, & antequam diſcretionis iudicium proferatur, ſerpens teterrimus velut è tenebroſo ac ſubterraneo ſpecu, virtute Confeſſionis pertractus ad lucem, & traductus quodāmodo ac dehoneſtatus abſcedit.* Alludit ad ſerpentem qui ſub lapidibus quibuſdam latet, ſicut colubri, bufones, & alia germina ſerpentina, ſi lapides ſubleues ſub quibus jacent, ſtatim fugiunt; ſic & antiquus

* Col. 2.

ille ſerpens vbi detegitur, ſtatim fugit, & plerumque tentare & ad malum ſuggerere deſinit, quia cùm ſit tenebrarum Princeps, lucem non patitur.

Nemo quoque inficias ibit, quin Sacræ etiam Euchariſtiæ frequens ſumptio cum debita præparatione (auctorem quippè totius ſalutis exhibet) plurimùm ſit efficax aduersùs ipſius maligni ſpiritus tentationes; tunc enim cùm fortior armatus ſpolia cepit hoſtis, & ligauit inimicum, in pace ſunt omnia, vt ex SS. Matthęo & Marco habemus. Hęc doctrina nobis clariſſimè patet ex libro Leuitici, vbi Deus Iſraëlitas alloquens aiebat: *Comedetis panem veſtrum in ſaturitate.* Hoc eſt (inquit Lyranus) panem Euchariſtiæ qui dat hîc plenitudinem gratiæ, & poſteà ſatietatem gloriæ, Et poſteà notat idem Lyranus ex ipſomet ſacro contextu, quinam ex hac menſa effectus ſequantur, nam ita habetur: *Auferam malas beſtias, & gladius non tranſibit terminos tuos.* Quod ſic interpretatur Lyranus; auferam Dęmonum furias, quorum per Chriſtum reſtricta eſt poteſtas, & gladius non tranſibit terminos veſtros, id eſt Dęmonum virtus non præualebit ſuper vos. Et ſic clarè oſtendit exarmari ſuis gladijs Dæmones, dum homines ad illam ſacram menſam cum debita diſpoſitione accedunt, & hoc auguſtiſſimo muniuntur Sacramento; ad eius quippe præſentiam coërcentur, vincuntur, & fugantur, imò corruunt & confringuntur; ſicut olim Dagon coram arcâ Domini quæ figura fuit tanti Sacramenti: quo fit vt continuò Euchariſticam menſam ſpiritualibus delicijs abundantem, & quibus armantur homines, tanquam ſuæ potentiæ & nequitiæ debellatricem timeat, & perhorreſcat. Id nobis magis poteſt innoteſcere ex celebri ſomnio quod quondam miles de Madianitarum exercitu cùm in caſtris eſſet, ſomniauit. *Vidi ſomnium* (inquit) *& videbatur quaſi ſubcineritius panis ex hordeo volui, & in caſtra Madiani deſcendere, cùmque perueniſſet ad tabernaculum, percuſſit illud, atque ſubuertit, & terræ funditus coæquauit.* Qui fieri poteſt vt vnus panis menſæ, fuerit ita ad pugnam aptus vt tot ſtrages in caſtris Madianitarum edere potuerit? ſi fuiſſet gladius, non eſſet tantæ admirationi locus. Ad litteram per illum panem, Gedeon intelligitur, qui poſtero die Madianitarum caſtra profligauit, quanquam modicis præſidijs & exiguis viribus eſſet præmunitus. Iuxtà autem myſticum & ſpiritualem ſenſum, per illum panem Euchariſtia Sacra quæ ſub panis ſymbolo nobis porrigitur, intelligi debet: hic enim ſanctiſſimus panis qui de cœlo deſcendit, non Madianitarum, ſed Dæmonum caſtra euertit, diſſipat, & fugat. De illo pane in Chriſti menſâ nobis miniſtrato, aiebat vates Regius; *Paraſti in conſpectu meo men-*

Matth. 12. *Marci 3.* *Leuit. 26.* *Lyranus.* *1. Reg. 5.* *Iudicum 7.* *Pſalm. 22.*

Iudith. 10. *ſam aduerſus eos qui tribulant me.* Quando Iudith fœmina ſanctiſſima & prudentiſſima, eſt de Bethulia egreſſa ad Holophernem trucidandum, *Impoſuit mitram ſuper caput ſuum, & induit ſe indumentis iucunditatis ſuæ, &c. & aſſumpſit panem & caſeum, &c.* Sed cur iſta hæc? ſi iugulare hunc tyrannum intendebat, & eius caput amputare, ei videbantur arma potius neceſſaria quàm cibi & corporis ornamenta: profectò litterali ſenſu omiſſo, in his magnum latet myſterium, his enim edocemur quòd ſi ſpiritum malignum vincere & fugare exoptemus, requiritur imprimis cultus non tam corporis, quàm mentis, hoc eſt omnium virtutum apparatus; & deinde requiritur cibus non qualiſcumque ſed Sacramentalis, videlicet Chriſti ſacrum corpus in auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento exiſtens, qui eſt verus animæ noſtræ cibus eam ad vitam æternam nutriens, iuxta Ioan. 6. illud Chriſti Domini: *Qui manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* His ergo potiſſimùm opportunis præſidijs Confeſſionis ſacræ, & Sanctiſſimæ Euchariſtiæ, aduersùs illum tyrannum & eius tentationes & ſuggeſtiones armari debemus; & nullum ſalubrius contra eius impetus reperiri poteſt remedium.

In ſtimulo virtutum adoleſc. Vtriuſque autem ſubijcio exemplum; Refert Baldeſanus, noſſe ſe quendam qui in adoleſcentia vehementer tentatus, in carnis peccata ruerat, & cùm non quieſceret, accerſit virum religioſum conſilium petens; ille ei tantùm dixit vt vxorem duceret, quod fecit: poſt aliquot annos vxor mortua eſt, & timuit ille ne in primas miſerias reincideret, abhorrebat tamen, vt aiebat, à ſeruitute matrimonij; vt ergo hoc malum præueniret, orationi ſe addicit, confeſſione ſe purgat, & per Sacramentum Euchariſticum ſe ſe confirmat in propoſito cælibatus; his ipſe adeò ſe ſe firmum inuenit, vt admirans & dolens, ſuperioris ætatis infœlicem ſortem diceret; heu me miſerum! cur olim adoleſcens non incidi in virum qui non mihi diceret vxorem duc, ſed diceret vtere Sacramentis diuinis; quàm meliùs mihi conſultum fuiſſet! ſæpius ergo ſimilia accidunt, & qui penè deſperabant, dum Eccleſiæ Sacramentis ſe ſe ex animo addicunt, vident poſteà miram circà ſe mutationem; ita vt dicere poſſint, hæc mutatio dexteræ excelſi: facilè igitur occupat Diabolus, quos reperit ſpiritualibus præſidijs deſtitutos, nec orationibus, Sacramentorum frequentatione, alijſque pijs exercitijs munitos & roboratos; quò fit vt continuo debeant attentè vigilare & ſibi proſpicere, & ſe ſe Sanctis & honeſtis exercitijs, aduersùs Dæmonem pro ſua ſalute armare: Quemadmodum enim Dominus filijs Iſraël manna dedit, quod per ſingulos dies colligere debebant Sabbatho excepto, quo fruebantur manna prius collecto; ita fidelis quiſque gratiam cœleſtem

ſingulis diebus colligere debet; qua ſe ſuſtineat atque confortet: Sabbatho verò quando in futura vita quieſcet, ampliùs colligere non debebit, tunc enim gratijs & virtutibus priùs acquiſitis, paſcetur & fruetur.

SECTIO V.

Aliud remedium aduersùs Dæmonum ſuggeſtiones eſt reſiſtentia & fuga.

IAM ſuperius iuxtà Sanctum Petrum oſtendimus nos Dæmoni tanquam rugienti Leoni reſiſtere debere fortes in fide. Et idem nos monet Sanctus Iacobus in Epiſtola ſua. *Reſiſtite* (inquit) *Diabolo, & fugiet à vobis*; hoc eſt, nolite eius tentationibus & ſuggeſtionibus præbere conſenſum; immò cum firma in Deum fiducia, ab initio tentationum conſtanter & fortiter reſiſtite, eaſque deſpicite & contemnite. Modus autem ei reſiſtendi, eſt arma virtutum arripere, & illi locum non concedere, vt docet Sanctus Paulus: *Nolite* (inquit) *locum dare Diabolo.* Sanctus Thomas explicans hæc verba B. Iacobi hæc habet: *Reſiſtite declinando tentationes proſperitatum, & ſuſtinendo tentationes aduerſitatum.* Sanctus autem Chryſoſtomus, Euthymius, & Theophilactus in Matthæum, volunt hanc reſiſtentiam fieri debere per patientiam; ſed quomodo reſiſtimus niſi vitando peccatum quod ſuggerit nobis Dęmon? cùm autem illud vincimus, tunc de tentatione reportamus victoriam, & Dæmon à nobis fugere cogitur victus ac confuſus.

> Aduersùs Dæmonum tentationes, multum valet reſiſtentia & fuga.
>
> 1. Petri 5.
> Iacobi 4.
> *Ad Epheſ. 4.*
> *S. Thomas.*
> *In cap. 5. Matth.*

Sunt autem aduertendi modi, quibus reſiſtendo huiuſmodi tentationibus victoriam reportare poſſumus, & Dæmonem fugare.

Primus modus, eſt cùm non ſolùm non peccamus, ſed etiam proficimus aliquo modo in ordine ad ſalutem: & is eſt proprius victoriæ modus, vt notauit Sanctus Thomas [a] ex Sancto Auguſtino [b] dicente: *Tunc vitia victa deputanda ſunt, cùm Dei amore vincuntur.*

> a In 2. diſt. 8. qu. 1. art. 2. ad 6.
> b 21. de Ciuit. Dei cap. 16.

Secundus modus contingit, non conſentiendo peccato ad quod inclinat tentatio, aliud tamen licet fortaſſe minus committendo, vt cùm aliquis vincit tentationem furti ex ſolo affectu honoris vel ſimili; & hæc non eſt victoria niſi ſecundum quid.

Tertius modus contingit, dum ſuperamus tentationem nihil omninò peccando, neque etiam in ordine ad ſalutem proficiendo; ſiue quia homo negatiuè ſe habet ſuſpendēdo actum, vt quidam Schola-

ſtici volunt; ſiue (quod magis morale eſt) eliciendo actum ordinis naturalis propter aliquam honeſtatem moralem: Prior tamen vincendi modus nobilior omninò eſt, & ad illum gratia neceſſaria eſt.

S. Hieron. Huic conſonat quod adfert Sanctus Hieronymus Epiſtola ad Demetriadem, vbi habet: *Oſtendit S. Iacobus quomodo reſiſtere debeamus Diabolo*, ſi vtique ſumus ſubditi Deo, eiuſque faciendo voluntatem, vt diuinam mereamur gratiam, & faciliùs nequam ſpiritui, auxilio Sancti Spiritus reſiſtamus. Sed quid eſt Dei voluntati obſequi, niſi eius ſeruare mandata? Et quid eſt, eius mandata ſeruare niſi eum amore ſuper omnia proſequi, & proximum ſicut ſeipſum? Id confirmatur ex eo quod habet S. Ephrem in illud: *Attende tibi ipſi.* vbi de Diabolo ait: *Debilis in eos eſt qui Domino in veritate ſeruiunt, conculcatur ab ijs qui peſſundant & auerſantur eius conſilia atque conatus, ſpernitur ab ijs qui Dominum in veritate diligunt.* Et

Id. 5. Moral. cap. 17. proptereà annotat Sanctus Gregorius, Dæmonem ob eius crudelitatem, & quia contra conſentientes fortis eſt, dici Leonem, ſed quia contra reſiſtentes debilis eſt, dici formicam. Et hinc cuidam animali quod formica-leo iuxtà Septuaginta Interpretes dicitur meritò comparatur, vt alias notauimus, hoc enim animal volatilibus eſt formica, formicis autem Leo, has enim quaſi Leo deuorat: ſed ab illis quaſi formica deuoratur: Ita de Dæmone iudicandum. Idem S. Gregor.

Lib. 5. Moral. cap. 6. *Facilè inimico reſiſtitur, ſi non ei vel in multis lapſibus, vel in vno diutiùs conſentiatur; ſin verò eius ſuaſionibus anima ſubeſſe conſueuerit, quantò ei ſe crebriùs ſubijcit, tantò eum ſibi intolerabiliorem reddit.* Docuit etiam S. Ephrem quomodo reſiſtendum ſit Diabolo

S. Ephrem. quò à nobis fugiat, tractatu aduersùs vitioſè viuentes ad finem, vbi ita habet: Si ad iracundiam nos concitauerit, pace armemur; ſi excandeſcere nos fecerit, manſuetudinem aſſumamus, ſi ad gloriam, vilitatem & abiectionem obijciamus; ſi ad æmulationem erga proximum irritauerit, ipſum Caim animo reuoluamus; ſi ad inuidiam, Eſaü perditionem cogitemus. Si ergo hiſce modis, ipſi reſtiterimus, à nobis perfugiet, & conſiſtere nequibit; redibit autem ad nos gratia illico, & tanquam victores nos coronabit. *Hæc ille.* Rationem autem præcipuam quare victus à nobis abſcedat Diabolus, notauit Lyranus in verba Iob: *Ipſe eſt Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ*;

Iob 41. quantò aliquis (inquit) eſt ſuperbior, tantò magis abhorret ſuperari, propter quod Diabolus videns aliquem fortiter reſiſtentem, deſinit eum tentare, timens ne ab eo ſuperetur, propter quòd recedit ab eo

In cap 4. Luc. ante finem belli; vnde dicit Sanctus Ambroſius in S. Lucam, quòd Diabolus inſtare formidat, quia frequentiùs refugit triumphari. Et hoc eſt quod dicitur. *Reſiſtite Diabolo*, viriliter pugnando, *& fugiet*

à vobis. Hæc Lyranus. Sanctus Auguſt. laudat aliquorum ſententiam dicentium facilè eſſe Dæmonem vincere, cuius tam exiguæ ſunt vires vt ſolùm reſiſtendo poſſimus eum fugare, dicente Apoſtolo Iacobo: *Reſiſtite Diabolo & fugiet à vobis.* Satis eſt reſiſtentia ad hoſtem profligandum, neque bellum inferre, ſed ſufferre ſatis eſt, nam qui tentationem ſuffert, ea re hoſtem debellat, victoriam reportat. Debilis itaque eſt hoſtis cùm reſiſtendo ſolùm ſuperare poſſis: ſi Diabolo reſtitiſti, eum ſuperaſti, ſi tentationibus eius non prębuiſti conſenſum, victoriam de illo conſequutus es. In bello illo quod mouit Rex Antiochus contra Populum Iſraël, vt in Machabæorum libris habemus; fuerunt quidam ex his qui Mathatiam illius populi ducem ſunt ſequuti, qui ipſius Regis Antiochi militibus viriliter reſtiterunt, & hi quidem victoriam ſunt adepti; Alij verò timore perterriti non ſunt auſi reſiſtere, ita quòd neque lapidem miſerunt in eos, vt ibi dicitur, nec oppilauerunt loca occulta, qui omnes interfecti ſunt: Ad eundem modum, qui Regi Antiocho id eſt Diabolo non reſiſtit, in tentationibus & bellis ſpiritualibus voluntati eius obſequendo, hic abſque dubio ab illo occiditur; at qui illi reſiſtunt violenter & fortiter, hi de illo victoriam conſequuntur, quia licet vis Diaboli & eius potentia magna ſit, iam tamen per Chriſtum fracta eſt & ſuperata; non enim tantis viribus pollet, quantis cùm Dauidem & aliquos alios veteris teſtamenti ſuperauit: tunc enim vires Dæmonum magis vigebant, quia nondum extenuatæ erant aut imminutæ per Ducem noſtrum Chriſtum, qui eum in palæſtra ſuperauit.

Lib. de natura & gratia contra Pelag. c. 58. Tom. 7.

1. Machab. 2.

Aduerte porrò talem reſiſtentiam eſſe neceſſariam ad Diabolum & mundum oppugnandos; ſed ad ſuperandum & vincendum carnis vitium fuga ſummoperè requiritur, & mulierum familiaritas ac conſortium diligentiſſimè vitari debent. Et vt hoc inſinuet S. Petrus, hæc habet in ſua Canonica: *Per hoc efficiamur diuinæ conſortes naturæ, fugientes eam quæ eſt in mundo concupiſcentiæ corruptionem.* Et S. Paulus, *fugite fornicationem.* Vbi gloſſa dicit in alijs vitijs poſſe expectari conflictum, carnis vero vitium non meliùs poſſe vinci quàm fugiendo. Cui conforme eſt illud S. Hieronymi in Epiſtola ad Euſtochium de regula viuendi ſanctimonialium, nempè, *Victoria non ſperatur in hoc certamine niſi ex fuga.* Et adijcit; *Nemo ex fortitudine audeat reſiſtere viribus, quoniam niſi fugiat citò ſuccumbet.* Fugâ ergò hoc eſt tentationum deuitatione, carnis impetus ſunt infringendi, eiuſdem vires & potentia expugnandæ, nec verò victoria per talem fugam comparata minùs ſed magis glorioſa eſt, quàm ea quæ per reſiſtentiam eſt acquiſita.

Ad ſuperandum carnis vitium fuga requiritur.

2. Pet. 1.

1. Cor. 6.

Cap. 10.

SECTIO VI.

Meditatio nouiſſimorum, eſt pariter vtiliſſimum ad Diabolicas tentationes repellendas remedium.

Tentationes nouiſſimorum meditatione repellimus. *Eccleſiaſtici 7.* Nouiſſima hominis quæ ſint.

IN hoc omnes conueniunt, vt aſſeuerent remedium valde efficax ad cunctas Dæmonum tentationes & ſuggeſtiones propulſandas, eſſe nouiſſimorum meditationem; hoc enim remedium ſuggerit ſapiens; *Memorare nouiſſima tua; & in æternum non peccabis.* Nouiſſima autem illa ſunt Mors, Iudicium, Infernus, & Beatitudo: tria priora ingentem gignunt timorem, & vltimum ſpem maximam atque ſpiritualem conſolationem; ſed in hoc conueniunt quòd valdè conducant ad huiuſmodi contemptum, & cunctas Dæmonum tentationes & ſuggeſtiones ſuperandas. Et primò quod ad Mortem ſpectat, quid ea horribilius? quis non expaueſcit, & facilè tentationibus reſiſtit, atque à peccato deterretur, qui cogitat ſe moriturum, & forſan intra breue tempus? qui ſibi proponit ſe breui eſſe puluere conſpergendum, à vermibus corrodendum, & ab omnibus conculcandum? quomodò ſuperbiâ intumeſcet terra & cinis hæc animo reuoluens? Sicut igitur ſolent nutrices aliquid amari ſuis vberibus admouere, vt pueri à lacte auellantur: ita, vt homo abſtrahatur ab vberibus voluptatis & à delectatione peccati, & ne in illud incidat, cunctiſque tentationibus reſiſtere conetur, memoria mortis quæ pluſquàm abſinthium amara eſt, multùm conducit. Si ergo quis ergà diuitias & ſæculi voluptates nimio feratur amore, & varijs tentationibus ſit implicatus, mortis amaritudinem ſibi ob oculos proponat, & ab illo rerum temporalium inordinato affectu cor ſuum auellet; recogitet multos etiam in florida ætate & in medijs ſceleribus abripi; recordetur quoque ſe nihil ſecum delaturum ex omnibus temporaneis rebus quas in præſenti vita poſſidet, ſed ſolùm peccata quæ congerendo cumulauit. Caueat ergo ne tunc illi dicatur ſicut illi diuiti qui tot bona congeſſerat, ſperans ſe multis annis eis fruiturum, vt refert S. Lucas: *Stulte hac nocte repetunt animam tuam à te, & quæ paraſti cuius erunt?* Et apud S. Matthæum: *Quid prodeſt homini ſi totum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?* Legat Euangelium S. Lucæ, & attendat quantis flammis, & supplicijs æternis, ſit addictus diues Epulo qui ſuis diuitijs eſt abuſus, nec vlla eſt er-

Mortis conſideratione tentationes vincimus.

Luc. 12. *Matth. 16.*

ga Lazarum miſericordiâ motus. Refertur de Philoconio Presbytero Galatha, qui hæc præ oculis ſibi conſtituens, ſex annis ſepulchra inhabitauit vt mortis ſibi memoriam imprimeret, & ſic voluptates & cuncta peccata refrænaret; mortis namque memoria, huius ſæculi delicias amaritudine aſpergit, & intemperantiam frænat: vnde ſolebant Ægyptij (Herodoto & alijs teſtibus,) in optimatum conuiuijs generalibus, cadauer ligneum in orbem circumferre, & inclamare; *Hoc intuearis, bibe, comede, epulare, talis poſt mortem futurus.* Si illi infideles id ſibi repræſentarint, multò magis Chriſtiani id etiam præ oculis continuò habere debent, veluti habuit B. Franciſcus Borgia ex intuitu cadaueris Imperatricis, ex quo enim tale vidit & tam deforme ſpectaculum, ſtatim omnibus honoribus, coronis, ac mundo vale dixit. Quicumque ergo poſuerit ſuper cor imaginem mortis, & rerum nouiſſimarum conſiderationem, efficiet vt Diabolus imprimere ei non poſſit peccati imaginem. *Herodotus.*

Sed Dei iudicium ob oculos poſitum, ſiue illud quod eſt expectandum illico poſt egreſſum animæ à corpore, iuxtà Sancti Pauli ſententiam: *Statutum eſt omnibus hominibus ſemel mori, &c.* ſiue illud iudicium quod in fine ſæculorum futurum eſt; non minus remedium erit ad Diabolicas tentationes repellendas & ſuperandas, ac ipſa mortis conſideratio: vnde iuuenem vitijs deditum monet Sapiens: *Lætare iuuenis in adoleſcentia tua, ambula in intuitu oculorum tuorum, ſequere concupiſcentias cordis tui, ſed ſcito quia pro his omnibus adducet te Deus in iudicium.* De duplici illo iudicio, & quàm terribilis ſit futurus Iudex erga impios & reprobos, hic non eſt differendum. Lectores remittimus ad plures etiam modernos authores, qui plenè & vtiliter valdè, de his multa iuxtà ſcripturas & Sanctos Patres docuerunt. *Iudicij diuini conſideratione, tentationibus reſiſtimus. Hebr. 9. Eccleſiaſt. 11.*

Quod autem dico de iudicio, cuius conſideratio multùm prodeſt ad quaſlibet vincendas tentationes, idem dici debet de inferno, in quo pœnæ damni & ſenſus perpetuæ ſunt, de quo in tractatu de anima agemus, vbi de diuerſis animarum poſt mortem receptaculis, ſermonem inſtituemus, ſicut etiam de beatitudine ſatis copiosè circa finem tractatus: de quibus quoque agunt penè innumeri authores tum moderni cùm veteres, quos conſuluiſſe nullum pœnitebit; nam iſta duo poſtrema multùm conferunt ad Dæmonum & quorumcumque aliorum hoſtium tentationes & ſuggeſtiones vitandas & vincendas; priùs quidem ſupplicij æterni timore & horrore illud Apocal. mente reuoluendo: *Quantum in delicijs fuit & glorificauit ſe, tantum ei date tormentum & luctum;* poſteriùs verò ſpe & certa expectatione iucundiſſimæ viſionis diuinæ, & eiuſdem fruitionis æter- *Inferni conſideratio multùm valet ad vincendas tentationes. Apoc. 18.*

næ in cœlo Empyreo, ſuppoſitis operibus bonis; profundè meditando id quod habet Vates Regius: *Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te.*

Pſalm 83.

SECTIO VII.

Vt homo tentationes ad peccandum euitet, tentationum loca, & occaſiones fugiat.

Tẽtationum loca & peccandi occaſiones vitare debemus.

AD euitandas quaſlibet tentationes, non debemus nos ipſos tentationibus offerre, & loca petere in quibus prçuidemus Dœmonem tentaturum, ſed quaſcumque fugere occaſiones, alioquin ex noſtra fragilitate facilè in peccatum labemur. Eleganti metaphora hoc Spiritus Sanctus expoſuit in libro Eccleſiaſtici: *Quis* (inquit) *miſerebitur incantatori à ſerpente percuſſo, & omnibus qui appropinquant beſtijs? ſic qui comitatur cum viro iniquo, & obuolutus eſt in peccatis ſuis.* Egregijs comparationibus docet fugere occaſiones & loca in quibus homo tentari poteſt. Certè qui inter ſerpentes incedit quantumcumque incantator ſit, ſi aliquando liber euadit, quandoque tamen alicuius ſerpentis morſu & veneno inficitur; & ideò quando malum incurrit, non meretur vt aliquis illius miſereatur, qui hoc ipſo quòd inter ſerpentes voluit incedere, tanquam certum habere debebat, ſe aliquando tandem ab eis inficiendum. Idem dicendum de illo qui appropinquat Tigridi aut Leoni ferociſſimo, hic enim nullam meretur commiſerationem cùm à tali feroci beſtia deuoratur; quoniam ſponte id eligere viſus eſt, voluitque ſe in tali occaſione conſtituere; è contrà vir prudens tales occaſiones auerſatur, & ab his periculis procul fugit: *Ita*, inquit Sapiens, *ille qui comitatur cum viro iniquo, & obuolutus eſt peccatis ſuis*, hoc eſt ſponte quærit occaſiones peccati, & ſe periculis mortis æternæ miſerè exponit, nullam meretur miſericordiam. Aliqui per virum iniquum intelligunt Diabolum tentatorem qui ad peccatum inducit & impellit, quem qui comitatur & ſe ei propinquum facit, hoc eſt quærit peccandi occaſiones, petens loca in quibus tentare ſolet, vel ſaltem cùm poteſt, eas non fugit occaſiones, *Repente obuolutus eſt peccatis ſuis.* Quis ergo miſerebitur eius qui ſeipſum tantis periculis exponit, nunc cum muliere familiariter colloquens, nunc inter murmuratores ſe conſtituens, nunc inter homicidas, fures, guloſos, laſciuos & huiuſmodi deprauatos ho-

Eccleſiaſt. 12.

minesſe collocans? hoc enim ipſo quòd quis talibus periculis ſe libenter ſubijcit, videtur profectò hæc ſcelera committere velle: Et ideo qui prudens eſt & propriæ fragilitatis eſt conſcius, illa pericula & omnes tentandi occaſiones auerſatur, & fugit loca in quibus ad peccatum ſe tentandum præuidet. Homo qui humeris ſuis portaret ſaccum ſulphureo puluere plenum, aut circumquaque in veſtibus ſuis, vel intra illas eo puluere reſperſus eſſet; ille profectò valdè imprudens eſſet, ſi ad eum locum procederet vbi eius inimici ignita tela contra eum inijcerent, nam ſe periculis combuſtionis & mortis exponeret? ita valde ſtultus videtur & imprudens ille qui ſcit ſe malam ad peccandum retinere inclinationem & fomitem, ſi ignitis telis iniquiſſimi generis humani hoſtis, ſe exponat liberè, quid enim aliud expectare poteſt niſi vt ſuccendatur, inflammetur, & conſumatur? Exemplum habemus de primis noſtris parentibus, qui etiamſi talem fomitem nondum haberent, & eſſent quaſi adamantino iuſtitiæ originalis ſcuto armati; cùm tamen ignita gulæ & pomi vetiti comedendi tela ſerpens ille antiquus in eos iecit, non profuit eis aëreum illud ſcutum, ſed miſerè in peccatum lapſi ſunt, & illis telis ſuccenſi. Sic etiam exemplum habemus de Samſone, qui licèt Spiritu fortitudinis à Deo donatus eſſet, ignitis tamen Dalilæ ſuæ telis, quò ad occaſionem eius conſuetudinis non fugeret, & in ſinu ſuo delitefceret, inflammatus & ſuccenſus fuit, & proh dolor! poſtquam ipſa eius crines abſcidit, a Philiſtæis vinculis ligatus, oculis erutis illuditur, & ad molam circumducendam infeliciter pertrahitur: ita cuilibet peccatori illum imitanti accidit, dum occaſiones peccandi quærit, aut non vitat, paulatim enim blanditijs ac illecebris peccati tanquam ignitis telis confoditur, à minimis enim ad maiora tendit, ab aſpectu ad ſermones, à ſermonibus ad contactus, à contactu ad oſcula, & tandem ad peccati conſummationem pertrahitur, inflammatur, & ſuccenditur: Deinde crines ei abſcinduntur per quos verecundia deſignatur; & ei oculi eruuntur, quia cœli & inferni conſideratione priuatur, & tandem dum ſemper fortiùs peccatorum funibus conſtringitur, niſi à diuina ſuccurratur miſericordia, ad molam æternæ pœnæ circumducendam miſerè pertrahitur. Propterea S. Hieronymus peccatorum occaſionem vnumquemque noſtrum monens deuitare, ait: Nec Samſone fortior, nec Dauide ſanctior, nec Salomone potes eſſe ſapientior; quaſi diceret, illi quanquam ditati varijs perfectionibus, ignitis tamen Diaboli telis ſuccenſi ſunt, quia peccati occaſiones non vitarunt; cùm itaque illis perfectior non ſis, attende tibi ne peccatorum quoque occaſiones non fugiendo, tibi ſicut magnis illis viris contingat, imò forſitan peius & deteriùs. De *S. Hieron.*

Samſone dictum eſt; de Dauide & Salomone pauca dicamus. Dauid fortis, conſtans, ſanctus, & ſecundùm cor Dei erat, occaſionem tamen aſpectus mulieris non vitans, ſcimus in quod peccatorum incendium & barathrum inciderit, adulterij videlicet, & homicidij. Dilectus quoque Deo erat filius eius Salomon, atque omnium hominum ſapientiſſimus, qui tamen occaſione & ignitis telis vxorum alienigenarum in idololatriam lapſus, penè totus ſuccenſus & conſumptus fuit, ita vt aliqui de eius ſalute dubitent, alij tamen (vt reor) veriùs dicunt pœnitentiam egiſſe, & librum Eccleſiaſtes compoſuiſſe, & ſic tandem ſalutem æternam fuiſſe conſequutum. Cùm igitur in tanta damna per occaſiones non vitatas incidant homines, debent continuò ſibi proſpicere, & ſuper ſui cuſtodia ſtare, ne ex oblatis occaſionibus eos Diabolus tentet, & in peccata etiam grauia labantur. Qui non vult calefieri aut vri, ad ignē non accedat, qui pice non vult inquinari eam non tangat. Præcipiebat Dominus Loth non ſolùm exire de Sodoma, ſed de omni circà regione, ne ſcintillis aut fumo incendij inuolueretur; ſic & vnicuique noſtrum præcipit non ſolùm à peccato fugere, verumetiam ab omni occaſione, quam quidem qui non vitat, facilè in peccati barathrum & incendium deuoluitur. Quod præuidens S. Petrus poſtquam Chriſtum Dominum ſuum negauit, in Caïphæ atrio non remanſit, ſed vt occaſiones vitaret, ne iterum ac ſæpiùs negando laberetur, *Egreſſus foras fleuit amarè*, vt notat S. Matthæus, & ita ab impiorum conſilio ſecretus, egit pœnitentiam, inquit venerabilis Beda in hunc locum. Non mirum ergo ſi orabat Dauid; *Viam iniquitatis amoue à me:* Quibus verbis non ſolùm Deum precabatur vt ab eo amoueretur, ſed & omnis via & occaſio ad illam committendam; occaſio namque hominem ducit ad peccatum quaſi via ad terminum; fallax enim Diabolus (ait quidam modernus author) non ſtatim peccatum proponit, ſed initijs quibuſdam & occaſionibus peccati ſolet hominem irretire, ſub titulo quod illa licita ſint: ſic ſi tentat de luxuria perſuadet licitum eſſe videre, alloqui, oſculari quaſi in oſculo pacis & beneuolentiæ, quid enim (inquit) ibi mali? & hæc interim eſt via ad conſummatam iniquitatem, & ideo omninò fugienda eſt: ſic vt iuuenem aliquem in varia peccata præcipitet, non ſtatim ei proponit peccata in ſe, verbi gratia ebrietatem, iuramenta, rixam &c. ſed proponit ei licitum eſſe ludere chartis aut aleis, frequentare aliorum conſortia, & interim nouit ludum hunc & conſortium, occaſionem ei eſſe multorum peccatorum: hæc eſt ergò via à qua declinare debet iuuenis ille, & quam debet à Deo petere amoueri à ſe. Illud idem ab ipſo poſtulare debemus, quòd videlicet amouere dignetur à nobis quaſlibet oc-

Matth. 26.

Pſalm. 118.

caſiones, quæ tanquam viæ ſolent nos ad peccatum ducere, ac trahere.

SECTIO VIII.

Aliud remedium contra tentationes eſt refugium ad B. Virginem, & Sanctorum Patrocinium.

DVo ſunt hac in ſectione aduertenda. Quantùm ad primum de refugio & recurſu ad B. Virginem; illud docet nos Scriptura Sacra, dum ex Eccleſiæ interpretatione, eam vocat myrrham electam quæ dat ſuauitatem odoris, quo præſeruamur à peccati corruptione, & fœtido tentationis odore: ipſa etiam eſt ſtella maris quæ nobis inter fluctus agentibus viam demonſtrat, lucemque præbet ne mergamur, & Diabolicæ tentationis nubilum diſſipat quo obuoluimur. Et hanc ſpecialem virtutem ab initio mundi habuit: *Ipſa*, virgo, *conteret caput tuum.* Hinc olim SS. Patres Dæmonem tentantem his ſolis verbis à ſe fugabant: *Diſcede infœlix inanes ſunt vires tuæ qui à muliere victus es*; & cùm hæc verba exprobratoria audiret, & ob ſuperbiam ſuſtinere non poſſet, cum confuſione recedebat, & in quiete eos relinquebat. Alios legimus Sanctos, orationibus ad eandem B. Virginem directis, tentationes ſuperaſſe; vt Sanctus Vincentius, Sanctus Antonius de Padua, & alij quamplures. Sanctus Antonius quoties aliquâ premebatur tentatione, ſolebat Virgini Hymnum recitare, *O glorioſa Domina, &c.*

Ad beatam virginem cõtra tentationes eſt recurrendum.

Geneſ. 3.

Non ſolùm autem B. Virgo, ſed & eius imagines dum piè coluntur, vim habent contrà Dæmonis tentationes: Vnde Sophronius refert quendam incluſum in monte oliuarum, fuiſſe valdè ſpiritu fornicationis agitatum, cùm autem in illa tentatione Dæmoni diceret, quandiu non dimittis me? Apparuit ei Dæmon, & dixit ſe velle eum relinquere, modò imaginem B. Virginis filium ſuum geſtantis, quam adorare ſolebat, ampliùs non adoraret, & fecit eum iurare; at cùm hoc indicaſſet Abbati Theodoro, videns eum eſſe à Dæmone illuſum, quantum potuit illum eſt conſolatus, & monuit ne propterea vnquam deſiſteret continuò adorare Ieſum Chriſtum cum matre ſua, & nonobſtante ſuo iuramento quod ab eo Dæmon extorſerat, præſtitit ea quæ monuerat S. Abbas, & tentatio ceſſauit.

B. Virginis imagines, cõtra tentationes multùm proſunt, dum piè coluntur.

In Prato ſpirituali cap. 45.

Quod ſpectat ad Sanctos, ad eos quoque in tentationibus eſt recurrendum, quoniam cùm ſimilibus tentationibus obnoxij fuerint

Ad Sanctos contra tentiones eſt re-

currendum, & qua ratione. & eas vicerint, indubiè nobis ſubuenient, iuſtè enim hoc præmio à Deo donantur, vt in ſimilibus tentationibus quas ipſi vicerunt, alijs auxilium ferant; & ita qui ſpiritum ſuperbiæ, iræ, gulæ in ſe domuerunt, etiam in alijs illum ſuperare poſſunt, & non ſolùm ab eorum mentibus, verumetiam & corporibus poſſeſſis expellere, vt inter Anachoretas docuit Abbas Pithiron a diſcipulus B. Antonij: *Quiſquis*, inquit, *ô fily, vult eÿcere Dæmones, priùs in ſeruitutem redigat animi affectiones, qualis enim quis ſuperauit animi affectionem, eius quoque expellit & Dæmonem, ſi quis ergo gulam ſuperarit, expellit eius Dæmonem.* Inuocare ergo debemus ſanctos, vt in eo in quo tentati ſunt, auxilientur nobis; atque imprimis Sanctos Martyres vt opem nobis ferant in perſecutionibus & tentationibus fidei, & vt ſimus conſtantes, nec vacillantes, vt circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, vt monet Apoſtolus, ſed ſimpliciſſimos eoſque ardentes fidei actus concipiamus, nullã aliam eius quærendo rationem, præter vniuerſalem illam diuinæ auctoritatis, quam Eccleſia ſancta nobis propoſuit. Deinde inuocare etiam debemus Sanctum Iob & ſimiles, vt in tentationibus impatientiæ auxilium nobis præſtent. Prætereà in tentationibus obſcœnis & libidinis, petamus à Virginibus opem, quæ pro caſtitate vſq; ad mortem certarunt. Idem auxilium poſtulemus ab his qui tentationes has, licet ob carnis humanæ fragilitatem valde graues & periculoſas, ſuperarunt. Inter alios eſt recurrendum ad SS. Hieronymum, Benedictum, Bernardum, Franciſcum, Thomam Aquinatem, qui celebrem de ſimilibus tentationibus victoriam feliciter reportarunt. Eſt etiam vtendum remedijs, quæ dubio procul illi & alij qui circa carnem tentati fuerunt, executioni mandarunt, illa autem ſunt ſequentia. Primùm, occaſiones in intuendo loquendoque fugere. Secundùm, ſe ſe occupare provt ſanitas permittit, vel ſtatus eius qui tentatus eſt, ita vt cogitationi vix locus relinquatur, videlicet legendo, vel ſcribendo, vel negotiando, vel manuale opus exercendo. Tertiùm, Sancti Pauli Apoſtoli & multorum aliorum exemplo, caſtigare corpus, ieiunare, cilicium ferre, vel aliter corpus affligere, ad rebellem edomandam carnem. Quartum, ad ſpiritualia Orationum, Sacramentorum arma, &c. confugere, potiſſimùm verò ſanctiſſimam communionem frequentare, iuxtà Confeſſariorum vel Magiſtrorum ſpiritualium conſilium: & hoc remedium carnalibus tentationibus tollendis, præ reliquis multùm conducit, in illo enim omnium malorum continetur remedium.

a In Lauſiaca cap. 74.

Item in infamia & ignominia, eſt recurrendum ad B. Suzannæ preces, quia pro caſtitate ſeruanda talem ſubijt infamiam, & eam pre-

cibus depulit, & à morte ad quam erat impiè ab iniquis ſenioribus populi qui eam decipere conati fuerant, condemnata, tandem præſeruata fuit. Sic contra ſcrupulos ad B. Ioſeph recurrebat Sancta Tereſia, quia ipſe multas anxietates paſſus eſt, dum Virginem grauidam vidit. Contra illos etiam ſcrupulos poſſumus ad B. Mariam Oginacam recurrere, quia ipſa in ſe & in alijs illos ſanauit, maximè verò in quodam Religioſo Ciſtercienſi, qui tantis ſcrupulis erat diabolica tentatione vexatus, vt penè in deſperationem incidiſſet; quidam autem pius Abbas cum alijs multis, poſt preces ad Deum pro eo fuſas, iuſſit illum ad ipſam Chriſti ançillam adduci, & ecce illa orante pro eo cum lacrymis, ante introitum Miſſæ cùm *Confiteor* recitaret Religioſus ille, quaſi atri quidam lapilli ad ſingula Confeſſionis verba, ex eius ore decidere videbantur: ſic agnouit illa deſperationis & triſtitiæ nigredinem ab illo receſſiſſe, & Domino gratias egit, qui mortem peccatorum non vult ſed conuerſionem: Religioſus verò peracto ſacrificio, quaſi ex longinqua regione ad ſe reuerſus, Chriſti corpus accepit, & hâc ſalutis medicinâ perfectè curatus eſt. Ex quibus diſcimus opus eſſe maxima fide & patientia, in mœſtitia & deſolatione quæ ex tentationibus cauſatur, & maximè ſcrupulorum; & ad Sanctos recurrere, viroſque ſpirituales, ac præſertim prælatos & directores doctos conſulere, eorumque conſilio & directioni acquieſcere, ſi quis enim ita ſe gerat, nefas & diſſentaneum eſſe iudicabit, ſcrupulis poſthac locum dare.

CAPVT XIII.

De Dæmoniacis ſeu Energumenis.

ETIAMSI in omnibus ſupradictis, Tyrannum crudeliſſimum in vniuerſum genus humanum, ex odio quo in illud fertur, ſe ſe exhibeat Dæmon, attamen magis adhuc furorem ſuum ac rabiem oſtendit, dum humana ingreditur corpora diuinâ permiſſione, & illa poſſidet multiſque diuexat modis: Poſſidere autem rem aliquam vel locum quis dici poteſt, dum rem illam vel locum ingreditur, vt ex Paulo Iuriſconſulto habemus. Quando ergo Dæmon per ſuam ſubſtantiam & præſentiam, diuina permiſſione & iuſtiſſimis de cauſis Deo ipſi notis, alicuius hominis corpus ingreditur vt illud torqueat, talis ingreſſus indicium poſſeſſionis eſt: Dico per ſuam ſubſtantiam, quia animam quandoque illo modo non ingreditur, ſed per ſugge-

Lib. 3 de acquirenda poſſeſſione.

ſtionem malignam, & per ſuum characterem, hoc eſt per peccatum mortale, & talis poſſeſſio ſpiritualis eſt, ſicut alia corporalis dici debet. Priuſquam verò de ipſis malis ſpiritibus tractatui finem imponamus, operæ-pretium eſt, vt nonnihil de Dęmoniacis & ab ipſo Dęmone corporaliter poſſeſſis, nec-non de mediis quibus pellitur, hoc & ſequenti Capite dicamus.

SECTIO I.

An fuerint aliquando, & adhuc ſint, aut poſsint eſſe Dæmoniaci vel Energumeni, id eſt intus vexati.

EXTITERVNT nonnulli exiſtimantes nullos eſſe Dæmoniacos, ſed ſi qui tales viſi fuerint, à Dæmonibus non fuiſſe vexatos, ſed ab influentia cœlorum, vt conſtat pluries de phreneticis, & qui humore abundant melancholico: Hos authores inſinuat S. Hieronymus in Matthæum. Et in eodem ferè errore verſabatur Leuinus, exiſtimans hos Energumenos, quos nos diximus à Dæmonibus vexari, nequaquam hæc à Dæmonibus pati, ſed quibuſdam naturalibus morbis nobis ignotis laborare.

S. Hieron.

Aſſertio tamen communis & Catholica eſt de facto extitiſſe & dari Energumenos, ita vt citra manifeſtam impietatis & hęreſeos notam, nulli liceat contrarium affirmare. Illos autem propriè vocamus qui Dæmonem in ſeipſis habent, quique ab eodem in proprio corpore, varia & diuerſa mala patiuntur.

Reperiuntur quidam Dæmoniaci, & quinam ſint, probatur.

Probatur, primò ex eo quod talis fuit Synagogæ Iudaïcæ fides, nam apud S. Lucam, poſtquam Chriſtus Dæmonium quod erat mutum eiecit, & loquutus eſt mutus, dixerunt Scribæ & Phariſæi: *In Beelzebub Principe Dæmoniorum eijcit Dæmonia:* quibus verbis ſupponebant Dęmoniacos dari, quinimo ſciebant ipſum hominem de quo ſermo erat, eſſe Dæmoniacum; nec ex illa fide quam habebant reprehendit eos Chriſtus, ſed ſolùm oſtendit, non in tali virtute, ſed in digito Dei ſe eijcere Dęmonia. Et apud S. Ioannem, eidem Chriſto dicebant: *Samaritanus es tu & Dæmonium habes*; quibus reſpondit Chriſtus; *Dæmonium non habeo*, ſicque annuit eſſe poſſe Dęmoniacos, ſed ipſum talem non eſſe, vt impiè illi obijciebant Iudæi.

Luc. 11.

Ioan. 8.

Secundò, probatur ex eo quòd Chriſtus ipſe, ingreſſos in corpora humana Dęmones eiecit, non ſolùm illâ tantùm vice de qua

dictum

dictum eſt, ſed pluries, vt ſacrum teſtatur Euangelium. Nam apud
S. Matthæum ipſe aiebat loquens de quodam Dæmone quem eijce- *Matth. 17.*
re non potuerant eius diſcipuli; *Hoc genus Dæmoniorum non eÿcitur*
niſi in oratione & ieiunio. Item apud SS. Matthæum, Lucam, & *Matth. 8.*
Marcum narratur illa inſignis eiectio legionis Dæmoniorum, quæ *Luc. 8.*
vnum hominem poſſedera[illegible]dem Euangeliſtis ſæpè narran- *Marci 5.* *Matth. 12.*
tur mirabilia à Ieſu facta circa e[illegible]m Dęmonum ab hominum *Marci 1.*
corporibus, ipſis clamantibus & t[illegible]antibus vim ſibi inferri, eo *Luc. 4.*
quòd à proprijs habitaculis pellerentur; Et apud S. Lucam aiebant *Luc. 10.*
diſcipuli: *Etiam Dæmonia ſubÿciuntur nobis in nomine tuo.* Et apud *Marci 5.*
SS. Marcum, Lucam, & Matthęum, Dæmoniacus Lunaticus à Chri- *Luc 8.*
ſto curatur: At verò Scripturę illæ ſacrę non aſſererent Dæmones *Matth. 17.*
fuiſſe ab humanis corporibus eiectos pulſoſque, niſi reuerà intus ex-
titiſſent: Deinde ipſa ſatis apertè dicit illos Dęmones corpora in-
traſſe, & exijſſe, ac eiectos eſſe, quę nec poſſunt nec debent expli-
cari, niſi aſſerendo reuerà intus extitiſſe, & inde fuiſſe pulſos: ſi enim
Dęmones non ingrederentur corpora, & egrederentur, quorſum
voces Chriſti Domini apud S. Marcum: *Exi ſpiritus immunde ab ho-* *Marci 5.*
mine iſto? quorſum petitio Dæmonum dicentium, *mitte nos in por-*
cos, vt in eos introeamus; Et illud, *exeuntes ſpiritus immundi intraue-*
runt in porcos?

Tertiò, probatur ex eo quòd Apoſtoli poteſtate ſibi à Chriſto col-
latâ ad illos eijciendos, apud SS. Marcum & Lucam, de facto ali- *Luc. 10.* *Act. 16.*
quos eiecerunt, & ſic talis poteſtas ad praxim reducta fuit, vt id etiam
in actis videmus.

Quartò; Probatur ex eo quod SS. Patres vnanimi conſenſu do-
cent verè extitiſſe innumeros propemodum Dęmones, primitiuæ
Eccleſię temporibus intra hominum corpora, eaque crudeliſſimè
vexaſſe, & illos ab ipſis corporibus operâ Exorciſtarum fuiſſe expul-
ſos. Audiatur Tertullianus a: *Dæmones*, inquit, *non tantùm reſpui-* *a Ad Scapu-lam cap. 2.*
mus, verùm & reuincimus, & quotidie traducimus, & de hominibus
expellimus, ſicut pleriſque notum eſt. Et S. Cyprianus b, ita de Dæ- *b Ad Deme-*
monibus à ſe & alijs exorciſtis expulſis, loquitur: *ô ſi audire eos velles,* *trianum Af-*
& videre quando à nobis adiurantur & torquentur ſpiritualibus fla- *frica Procon-* *ſulem.*
gris, & verborum tormentis, de obſeßis corporibus eÿciuntur, quando
eiulantes & gementes voce humana, & poteſtate diuina flagella &
verbera ſentientes, venturum iudicium confitentur; &c. Ita de Dæ-
moniacis loquuntur multi alij Patres, vt S. Hieronymus in vita S. *SS. Hieron.*
Hilarionis, S. Ambroſius Sermone de SS. Geruaſio & Protaſio, S. *Ambroſ. &c.* *S. Aug. lib. 22.*
Aug. Gregorius Turonenſis, Nicephorus, & alij hiſtoriæ Eccleſia- *de Ciuit. Dei.*
ſticæ auctores.

Concilia. Quintò, idem quoque ſentiunt & probant Decreta Conciliorum, & ſummorum Pontificum. In Carthaginenſi 4. Cap. 92. vt

Burchardus lib. 3. ſui Decret. 1. refert Burchardus, præcipitur vt Dæmoniaci ſumptibus nutriantur. Et in Concilio Arauſicano cap. 14. decernitur illos eſſe baptiſandos ſi indigeant, eiſque Sancta porrigatur Euchariſtia; quod tamen intelligendum venit de illis Dæmoniacis qui lucida aliqua habent interualla, nam ſi illis totaliter rationis vſus abſorbeatur, non eſt eis porrigenda, nam tunc ſeipſos probare non poſſunt, iuxtà Apoſto-

1. Cor. 11. Burchardus cap 18. lum. Anaſtaſius item Papa referente eodem Burchardo cap. 18. prohibet, ne quis ex Dæmoniacis ad ſacros ordines promoueatur; Et ſi contigerit aliquem fuiſſe promotum, vt à ſuſcepto ordine deijciatur.

Cap. 16 &c. Ita Concil. Arauſicanum. Quibus omnibus decretis ſatis conſtat Concilia & ſummos Pontifices ſupponere nonnullos dari Dæmoniacos.

Sextò, item experientiâ quotidianâ probari poteſt, his enim temporibus non deſunt Dæmoniaci, quos videmus à Dæmonibus vexari, atque eoſdem virtute Chriſti ab Exorciſtis liberari; Quæ omnia atteſtantur malignos Spiritus ſæpè hominum ingredi corpora eoſque vexare, quod nullus negare poteſt niſi proprijs ſenſibus fidem non adhibeat, & præteritorum temporum hiſtorias neget, imò ſupra adducta ſacra teſtimonia, & alia quæ citari poſſent, in dubium reuocet.

Et denique id ratione probari poteſt; nam iſti Energumeni loquuntur quandoque linguis peregrinis quas non audierunt, non didicerunt, non ſciuerunt, aut alios ſic loquentes intelligunt; vel loquuntur de rebus altiſſimis quæ eorum captum excedunt; abſentia, ſecreta, & occulta aut iampridem oblita ac ſi viderent, aſſeuerant;

S. Auguſt. de Gen. ad litte. futura annuntiant, vt experientia innoteſcit. Et S. Auguſt. de Geneſi ad litteram commemorat hiſtoriam de quodam arreptitio, quem ait à nemine voluiſſe cibum ſumere niſi à quodam ſacerdote; cùm autem ille ſacerdos procul ad quinque milliaria ab illo habitaret, ſolitum prædicere, iam illum egredi è domo ſua, iam eſſe in itinere, iam in taberna, iam accedere ad fundum, iam ſtare præ foribus; ſed impoſſibile eſt has cognitiones, prædictiones, aliaque admiranda opera prouenire ab aſtris ſiue à morbis, non enim fieri poſſunt niſi ab agente libero operante per intellectum & voluntatem; aſtra autem, aut morboſæ qualitates intellectus & voluntatis ſunt expertia; ergo illæ operationes non poſſunt nec debent tribui aſtris aut hominibus, morboſis illis qualitatibus affectis: non debent quoque attribui ipſis energumenis aut arreptitijs, quia eorum facultates ac vires excedunt: & minùs adhuc ipſi Deo aſcribi queunt vt cauſæ par-

ticulari aut bonis Angelis, videmus enim ſæpè eos blaſphemare Deum, aut maledicere, quæ non eſſe à Deo effectore, aut Angelo, nullus dubitare poteſt; ſupereſt ergo à ſufficiente diuiſione agentium per intellectum, vt dicamus fieri à Dæmonibus tanquam pręcipuis effectoribus.

Deinde etiam apertè colligitur eos ſæpè intra ipſos Dęmoniacos, intra Energumenorum corpora exiſtere, ipſoſque ſubintraſſe, aliàs loquutiones ab eis fieri non poſſent. Confirmatur, quia potiſſimum inſtrumentum ſeu organum ad voces formandas, pulmo eſt exiſtens in medio thorace pectoris, ergo vt illum Dæmon moueat immediatè & per ſeipſum, in illo debet exiſtere, & proindè Dęmon loquens per Energumenum, intra terminos quantitatis corporis debet conſiſtere, vt formet voces per os eius.

Obijcies primò Gloſſam circa illud Habacuc: *Dominus in templo Sancto ſuo,* dicentem, Dęmones ſimulachris exteriùs præſidere poſſe, non autem interiùs adeſſe: ergo multò minùs poterunt intrare corpora humana. Reſpondemus illa verba gloſſæ intelligenda eſſe contra idololatras quoſdam, fortaſſe diſcipulos Hermetis Triſmegiſti, exiſtimantes ex Dęmone & ſimulachro fieri vnum, ſicut corpus ex materia & forma; & hoc pacto non dicuntur Dæmones intus eſſe in ſimulachris; non autem Gloſſa negaret poſſe Dęmonem ingredi ſimulachra intus operando, ſicut & humana corpora. *Gloſſa in Pſal. 10.*

Obijcies ſecundò, Animâ rationalis eſt tota in toto corpore, & tota in qualibet corporis parte; Ergo in nulla poteſt inhabitare Dęmonium; tum quia duo Spiritus creati nequeunt eſſe in eodem loco ſicut neque duo corpora; tum etiam quia eſſet confuſio operationum à diuerſis illis emanantium, quę nullatenus eſt admittenda. Reſpondeo non eſſe vtriuſque exiſtendi modum eundem in corpore, anima ſiquidem in eo non eſt vt in loco propriè loquendo, ſed velut Spiritus coniunctus & forma illud corpus informans & viuificans; Dæmon verò in illo eſt & in partibus illius ſaltem aliquibus velut Spiritus ſeparatus, vel vt locatum in loco, vel vt motor aſſiſtens, quapropter ſine confuſione operationum poteſt vterque eſſe in eodem corpore; anima poterit vegetare partes ac nutrire, Dæmon eas ſimul mouere localiter, atque vexare. Nonnulli argumento reſpondent vtrumque ſpiritum benè ſtare in eodem corpore, non autem in eadem parte corporis; quoniam anima eſt in qualibet parte humani corporis, Dęmon autem in quibuſdam humoribus vel concauitatibus internis, & ſic non repugnat ambo in eodem ſtare corpore.

SECTIO II.

Per quam hominis partem Dæmon ingreditur & egreditur, & quibus ſignis patet eius ingreſſus.

IVDICIVM vulgare eſt per os ingredi, vnde ex laudabili conſuetudine dum oſcitant aliqui, os ſigno Crucis munire ſolent, ne in illud aut per illud ipſe Dæmon audeat ingredi. Hanc autem opinionem non improbamus, ſed dicimus quod ſi illi vt verum eſt & aliàs probauimus, ſint Spiritus incorporei, per omnes corporis partes poſſunt ingredi abſque vlla difficultate, & ſic non ſolùm per os, verùm etiam per aures, per nares, per poros, imò per ſolidiſſimas partes, quas ſine apertione aut ruptura penetrare ſpiritibus facilè eſt. Dum autem hominem Dæmon intrat, ſuam præſentiam atque inuaſionem certis quibuſdam indicijs manifeſtare ſolet, etiam tum quando inuiſibiliter atque inſenſibiliter illabitur: nam vt dicitur in Rituali Romano cap. 1. aut ventum inſolitum & tumultum excitat circa hominem obſidendum, qui in alijs locis non auditur nec obſeruatur; aut hominem obſidendum affligit percutiendo, aut in terram proſternendo, aut colaphos infligendo: aut ſomnianti mirabiles rerum ſpecies ingerit, quibus eum terrore horribili concutit, ſpecies inquam aut canis nigri aut hirci, atque ab his ſe inuadi aut occidi obſidendus ſomniat, qui deinde à ſomno excitatus, ſomnij veritatem magno ſuo detrimento experitur. Turbatum autem hominem ſpiritus nequam requirit, quia turbatione & tumultu turbulentus gaudet: ſicut è diuerſo Deus cor quietum & hominem tranquillum poſtulat vt S. Iacobus ait: *In manſuetudine ſuſcipite inſitum verbum quod poteſt ſaluare animas veſtras.* Hinc prouenit quod interdum Dæmon ſub horrenda ſpecie ſe priùs videndum præbeat priuſquam hominem ingrediatur, vt turbatum eum reddat, non tamen ſemper externis argumentis ſuum ingreſſum prænuntiat, interdum id & occultè facit, interdum verò ſub viſibili ſpecie in hominem intrat, nam quamuis Dæmones ſpiritus ſint qui corpore carent, corpus tamen aſſumere poſſunt, & ita fit vt interdum ſub forma muſcæ aut aranei, aut bufonis, aut alterius beſtiæ appareat in corpore obſeſſi, ſiue in crure, ſiue in lingua, ſiue in alia corporis parte, vbi & tuber quoddam excitare conſpicitur. Coguntur autem Dæmones inuiſibili Dei virtute, huiuſmodi ſordida & vilia animalium corpora aſſumere, quibus ſuam

Loyaerts Dominica 3. Quad.

Iacob. 1.

teſtentur fœditatem, vilitatem & præſentiam, aut dum expelluntur abſentiam. Hæc & alia plura habet ad hoc propoſitum Loyaerts loco ſupra allegato. Vide Franciſcum Samarinum in Sacerdotum theſauro, parte 1. vbi agit de exorciſmis contra Dæmoniacos.

SECTIO III.

Quænam ſint motiua ob quæ Dæmones humana corpora ingrediantur, & an ex tali ingreſſu lætitiam, aut aliquod pœnarum leuamen percipiant.

DVÆ ſunt huius ſectionis partes: quod ad priorem ſpectat, ſupponimus primò nullum dubitare poſſe illos maximè exoptare hominum corpora ingredi, ſi ipſos conſideret conqueri quod eos Chriſtus ab ipſis corporibus expelleret, vt narrant SS. Matthæus, Lucas, & Marcus; *Quid nobis, & tibi Ieſu? ante tempus veniſti torquere nos.* Quænam tamen ſint eorum motiua & fines, in hoc ingreſſu eſt indagandum. Dæmones maximè exoptant corpora humana ingredi. *Matth. 8. Luc. 8. Marc. 1.*

Primum eſt odium quo in Deum & homines flagrant, de quo anteà dictum eſt. Secundum, eſt inuidia erga homines, de qua quidem ſatis iam in præſenti tractatu latè diſſeruimus, quia videlicet vident Dei Verbum neglecta natura Angelica, naturam humanam in vnitate ſuppoſiti aſſumpſiſſe, & ſuper cœlos & omnes Angelos eam euexiſſe; quia etiam vident homines Dei præſentiâ frui, ac in ſedibus, à quibus eiecti ſunt, collocari, quibus omnibus perpetuo carebunt. Ex hac igitur teterrima inuidia & infenſiſſima inimicitia, continuò homines in peccata plurima pertrahere conantur, & in infernum detrudere; & vt faciliùs malignum ſuum conſequantur intentum ac finem, ingrediuntur corpora dum illis à Deo permittitur, illaque lacrymabili vexatione affligunt.

Tertium motiuum, eſt illud ingens deſiderium quod habent hominibus ex ſuperbia dominandi; quod in nulla re ſenſibiliùs expletur quàm in tali ingreſſu in corpora, & eorũ multiplici vexatione.

Quartum motiuum eſt, vt adorentur & pro Dijs habeantur ab ipſis Dæmoniacis aut arreptitijs exorantibus vt eos à tali clade liberare velint. Et hoc poſtremum motiuum inualuit apud Paganos ait Abulenſis, qui videntes ſe à Dæmonibus affligi, eis diuinos honores exhibuerunt & ſacrificia obtulerunt, vt his placati à formidabili vexa-

tione ceſſarent; nullius verò momenti eſt apud Chriſtianos, qui in Chriſti fide radicantur.

Dæmones non ita ingreſſum in brutorũ corpora appetunt ac hominum.

Gen. 3.

Matth 8.

Quia autem erga bruta nec odio nec inuidia afficiuntur, non ita in eorum corpora ingreſſum appetunt, & proindè vt experientia teſtatur, perpauca bruta fuêre à Dæmone poſſeſſa. Quod ſi quandoque id contingat vt in ſerpente qui decepit Euam, & in grege porcorum, talis ingreſſus à malignis illis ſpiritibus non fuit ordinatus ad vexanda bruta, ſed ad nocendum hominibus, vel ad illos decipiendos, vel quatenus ad homines pertinent.

Dæmones an ex ingreſſu in hominum corpora aliquod gaudiũ percipiant, latè diſcutitur

Quod autem ad poſteriorem ſectionis partem attinet, ipſi Dæmones ex ingreſſu in hominum corpora aliquod gaudiũ percipiunt. Primò, quia vt in priori parte diximus, illi maximè cupiunt huiuſmodi ingreſſum propter odium, ac inuidiam erga ipſos homines; ſed ad conſecutionem deſiderij, & maximè in nocumentum inimicorum neceſſariò ſequitur lætitia ac delectatio; ergo, &c.

S. Auguſt. in Solil.

1. part. qu. 64. art. 3. ad 1.

Confirmatur ex SS. Patribus qui ſæpè aſſerunt Dæmones gaudere de malis noſtris, ſpecialiter S. Auguſtinus in Soliloquijs ſic ait: ***Quoties à bono deuiamus, Diabolum lætificamus***: ita S. Thomas, ***non eſt***, inquit, ***inconueniens Dæmones dolere de vno, ſcilicet de amiſſione vitæ æternæ, & gaudere de alio, ſcilicet de infœlici poteſtate contra homines.*** Notandum tamen illud gaudium qualecumque ſit eſſe admodum leue ac momentaneum, nam cùm mens Dæmonum ingenti triſtitia occupetur propter amiſſionem ęternæ beatitudinis, & pœnam quam continuò ſubeunt, quicquid lætitiæ ſuperuenit leue eſt. Inſuper aduertentes Dæmones eam leuem & modicam lætitiam à malo prouenire, nempè à ſuo liuore ac inuidia, & in malum tandem deſituram, videlicet in maiorem ſuam infœlicitatem & pœnarum augmentum, quia lætari in malis miſeria eſt, non modica afficiuntur triſtitia, ſicque apud eos verum eſt illud Sapientis: ***Extrema gaudij luctus occupat.***

Prouerb 14.

Ariſtot. 7. Ethic.

Sed in oppoſitum, nonnulli docent Dæmones tanto dolore & triſtitia continuò occupari, vt nullum poſſint in quocumque euentu concipere gaudium: & probant ex Ariſtot. in Ethicis, qui docet ſummum dolorem non admittere ſecum gaudium aliquod, etiam de alio obiecto diſtincto, quod experientia ipſa comprobatur: at verò Dæmones vehementiſſimo ac ſummo ſemper afficiuntur dolore, ergo non poſſunt vel tantillum lętari. Confirmatur, ſi enim aliquo gaudio & lætitia perfunderentur, eorum magnus dolor mitigaretur aliquantulum; at hoc conſequens admitti non debet, tum quia non eſſent conſtituti in extrema miſeria, tum quia in pœna eorum eſſet aliqua variatio contra communem Doctorum ſenſum. Reſpondeo

Ariſtotelem eſſe intelligendum quando dolo[illegible]titia ſunt in ſupremo gradu; at non ſic in Dæmonibus reperiri poſſunt: & ideo in eis non valet illa auctoritas; quare ad argumentum dico quod quando in ſpiritibus volitiones ſunt de diuerſis obiectis, non eſt cur ſe impediant, neque in amore, aut odio, neque in lætitia & triſtitia inde conſequentibus; ſed ita eſt quòd lętari in Dæmonibus naſcitur ex hoc quòd voluntas amat aliquod obiectum, & dolere ex eo quòd eadem voluntas renititur circa aliquod obiectum: ergo cùm ſic circa diuerſa obiecta amore, & odio ferantur, poſſunt cum ſumma triſtitia & dolore aliquantulum concipere gaudium eo modo quo expoſitum eſt, nec illa triſtitia à modico illo gaudio mitigatur aut minuitur.

Ad confirmationem, Reſpondetur Dæmones eſſe tanta triſtitia præoccupatos propter bona quæ amiſerunt, & ob cruciatum ignis quem acerrimè ſubeunt, & ſe in perpetuum ſubituros norunt, & alia contriſtantia, vt eorum modica lætitia propter vexationem hominum aut alia mala, parum aut nihil mitiget de eorum pœna, & maximè quia vt docet S. Thomas quamuis lætentur de malis hominum ac pœnis, ipſamet tamen lætitia in eorum magnum mœrorem cedit ipſa remordente conſcientia, & quia dolent de impletione voluntatis Dei quæ in eadem vexatione reperitur. Et ita liquidò conſtat eos non eripi à ſtatu ſummæ miſeriæ, propter modica illa gaudia quæ percipiunt ex hominum tortura; nec etiam ſequitur eorum eſſentialem pœnam variari, ſed potiùs accidentariò incrementum ſumere. Deinde iam aliàs diximus Dæmones quocumque in loco exiſtant, vel in aëre caliginoſo, vel in alijs partibus ad exercitium vel impugnationem hominum nihil de eorum pœnis minui, ſed ſemper ſecum ferre infernalis ignis miſerrimos cruciatus.

S. Thom. in quodlib. 5. q. 10. art. 2.

SECTIO IV.

In quorum poteſtate ſitum ſit immittere Dæmones in humana corpora, & efficere vt torqueantur; & primò an in poteſtate Dei; & ob quid.

NVLLVS negare poteſt quin plures poteſtatem habeant Dæmones immittendi in humana corpora, vt ab illis torqueantur, ſed primò eſt ſedulò animaduertendum illud in Dei Opt. Max. po-

Deus poteſt immittere Dæmones in humana

corpora, ſiue ob peccata, ſiue ob alias rationes. teſtate ſitum e[illegible]ia omnis creatura Deo eſt ſubiecta, eiuſque imperio paret, & per conſequens Dæmones: *Columnæ cœli* (inquit

Iob. 26. Iob) *contremiſcunt & pauent ad nutum eius.* Et vt iam diximus, ipſe Deus eſt ſaltem permiſſiua cauſa huius poſſeſſionis à Dæmonibus.

Deus autem talem poſſeſſionem & vexationem permittit, quandoque nullâ exiſtente culpâ, & quandoque illâ ſuppoſitâ. Primum patet ex eo quod legimus ipſos Dæmones generaliter loquendo, interdum torquere viros ſanctiſſimos, vt conſtat de S. Iob qui nullum commiſerat peccatum; & de his quorum meminerunt Caſſianus, Palladius, & alij, idque vt illos à vitijs deterreat Deus illoſque exerceat, & ita alijs ſint exemplo patientiæ, humilitatis, & aliarum virtu-

Collat. 28. tum. Vnde ex dictis colligit Caſſianus non debere eos abominationi eſſe vel deſpici, quos iſtis ſpiritibus nequitiæ tradi videmus, quia hęc duo credere nos immobiliter oportet. Primum, quod vt aliàs dictum eſt, ſine Dei permiſſu nullus ab his omninò tentetur. Secundum, quod omnia quæ ab ipſo Deo nobis inferuntur, ſiue triſtia ad preſens, ſiue læta videantur, velut à pijſſimo patre clementiſſimoque medico pro noſtris vtilitatibus irrogentur; & idcirco eos veluti pædagogis traditos humiliari; vt diſcedentes ex hoc mundo purgatiores ad vitam aliam transferantur, vel pœnâ leuiori plectantur.

Deinde certum eſt interdum aliquos torqueri à Dęmone, ne in

Lib. 1. Dial. aliqua labantur peccata, vt author eſt S. Greg.

Ex his ergo conſtat ſemotâ omni culpâ, quandoque Dęmones

In libris de Dei prouidentia. diuinâ prouidentiâ ſanctiores vexare homines, vt habet S. Chryſoſtomus, & non ſolum adultos, verumetiam & pueros, quod patet ex

Marci 9. eo quod Sanctus Marcus Euangeliſta refert, puerum quendam grauiſſimam Dæmonis vexationem ab infantia ſuſtinuiſſe; quemadmodum pater pueri Chriſto Domino interroganti confeſſus eſt. Ita

S. Hieron. Sanctus Hieronymus in Epiſtola ad Paulum de dormitatione Bleſillæ refert de bimulis & trimulis, ac pueris vbera ſugentibus à Dęmone arreptis. Ita quoque idem de quibuſdam pueris qui nondum

Lib. 21. de Ciuit. Dei, c. 18. rationis vſum attigerant, adſtruit Sanctus Auguſtinus: *Ipſi* (inquit) *paruuli per lauacrum regenerationis ab originalis peccati, quo ſolo tenebantur vinculo iam ſoluti, mala multa patientes, nonnulli etiam incurſus ſpirituum malignorum aliquando patiuntur*: videndus eſt Palladius in vita Sancti Macarij. Quandoque etiam Deus permittit aliquos à Dæmonibus poſſideri non ob ſua propria peccata, ſed aliorum, vt filios ob peccata parentum, ſeruos ob peccata dominorum, ſubditos ob peccata ſuperiorum, vxores ob ſcelera maritorum. Et ratio eſt, quia non eſt magis abſurdum quempiam experiri Dæmonum tyrannidem propter peccata aliena, quàm alias pœnas tempo-

rales:

tales: at certum eſt pati nos frequentiſſimè pœnas peccatis alienis debitas, vt conſtat in Exodo: *Ego ſum Deus zelotes viſitans iniquitates Patrum in filios in tertiam & quartam generationem.* Et in Threnis: *Patres noſtri peccauerunt, & nos iniquitates eorum portauimus.* Et apud Ezechielem: *Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obſtupeſcunt.* Et denique in libris Regum, filius natus ex adulterio Dauidis, damnatur morte ordinatione diuinâ, propter peccatum parentis; ita enim illic loquitur ipſi Dauidi Natham Propheta: *Tranſtulit à te Dominus peccatum tuum, veruntamen filius qui natus eſt tibi morte morietur.* Multa ſunt exempla ad id confirmandum, & aliquot adducemus de quibuſdam pueris arreptis à Dæmonibus malâ ſuorum parentum imprecatione. Cæſarius ſcribit Patrem iratum filiæ quinque annis ſolùm natæ, cùm lac comederet, imprecatum eſſe, vt ſimul cum lacte Diabolum voraret; vix verbum ille eſt effatus, cùm à Diabolo occupata fuit puella, miſeramque ſeruitutem vſque ad maturam ætatem perpeſſa eſt. Idem Cæſarius exemplum aliud refert de vxore cui maritus imprecatus fuerat; atque etiam alterum de filio, cui quoque pater eodem modo Dæmonium fuerat imprecatus. His autem aliud addimus ex vita Zenonis Martyris deſumptum; ibi mater cùm febricitanti filio poculum aliquoties præbuiſſet, nec filius petere deſiſteret, impatientiâ victa eidem poculum offert, & cum poculo Dæmonium imprecatur, moxque ille à Dæmone miſerè cœpit torqueri. Vide Surium 25. Maij. Denique aliud ſuperaddimus celebris illius Dæmoniacæ Laudunenſis in Gallia, anno 1566. liberatæ, & illud Motenſis in Hannonia anno 1584. quæ ambæ in poteſtatem Dæmonum malâ parentum imprecatione venerant, vt notat Thyræus. Et noſtris temporibus huius rei multa narrantur exempla.

Exod. 20. *Thren. 5.* *Ezech. 18.* *2. Reg. 12.* *Lib. 5. cap. 26.* *Cap. 11. & 12. euſd. libri.* *Parte 2. diſp. de Dæmonia. in cap. 31.*

Fauet ratio, quia vexatio hæc Dæmonum, malum pœnæ eſt: at ſæpè mala pœnæ Deus infert ſine culpa patientis aut alterius; ergo idem dicendum eſt de hac Dæmonum ingenti moleſtia. Libet commemorare pro hac re Chriſti Domini doctrinam apud S. Ioannem dicentis de cœco à natiuitate: *Neque hic peccauit, neque parentes eius, &c.* Apertè ſubindicans mala quæcumque pœnæ ſine vllo peccato plerumque à Deo infligi. Sanctus autem Hieronymus in reddenda ratione cur permittat Deus aliquos à Dæmonibus arripi & vexari, recurrit ad Dei iudicia inſcrutabilia.

Ioan. 9. *In Epiſtola ad Paulam de dormitatione Bleſillæ.*

Quoad ſecundum, quòd videlicet quandoque permittat Deus, Dæmonem corpus alicuius ingredi, ad illud vexandum aliquâ ſuppoſitâ culpâ in vindictam & pœnam; conſtat ex eo quod de huiuſmodi notant SS. Patres. Et primò ob ſuperbiam, nam S. Hierony-

mus in Danielem, & Epiphanius in vita eius, affirmant Nabuchodonoſorem virum ſuperbiſſimum, fuiſſe à Dæmonibus poſſeſſum, cuius rei non pauca dedit ſigna; ob ſcelera tamen ſua id ei contigiſſe, ex Danielis hiſtoria ea commemorante, palam fit. Idem videre licet in Saüle, quem fuiſſe Dæmoniacum ob ſuperbiam, liuorem, ac perſecutionem in Dauidem, graues patres aſſeuerant. Secundò aliqui

2. Ad Timoth. 4. fuere à Dęmone poſſeſſi ob blaſphemias, & ita S. Paulus Hymenæum & Alexandrum Sathanæ tradidit ob blaſphemias in Deum ac

Baronius. Sanctos. Et Baronius tomo 7. circa annum Chriſti 630. ſic ait ex Cedreno. Eo tempore Gręci quidam in domo cuiuſdam prandentes, eò prolapſi ſunt vt in Virginem Deiparam conuitia & execrationes iacerent, horum reliqui illicò à malis ſpiritibus arrepti pœnas dederunt. Hęc ille. Digna certè blaſphemis pœna vt torqueantur à

2. 2 qu. 13. art. 4. Vualdenſis. ſpiritibus qui in perpetuum blaſphemias iactabunt, ſicut de damnatis affirmat S. Thomas. Aliud narrat Waldenſis de quodam blaſphemo in Sacram Euchariſtiam, lib. de Sacramentalibus contra Wiclephitas. Tertiò aliqui fuêre à Dęmone arrepti ob luxuriam extraordinariæ malitiæ, vt patet de illo Corinthio quem propter in-

a 1. ad Cor. 5. b In vita Hilarionis. ceſtum commiſſum, Sathanæ tradidit S. Paulus. [a] Et S. Hieronymus [b] narrat de Virgine Deo dicata, à Dæmone arrepta propter impudicam confabulationē & aſpectum cum iuuene impudico. Quartò quidam etiam à Dæmone arrepti fuêre propter impietatem in

c In vita S. Paterny. parentes. Metaphraſtes [c] refert quòd cùm ad Partenium parentes quidam filium ſuum arreptitium adduxiſſent, & pro eiuſdem ſanitate deprecarentur, dixit: *Sinite torqueatur, parricida eſt; parentibus vobis ſæpè moleſtus fuit, & quam eidem optaſtis iuſtam ſuſtinet caſtigationem.*

Sigisbertus. Et de Carolo iuniore Ludouici Germanorum Regis filio, refert Sigisbertus circa annum Domini 873. quod à Dęmonio grauiter in præſentia patris & optimatum eius ſit vexatus, & in vexatione confeſſus hoc ſibi accidiſſe, quia contra patrem ſuum conſpirationem facere moliebatur. Sunt de hac re innumeri caſus funeſti. De

Lib. 4. Genialium dierum, cap. 19. Proverb. 30. his ergò vide Alexandrum ab Alexandro, Et Surium 25. Maij in vita S. Zenobij Florentini. Præclarè admodum hoc innuit ſapiens: *Oculum qui ſubſannat patrem, & qui deſpicit partum matris ſuæ, effodiant eum corui de torrentibus, & comedant eum filij Aquilæ.* Ad litteram ſenſus eſt, ſuſpendantur in patibulis; Anagogicè verò, poſt obitum imò & in hac vita, fiant partes & præda Dęmonum. Longum eſſet recenſere varia peccatorum genera, propter quæ narrantur à fide dignis multos fuiſſe à Dæmone poſſeſſos, puta per contemptum religionis, per iniurias illatas Eccleſijs, per Sacramenti Confirmationis contemptum, & ſimilia. Vnum tamen dicere non graua-

bor, ſæpiſſimè homines à Dæmonibus arreptos fuiſſe, quia ſe Dæmonibus deuouerunt, & vt ab eis poſſiderentur, poſtularunt, & meritò arrepti ſunt, quia timore Dei contempto ſuum carnificem ac tortorem accerſierunt. Videatur Ioannes Nider qui inſignibus memoratis caſibus, rem comprobat. *Lib. 5 formicarij.*

Cùm autem diximus quempiam torqueri à Dæmone propter peccata, illud non eſt intelligendum de ſolis peccatis mortalibus, certum enim eſt nonnullos torqueri interdum à Dæmone propter peccata venialia, vt tradit Caſſianus, ait enim [a] veniales culpas Dęmonibus homines ingrediendi occaſionem præbuiſſe: & rurſùs [b] refert Abbatem Moyſem virum iuſtum à Dęmone fuiſſe arreptum propter impatientiam, & quoddam verbum duriùs prolatum inter diſputandum cum Machario, quod eſſe peccatum duntaxat veniale certum eſt. Eiuſdem ſententiæ fuit S. Gregorius, qui in ſuis Dialogis narrat Virginem quandam ideo à Dęmone fuiſſe poſſeſſam ob leuem gulam, quia videlicet hortum ingreſſa lactucas comediſſet non præmiſſo crucis Chriſti ſigno: & rurſum refert matronam quandam ſimilem pœnam toleraſſe, quod ſupplicationi ſolemni interfuiſſet, cùm tamen non abſtinuiſſet à copula coniugali eo die: tantum autem culpæ iſtæ ad ſummum potuerunt eſſe veniales.

a Lib. 7. collat. cap. 25.
b Cap. 27.
Greg. lib 1. Dial cap. 4.
Cap. 10.

Admirabitur autem fortaſſe aliquis quomodo propter leues culpas veniales tam ingentem pœnam infligat Deus: ſed ceſſabit admiratio, ſi perpēdatur vnum vel leuiculum veniale peccatum, dignè puniri igne Purgatorio; cuius afflictio longè ſuperat omnes etiam arreptitiorum calamitates ac cruciatus.

SECTIO V.

An poſſint viri iuſti & magi immittere Dæmones in humana corpora, imò an ipſimet Dæmones poſſint efficere vt alij illa quoque torqueant.

RESPONSIO eſt affirmatiua. Et primò id poſſunt viri iuſti & timoratæ conſcientiæ, atque ſanctitatis & pietatis cultores, vt patet ex locis in præcedenti ſect. citatis, vbi legimus Apoſtolum tum inceſtuoſum Corinthium tum Alexandrum & Hymenęum blaſphematores, Sathanæ in interitum carnis tradidiſſe, vt eorum ſpiritus ſalui fierent. Nec valet quod aliqui dicunt, homines qui ſunt corpo-

Viri iuſti poſſunt immittere Dæmones in humana corpora.
1. Cor. 5.
1. ad Tim. 4.

mus in Danielem,& Epiphanius in vita eius, affirmant Nabuchodonoſorem virum ſuperbiſſimum, fuiſſe à Dæmonibus poſſeſſum,cuius rei non pauca dedit ſigna; ob ſcelera tamen ſua id ei contigiſſe, ex Danielis hiſtoria ea commemorante, palam fit. Idem videre licet in Saüle, quem fuiſſe Dæmoniacum ob ſuperbiam, liuorem, ac perſecutionem in Dauidem, graues patres aſſeuerant. Secundò aliqui fuere à Dęmone poſſeſſi ob blaſphemias, & ita S. Paulus Hymenæum & Alexandrum Sathanæ tradidit ob blaſphemias in Deum ac Sanctos. Et Baronius tomo 7. circa annum Chriſti 630. ſic ait ex Cedreno. Eo tempore Grçci quidam in domo cuiuſdam prandentes, eò prolapſi ſunt vt in Virginem Deiparam conuitia & exectationes iacerent, horum reliqui illicò à malis ſpiritibus arrepti pœnas dederunt. Hęc ille. Digna certè blaſphemis pœna vt torqueantur à ſpiritibus qui in perpetuum blaſphemias iactabunt, ſicut de damnatis affirmat S. Thomas. Aliud narrat Waldenſis de quodam blaſphemo in Sacram Euchariſtiam, lib. de Sacramentalibus contra Wiclephitas. Tertiò aliqui fuêre à Dęmone arrepti ob luxuriam extraordinariæ malitiæ, vt patet de illo Corinthio quem propter inceſtum commiſſum, Sathanæ tradidit S. Paulus. [a] Et S. Hieronymus [b] narrat de Virgine Deo dicata, à Dæmone arrepta propter impudicam confabulationē & aſpectum cum iuuene impudico. Quartò quidam etiam à Dæmone arrepti fuêre propter impietatem in parentes. Metaphraſtes [c] refert quòd cùm ad Partenium parentes quidam filium ſuum arreptitium adduxiſſent, & pro eiuſdem ſanitate deprecarentur, dixit: *Sinite torqueatur, parricida eſt; parentibus vobis ſæpè moleſtus fuit, & quam eidem optaſtis iuſtam ſuſtinet caſtigationem.* Et de Carolo iuniore Ludouici Germanorum Regis filio, refert Sigisbertus circa annum Domini 873. quod à Dęmonio grauiter in præſentia patris & optimatum eius ſit vexatus, & in vexatione confeſſus hoc ſibi accidiſſe, quia contra patrem ſuum conſpirationem facere moliebatur. Sunt de hac re innumeri caſus funeſti. De his ergò vide Alexandrum ab Alexandro, Et Surium 25. Maij in vita S. Zenobij Florentini. Præclarè admodum hoc innuit ſapiens: *Oculum qui ſubſannat patrem, & qui deſpicit partum matris ſuæ, effodiant eum corui de torrentibus, & comedant eum filij Aquilæ.* Ad litteram ſenſus eſt, ſuſpendantur in patibulis; Anagogicè verò, poſt obitum imò & in hac vita, fiant partes & præda Dęmonum. Longum eſſet recenſere varia peccatorum genera, propter quæ narrantur à fide dignis multos fuiſſe à Dæmone poſſeſſos, puta per contemptum religionis, per iniurias illatas Eccleſijs, per Sacramenti Confirmationis contemptum, & ſimilia. Vnum tamen dicere non graua-

2. Ad Timoth. 4.

Baronius.

2. 2 qu. 13. art. 4.

Vualdenſis.

a *1. ad Cor. 5.*

b *In vita Hilarionis.*

c *In vita S. Paterny.*

Sigisbertus.

Lib. 4. Genialium dierum, cap. 19.

Surius.

Proverb. 30.

bor, ſæpiſſimè homines à Dæmonibus arreptos fuiſſe, quia ſe Dæmonibus deuouerunt, & vt ab eis poſſiderentur, poſtularunt, & meritò arrepti ſunt, quia timore Dei contempto ſuum carnificem ac tortorem accerſierunt. Videatur Ioannes Nider qui inſignibus memoratis caſibus, rem comprobat. *Lib. 5 formicarij.*

Cùm autem diximus quempiam torqueri à Dæmone propter peccata, illud non eſt intelligendum de ſolis peccatis mortalibus, certum enim eſt nonnullos torqueri interdum à Dæmone propter peccata venialia, vt tradit Caſſianus, ait enim [a] veniales culpas Dęmonibus homines ingrediendi occaſionem præbuiſſe: & rurſùs [b] refert Abbatem Moyſem virum iuſtum à Dęmone fuiſſe arreptum propter impatientiam, & quoddam verbum duriùs prolatum inter diſputandum cum Machario, quod eſſe peccatum duntaxat veniale certum eſt. Eiuſdem ſententiæ fuit S. Gregorius, qui in ſuis Dialogis narrat Virginem quandam ideo à Dęmone fuiſſe poſſeſſam ob leuem gulam, quia videlicet hortum ingreſſa lactucas comediſſet non præmiſſo crucis Chriſti ſigno: & rurſum refert matronam quandam ſimilem pœnam toleraſſe, quod ſupplicationi ſolemni interfuiſſet, cùm tamen non abſtinuiſſet à copula coniugali eo die: tantum autem culpæ iſtæ ad ſummum potuerunt eſſe veniales.

a Lib. 7. collat. cap. 25. *b Cap. 27.* *Greg. lib 1. Dial. cap. 4.* *Cap. 10.*

Admirabitur autem fortaſſe aliquis quomodo propter leues culpas veniales tam ingentem pœnam infligat Deus: ſed ceſſabit admiratio, ſi perpēdatur vnum vel leuiculum veniale peccatum, dignè puniri igne Purgatorio; cuius afflictio longè ſuperat omnes etiam arreptitiorum calamitates ac cruciatus.

SECTIO V.

An poſſint viri iuſti & magi immittere Dæmones in humana corpora, imò an ipſimet Dæmones poſſint efficere vt alij illa quoque torqueant.

RESPONSIO eſt affirmatiua. Et primò id poſſunt viri iuſti & timoratæ conſcientiæ, atque ſanctitatis & pietatis cultores, vt patet ex locis in præcedenti ſect. citatis, vbi legimus Apoſtolum tum inceſtuoſum Corinthium tum Alexandrum & Hymenęum blaſphematores, Sathanæ in interitum carnis tradidiſſe, vt eorum ſpiritus ſalui fierent. Nec valet quod aliqui dicunt, homines qui ſunt corpo-

Viri iuſti poſſunt immittere Dæmones in humana corpora. *1. Cor. 5.* *1. ad Tim. 4.*

rei, nullum poſſe habere imperium in Dæmones, qui ſunt ſpiritales & longè altioris naturæ; nam ſi par in parem (aiunt) non habet imperium, multò minùs inferior in ſuperiorem; non valet, inquam, quamuis enim id de facto verum ſit quòd naturâ hominibus præſtantiores ſint, conditio tamen ſtatus eorum ad quem ob ſua peccata deuenerunt, multò eſt plurium hominum ſtatu inferior. Deinde ſi comparetur poteſtas naturalis Dęmonum cum naturali pôteſtate hominum, certum eſt illam eſſe iſtâ maiorem, ſed poteſtas hominis iuſti in Dęmones non eſt naturalis, ſed tantum voluntate diuina ſibi tradita. Et ſublimem hanc poteſtatem dedit Apoſtolis Chriſtus apud
Luc. 9. S. Lucam; *Conuocatis*, inquit S. Lucas, *duodecim Apoſtolis, dedit illis virtutem & poteſtatem ſuper omnia Dæmonia.* Et vt habet iterum
Luc. 10. idem S. Lucas: *Dedi vobis poteſtatem ſuper omnem virtutem inimici.* Deinde precantur interdum Dæmones, Sanctos quos norunt hanc habere poteſtatem, vt ſi quando ex hominibus diuinâ virtute eijciuntur, ſinant illos alios ingredi & torquere; vt conſtat ex reſpon-
Sprengerius. ſis eorundem apud Sprengerium in malleo maleficarum. Et hoc idem petijt ille Dæmon quem ex Artemia Diocletiani Imperatoris
Surius. Tom. 4. filia, eiecit S. Cyriacus referente Surio. Imò petunt vt vbi egreſſi fuerint, patiantur commorari in vaſe aliquo, vt auctor eſt idem Su-
Surius Tom. 1. rius de geſtis eiuſdem S. Cyriaci, in vita S. Marcelli Papæ.

Magi & Sagæ poſſunt immittere Dæmones in humana corpora.

Secundò, poſſunt quoque Magi, Sagæ, & alij ſortilegi, aliquos Dæmones in corpora immittere, & efficere vt vexentur & torqueantur, non quòd talem habeant poteſtatem ſicut viri Sancti, ſed vt Dæmonum coniuratio in damnum & ruinam hominum permaneat. Primùm id fatentur ipſi Dæmones quando exorciſmis eijciuntur, ſe à Magis & maleficis immiſſos eſſe, teſtantur hi dum quęſtionibus ſubijciuntur, ſe Dæmones aliquando immiſiſſe. Id etiam conſtat ex eo quod refert B. Hieronymus in vita Hilarionis, iuuenculam quandam à ſpiritu maligno fuiſſe poſſeſſam, operâ cuiuſdam iuuenis qui eius ardebat amore, edoctus tamen ab Æſculapij vatibus. Imò addit idem S. Hieronymus in vita eiuſdem, quòd cùm Hilario inculpaſſet Dæmonem, ipſe reſpondit magicis artibus ad id fuiſſe coactum. Exemplum etiam pro hac re recenſet Theodorus in hiſtoria
Sect. 13. SS. Patrum. Cùm quædam puella (inquit) thalamo adhuc contineretur, & repentè cœpiſſet vexari à malo Dæmone, accurrit pater ad diuinum hominem (Macedonius is erat) orans, & vociferans, & poſtulans vt curaretur filia; is autem precatus iuſſit vt Dæmon ſtatim abiret à puella; hic Dæmon dicebat non ſua ſponte fuiſſe ingreſſum, ſed magnis coactum præſtigijs, prodebat quoque nomen eius qui coëgerat, & amorem eſſe cauſam incantationis; & iuſſus à Ma-

cedonio vt narraret quomodo hæc eueniſſent, ille à maxima adductus neceſſitate, non ſolùm virum oſtendit qui eum coëgerat, verum-etiam & ancillam per quam potio quędam puellæ data fuerat.

Ita etiam concluſum fuit Romæ in quadam congregatione facta huius rei gratia à viris doctiſſimis, vt refert Maldonatus in Tract. de Dæmonibus quæſtiuncula an poſſit Dęmon per Magos & Sagas expelli aut inijci in homines. Refert Anaſtaſius Nicęnus Simonem Magum eos, qui ipſum præſtigiatorem dicerent, Dęmonibus ſubieciſſe poſtquam eos eſſet alloquutus, bouem ſacrificaſſet, & conuiuio excepiſſet. Idipſum faciebat Apollonius Tyanęus, vt conſtat ex eius vita apud Philoſtratum. Vide Baronium Tom. 1. anno Chriſti 88. *Quæſt. 13.*

Denique ipſi Dæmones Magorum & Sagarum operâ, multò grauiora mala inferunt hominibus, vt conſtat ex confeſſione eorumdem apud Syluestrum & Sprengerium: ergo poſſunt efficere vt aliquis ſit Dęmoniacus ſeu Energumenus. Aduerte tamen poteſtatem quam habent ipſi Magi ad Dęmones in corpora humana immittendos, multùm differre ab illa quam ad id habent viri Sancti; illi enim per colluſionem & pactum hoc præſtant, Deo tamen permittente; hi verò per authoritatem & mandatum, in eos ſiquidem ius habent & imperium, vt eorum operâ vtantur ad puniendum improbos.

Tertiò, Dæmones ſuperiores poſſunt inferioribus imperare vt corpora aliqua humana infeſtent & poſſideant, ſuppoſitâ tamen Dei permiſſione, quod probatur. Primò, quia quemadmodum inferiores Angeli à ſuperioribus illuminantur, ita & inferiores Dæmones à ſuperioribus quoque & aguntur, & prætereà impelluntur. *Dæmones Superiores poſſunt inferiores immittere in humana corpora.*

Secundò, id etiam conſtat ex ipſorum Dæmonum confeſſione, referunt enim Sprengerius, Syluester, & alij qui de his rebus ſcripſerunt, pleroſque Dæmones faſſos eſſe, ſe à Dæmonibus ſuperioribus in humana corpora immiſſos, ad ea excrucianda.

SECTIO VI.

Quorum ordinum ſint Dæmones qui homines poſſident: & an in vno & eodem homine poſſint multi intrare.

DVÆ ſunt huius ſectionis partes. Quod ſpectat ad reſolutionem prioris, eſt aduertendum, quòd ſicut inter Angelos bonos aliqui ſunt ſuperiores, & aliqui inferiores, ſunt ſiquidem eorum nouem ordines, vt in Tractatu de Angelis diximus; ita is ordo inter Dæmones ſeruatur, & eorum aliqui ſunt ſuperiores, alij inferiores, ij enim de ſingulis Angelorum ordinibus ceciderunt: & ideò eundem ſeruant ordinem quem ante caſum tenebant, aut ſaltem tenuiſſent ſi perſtitiſſent, cùm in eis naturalia remanſerint integra. Quæritur ergo an ſicut hominum cuſtodes ex infimo ſunt Angelorum ordine, ita Dæmones qui mala noſtra meditantur, putà ingreſſum in corpora, aut animarum tentationem, ſint inferioris ordinis Dęmonum.

Nonnulli putant inferiores Dæmones ſolùm, homines vexare, ſicut inferiorum Angelorum eſt, hominibus miniſtrare eoſque cuſtodire & protegere; at ſicut etiam ſuperiores Angeli pro grauioribus negotijs ſaltem, ad bonum & vtilitatem hominum, extraordinariè quandoque mittuntur, nec inſeruire militanti Eccleſiæ Dei iuſſu dedignantur, vt in Tractatu de Angelis dictum fuit, & exemplis probatum; ita etiam ex omni ordine & principatu, Dæmones humana corpora ingrediuntur, ac alias quamplures moleſtias hominibus inducunt. Probatur ex Apoſtolo: *Non eſt nobis*, inquit, *colluctatio aduersùs carnem & ſanguinem, ſed aduersùs Principes & Poteſtates, aduersùs mundi rectores, tenebrarum harum; contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus.* Ecce principatus & poteſtates, qui ſunt ex ordine ſuperiori Dæmonum, aſſeritur eſſe nobis infeſtos, cur non ingrediantur hominum corpora?

Dæmones ex omni ordine, humana poſſunt corpora poſſidere, &c.
Ad Epheſ. 6.

Accedit id quod narrat Palladius, Sanctum Antonium, cùm ad eum adductus eſſet Energumenus, intellexiſſe ſpiritum principalem eſſe, qui miſerum poſſideret; quocircà neque per ſe; nec per Sanctum Paulum Simplicem, cuius poteſtas quàm ſua maior eſſet, poſſe eijci.

Sect. 15. hiſt. Pat.

Et fortè pro hac ſententia Chriſti oratio eſt; nam cùm Dæmonium quoddam eieciſſet quod Apoſtoli eijcere nequiuerant, mox docuit quoſdam eſſe ſpiritus qui maiorum ſunt virium, & aduersùs quos communis exorciſandi ratio ad illos eijciendos non ſufficit, ſed machinas, orationem & ieiunium adhibere oporteat.

Et idem Chriſtus id ſuo ſilentio probare videtur; cùm enim Scribæ legis ei obijcerent quòd in Dæmoniorum Principe Beelzebub eijceret Dæmonia; non negauit ipſum Principem Dęmoniorum poſſidere poſſe, id ſuo ſilentio probat: ſed negauit ſe Principem Dęmoniorum habere, & in eius nomine Dęmonia eijcere. *Luc. 11.*

Id pariter confirmat poteſtas Apoſtolis ſuper omnia Dæmonia collata; ſi enim ſuper omnia Dæmonia eis conferatur poteſtas, ſequitur exinde ipſa hominum corpora interdum ingredi poſſe. *Luc. 10.*

Et quamuis hi Principes Angeli mali, ſint quoad naturam reliquis digniores, ad minima tamē officia pro hominum incommodis & vexatione ſe libenter demittunt, non attendentes quid pro naturæ dignitate conueniat agere, ſed potiùs vt ſuæ inuidiæ ac odio erga homines, faciant ſatis.

Quod autem ſpectat ad poſteriorem Sect. partem; de fide eſt, vnum & idem hominis corpus multa Dęmonia ingredi poſſe; nam apud Sanctum Matthęum legimus Dæmoniorum legionem, videlicet *6666.* vnum vexaſſe hominem: Et apud S. Lucam: *Cùm immundus ſpiritus exit ab homine, &c. tunc vadens aſſumit ſecum alios ſeptem ſpiritus nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi.* Quibus verbis ſupponit Chriſtus multos Dæmones vnum corpus poſſidere poſſe, nec tamen ſe ſe impedire, quia quantitate carent; & prætereà in proprijs diſtinctiſque partibus reſidere, in quibus quiſque operari poteſt, cruciando, torquendo, aut ſimile operando: dicemus enim poſtea Dęmones multis arreptitiis inferre moleſtias; & profectò veriſimile eſt plures plus vexare quàm vnum, nam cur plures ſimul eſſent niſi ad magis nocendum? hoc autem conſtat de illo Dæmoniaco à legione Dæmoniorum occupato, ille enim habitationem habebat in monumentis, non poterat quiſquam catenis conſtringere, & nocte in montibus vagabatur, lapidibus ſe concidebat, &c. quæ omnia multiplicata tormenta à multiplicitate Dęmonum inhabitantium dubio procul proueniebant; nam dum ita multi Dęmones vnum hominem poſſident, eorum quilibet diuerſa operatur nocumenta, imò in eadem parte, verbi gratiâ; quidam cor conſtringunt, alij percutiunt, alij multis alijs modis idem cor affligunt, & ſic de alijs hominis partibus & toto corpore; ex Dei tamen permiſſu & licentia; ſine qua non poſſent vexare homines: & ita ſua ordinatione, his Dæ-

Multi Dæmones poſſunt vnum & idem hominis corpus ingredi. *Matth. 8.* *Luc. 11.*

monum tormentis, certas leges ac limites magnis iuſtiſſimiſque de cauſis præſcribit & imponit, eiſque quaſi frænum injicit, ne in homines quantum poſſent, ferociantur; & ipſi Dæmones norunt ad quos vſque limites ſint nocere permiſſi; iam enim aliàs diximus tantas eſſe eorum vires atque nocendi voluntatem & libidinem, vt, niſi cohiberentur, & ligatæ eſſent eorum manus, ſingulari Dei prouidentiâ & bonitate infinitâ, nullus arreptitiorum ſalua vita, eorum tyrannidem effugeret. Quando-nam autem ſint in vno homine, plures, & quot-nam ſint non ita facilè deprehenditur. Quemadmodum verò vi exorciſmorum coguntur, vt prodant quorum ſint ordinum, ita cogi poſſunt vt fateantur vtrùm ſint plures, atque quot ſint: benè tamen notat Tyræus, non eſſe eis mox adhibendam fidem; nam cùm difficulter ſedes ſuas deſerant, quas poſſunt, effingunt amphibologias, vt exorciſtis imponant, & ſocios non prodant. Quocircà ſi omninò eorum numerus conſtarę debet, non ſolùm compellendi ſunt, vt dicant quot ſint, ſed etiam interrogandi num plures ſint: poſſunt ſiquidem verè affirmare vnicum eſſe in aliquo homine, quamuis viginti & plures ſint qui illum poſſideant.

Parte 1. d ſp. de Dæmonia-cis cap. 13.

SECTIO VII.

Quæ mala Dæmoniaci patiantur, aut pati poſſint à Dæmone, & cur Deus id permittat.

Vt quis dicatur Dæmoniacus quid requiratur.

EX ſupradictis patet eſſe neceſſe vt Dæmon in homine, vel intrà hominem ſit, quò dici poſſit Dæmoniacus aut arreptitius, ſed hoc non ſat eſt, ſed adhuc alia conditio requiritur, videlicet quòd Dæmon poſſidens vexet hominem immediatè per ſeipſum, nam ſi vexet mediatè hoc eſt in corpore aſſumpto morbos generando, mediantibus cibis venenoſis, non ob id dicitur arreptitius aut Energumenus, alias omnes maleficiati imo & multi ſancti dicerentur arreptitij, quia à Dæmonibus tales moleſtias perpeſſi ſunt. Verùm neque adhuc duæ hæ conditiones ſufficiunt vt aliquis, Dæmoniacus dicatur; nam Dæmon multa mala intulit S. Iob, non ſolùm in bonis externis, verùm & in proprio corpore: Sanctus quoque Antonius multas pertulit plagas, & idem de alijs Sanctis dicendum, qui tamen Dæmoniaci non fuêre; quia vlterius requiritur in ſic vexatos accepiſſe poteſtatem vexandi, & manendi quaſi in proprio domicilio

Dæmoniaci multa mala à Dæmone patiuntur, & quænam potiſſima ſint, latè oſtenditur.

domicilio; & ſic manentes miſeris hominibus quãplurima & ingen- *Luc. 11.*
tia mala inferunt: quandoque eos vſu organorum, ſenſuum, & membrorum priuant, vt videre licet in Dæmoniaco quem Dæmonium effecerat mutum & ſurdum, quod quidem Dominus eieciſſe legitur. Sic Palladius in vita Abbatis Poſſidonij, refert Dæmonem vſu lin- *Sect. 2.*
guæ per ſexennium mulierem quandam priuaſſe. Hoc addendum quòd ſenſus præſtigijs faſcinent & ludificationibus miris imponant mortalibus vt poſſeſſi credant ſe percipere quæ reuerà non percipiunt; & nonnulli dicunt id forſitan in Nabuchodonoſore locum habuiſſe, ſi tamen in bouem ſe eſſe conuerſum exiſtimauit; De quo plurima Toſtatus. Quandoque ipſam formam humanam de- *Toſtat q. 115. in cap. 8. Matth.*
ſtruunt, vt fecerunt mulieri, quæ decem & octo annis ita inclinata inceſſit vt ſurſum reſpicere prorſus non valeret. Tale malum attulit *Luc. 13.*
Dæmon cuidam mulieri arreptitiæ, qui aliquando per S. Bernardum fuit eiectus, is ſiquidem eam auditu, viſu & loquelâ priuauerat, & eiuſdem linguam ſæpè in modum proboſcidis Elephantinæ protrudebat, vultum quoque ita deformabat vt monſtrum & non hominẽ referret; Et ita narrat Wilhelmus S. Theodorici Abbas in vita *Lib 2. cap. 3.*
S. Bernardi. Et denique ipſe Dæmon quoſdam tantis afficit moleſtijs, vt imaginationem etiam eorum corruperit, ita vt relictis vrbibus & hominum ſocietate, in montibus quaſi in rabiem ferinam verſi, errauerint. Huiuſmodi erant illi Dæmoniaci quos referunt Euangeliſtæ moratos fuiſſe in ſepulchris & in furorem verſos, modò ſeipſos dilaniaſſe, modò in prætereuntes inſiluiſſe; & apud S. Matthæum *Matth. 8.*
præcipuè: ita ſæui erant vt nemo auderet tranſire per viam. Talibus aut ſimilibus miſeris, non rarò neceſſe eſt vincula & compedes adhibere, ne ſibi vel alijs noceant. Sæpè ſæpius Dæmones, eorum phantaſiam atque ſenſus ita faſcinant, vt ſibi perſuadeant ſe ſuos hoſtes cernere, cruentas beſtias conſpicere, ac Dæmones, qui mortẽ & alia velint afferre, & exiſtiment etiam ſe in beſtias conuerſos, & ob id in alios tanquam feræ crudeliſſimæ ſæuiant. Hic modus in illo Dæmoniaco locum videtur habuiſſe, qui gladio armatus vrbem peruolitabat, & quoſcumque obuiam habebat, impetebat, quem Arſacius curauit prout Sozomenus refert. Hæc autem partim perficiunt Dæmo- *Sozom. l. 4. cap. 15.*
nes intus in corporibus exiſtentes, partim dum extra homines ſunt conſtituti. Alia tamen & maiora ſunt quæ patiuntur ipſi Energumeni à Dæmonibus intus exiſtentibus, diros nempè corporis morbos, ac cruciatus vehementiſſimos, fortaſſis per viſcerum aut aliorum internorum membrorum contractionem plus nimio, aut diſtractionem plus ſolito; maximè in cor hæc exercent, vnde dolores & anxietates ingentes miſeris Dæmoniacis promanare, experientiâ teſte-

cognouerunt multi quibus quidem doloribus, medicorum arte remedium afferri nequit; vnde & ſpiritus infirmitatis dicuntur apud
a Luc. 13. B. Lucam[a]. Ita notat Thyræus[b]. Ita illorum quidam Virginem
b P. 1. diſp. de Dæmoniacis cap. 6. afflixit, cuius B. Hieronymus[c] in vita S. Hilarionis meminit. Ita alius Principis cuiuſdam filiam, cuius in vita Theodori Archimandritæ fit mentio, viginti annis morbo grauiſſimo excruciauit, qui tamen morbi auctor ignorabatur, donec puellâ ad S. virum adductâ, ipſe ſe prodere coactus eſt. Ita tertius, Petrum filium cuiuſdam cauponis, cuius in eiuſdem Theodori vita deſcribitur curatio, vexauit: grauiſſima enim ille cordis patiebatur tormenta, ſed quòd à Dæmone illa afferrentur, ignorabat; intellexit autem confeſſione B. Theodori, qui & obſeſſi faciem cruce ſignauit, & cor eiuſdem pulſando Dæmonium abegit. Vtrumque hoc in vita Theodori recenſet Ge-
c In vita Sancti Hilarionis.

a Surius tom. 2. orgius Presbyter eius diſcipulus apud Surium.[a] Notat Loyaerts[b] in
b Dominica 3. Quad. ſuis concionibus, interdum Dæmonem nocere & affligere arreptitios adminiculo alicuius creaturæ, quomodo videmus (inquit) in quibuſdam obſeſſis Dæmone expulſo, vel aciculas, vel crines vel clauos, vel vitrorum partes euomere eos qui obſeſſi fuerant; quod tunc fit ſæpiùs cùm per magos aut maleficos nocet Diabolus. Sed his vlteriùs addendum venit, ipſos Dæmones interdum Energumenos necare, quod quidem malum reliquis eſt deterius, vel vt ſibi mortem conſciſcant, aut vim ſibi inferant, compellere. Huc ſpectat quod S.
Marci 9 Marcus narrat de quodam à Dæmone in ignem & aquam præcipitato, terræ alliſo, fœdè ſpumante, dentibus ſtridente, & areſcente. Quid aliud Dæmon iſte moliebatur quàm mortem Energumeno illi
Sigisb. in Chronicis. adferre? Ita Sigisbertus in Chronicis, teſtatur Dæmonem mortem Gunderico Vandalorum Regi procuraſſe, poſtquam enim ille captâ Hyſpali Dei templum, illud prophanaturus eſſet ingreſſus, mox Dæmon iuſto Dei iudicio ipſum Regem inuaſit, poſſedit, atque miſerè
Tom 3. fol. 198. trucidauit. Et Surius narrat Dæmonium quoddam Nicomachum qui in tormentis Chriſtum negauerat, ingreſſum fuiſſe, nec vexandi finem feciſſe, donec linguam ille ſibi dilanians & præmandens ex-
Lib. 1. cap. 105. de gloria Martyr. piraſſet. Ita Gregorius Turonenſis recitat inuaſores Eccleſiæ S. Vincentij, à Dæmonibus poſſeſſos & tortos expiraſſe. Alia poſſent hîc adferri exempla, quomodo ſic crudeliter & miſerè hanc vitam correpti à Dæmonibus finiuerunt, qui res Eccleſiæ inuaſiſſent; at hæc relata ſufficiant.

His ergo modis homines Energumeni, in ſuis corporibus dolores & cruciatus à Dæmonibus inflictos patiuntur, & aliquando hos omnes crudeliſſimè adhibent, aliquando plures, aliquando pauciores, & ita diuerſis vtuntur nocendi modis, proüt nocere deſide-

rant, & poſſunt: & in hoc multùm differunt à bono Dei Spiritu, nam dum eſt in homine per gratiam, veniunt cum eo omnia bona; at illi nequam ſpiritus cùm ſint homini inimiciſſimi, dum illum intrant, cuncta ei mala, nocumenta, atque moleſtias inferunt. O qualis horror! videre à longè Dęmonem non auderes, ſimul cum eo incedere trepidares, ſi te amplecteretur, horreres, ille ergo qui eum intra ſe habet, quomodo non horrebit? quomodo non trepidabit? tam veneno ſi ſunt Regulus & Baſiliſcus vt etiam à longè aſpicientes occidant, quid illi efficerent ſi intra corpus tuum eſſent? quid igitur mali non efficiet ſerpens ille antiquus ſi intrà te commoretur?

Quamuis autem tot mala corporibus Energumenorum inferant, rectè tamen notat Thyręus in eorum animas nihil aut parum poſſe; quod inductione probat. Et primò nunquam poſſunt eas viribus, & facultatibus ipſis congenitis & ingeneratis priuare; vſque adeò altas illę in animabus & firmas radices egerunt, vt propemodum tam ſit difficile eas tollere quàm ipſas animas in nihilum redigere: non poſſunt quoque tollere habitus qui in dictis ſunt facultatibus; nequeunt priuare animas diuinis & ſupernaturalibus chariſmatibus, fide, ſpe, & charitate, nec etiam reliquis virtutibus quę in voluntate, ſiuè in intellectu ſuas ſedes habeant; Deus quippe ſolus in eas ſummum ius habet, non verò aliqua creatura quęcumque illa ſit. Ipſi deniq; non valent renitentes animarum vires ad operandum impellere; & hoc eſt omnibus clarum ac manifeſtum, alioqui enim ad peccatum homines impellerent; contra id quod docet B. Aug. [a] vt alibi diximus: cui ſuffragatur S. Cyrillus Hieroſol. [b] docens animam libero pollere arbitrio, & Diabolum poſſe quidem ad malum incitare, non verò voluntatem cogere; & ſuperaddit: *Is ſubijcit tibi fornicationis cogitationes, ſi vis, probas; ſi nolis, improbas.* Nota tamen quod quamuis hominum voluntates per ſe impellere nequeant, etiam dum poſſident Energumenos, dum tamen in corpora ſęuiunt, animę hęc patiuntur detrimenta, vehementer ac multipliciter poſſunt Dæmones inclinare eorum voluntates, & quaſi quoddam pondus vt malum ſequatur, addere; nunc proponendo obiecta quæ ſenſus tum internos tum externos alliciant, tum intrinſecùs commouendo ſpiritus & humores, atque excitando motus quoſdam quibus facilè ſe voluntas accommodat. Præterea ſi habitus virtutum non tollant, frequenter tamen ita debilitant vt nullam vel exiguam in hominibus functionem habeant, & maximè ſi de intellectualibus ſermo ſit, qui quidem ad ſuos actus exercendos phantaſmatum indigent miniſterio, in quibus Dęmones poſſidentes multùm poſſunt. Deinde quando ſenſuum officio priuant vt ſupra dictum eſt, omnibus quoque com-

Dæmones in Energumenorum animas nihil aut parum poſſunt.

Parte 1. diſput. de Dæmoniac. cap. 4.

a *Serm. 197.*
b *Catech. 4. illumin.*

cognouerunt multi quibus quidem doloribus, medicorum arte remedium afferri nequit; vnde & ſpiritus infirmitatis dicûntur apud B. Lucam [a]. Ita notat Thyræus [b]. Ita illorum quidam Virginem afflixit, cuius B. Hieronymus [c] in vita S. Hilarionis meminit. Ita alius Principis cuiuſdam filiam, cuius in vita Theodori Archimandritæ fit mentio, viginti annis morbo grauiſſimo excruciauit, qui tamen morbi auctor ignorabatur, donec puellâ ad S. virum adductâ, ipſe ſe prodere coactus eſt. Ita tertius, Petrum filium cuiuſdam cauponis, cuius in eiuſdem Theodori vita deſcribitur curatio, vexauit: grauiſſima enim ille cordis patiebatur tormenta, ſed quòd à Dæmone illa afferrentur, ignorabat; intellexit autem confeſſione B. Theodori, qui & obſeſſi faciem cruce ſignauit, & cor eiuſdem pulſando Dæmonium abegit. Vtrumque hoc in vita Theodori recenſet Georgius Presbyter eius diſcipulus apud Surium.[a] Notat Loyaerts [b] in ſuis concionibus, interdum Dæmonem nocere & affligere arreptitios adminiculo alicuius creaturæ, quomodo videmus (inquit) in quibuſdam obſeſſis Dæmone expulſo, vel aciculas, vel crines vel clauos, vel vitrorum partes euomere eos qui obſeſſi fuerant; quod tunc fit ſæpiùs cùm per magos aut maleficos nocet Diabolus. Sed his vlteriùs addendum venit, ipſos Dæmones interdum Energumenos necare, quod quidem malum reliquis eſt deterius, vel vt ſibi mortem conſciſcant, aut vim ſibi inferant, compellere. Huc ſpectat quod S. Marcus narrat de quodam à Dæmone in ignem & aquam præcipitato, terræ alliſo, fœdè ſpumante, dentibus ſtridente, & areſcente. Quid aliud Dæmon iſte moliebatur quàm mortem Energumeno illi adferre? Ita Sigisbertus in Chronicis, teſtatur Dæmonem mortem Gunderico Vandalorum Regi procuraſſe, poſtquam enim ille captâ Hyſpali Dei templum, illud prophanaturus eſſet ingreſſus, mox Dæmon iuſto Dei iudicio ipſum Regem inuaſit, poſſedit, atque miſerè trucidauit. Et Surius narrat Dæmonium quoddam Nicomachum qui in tormentis Chriſtum negauerat, ingreſſum fuiſſe, nec vexandi finem feciſſe, donec linguam ille ſibi dilanians & præmandens expiraſſet. Ita Gregorius Turonenſis recitat inuaſores Eccleſiæ S. Vincentij, à Dæmonibus poſſeſſos & tortos expiraſſe. Alia poſſent hîc adferri exempla, quomodo ſic crudeliter & miſerè hanc vitam correpti à Dæmonibus finiuerunt, qui res Eccleſiæ inuaſiſſent; at hæc relata ſufficiant.

a Luc. 13.
b P. 1. diſp. de Dæmoniacis cap. 6.
c In vita Sancti Hilarionis.

a Surius tom 1.
b Dominica 3. Quad.

Marci 9

Sigisb. in Chronicis.

Tom 3. fol. 198.

Lib. 1. cap. 105. de gloria Martyr.

His ergo modis homines Energumeni, in ſuis corporibus dolores & cruciatus à Dæmonibus inflictos patiuntur, & aliquando hos omnes crudeliſſimè adhibent, aliquando plures, aliquando pauciores, & ita diuerſis vtuntur nocendi modis, proût nocere deſide-

rant,& poſſunt: & in hoc multùm differunt à bono Dei Spiritu, nam dum eſt in homine per gratiam, veniunt cum eo omnia bona; at illi nequam ſpiritus cùm ſint homini inimiciſſimi, dum illum intrant, cuncta ei mala, nocumenta, atque moleſtias inferunt. O qualis horror! videre à longè Dæmonem non auderes, ſimul cum eo incedere trepidares, ſi te amplecteretur, horreres, ille ergo qui eum intra ſe habet, quomodo non horrebit? quomodo non trepidabit? tam venenoſi ſunt Regulus & Baſiliſcus vt etiam à longè aſpicientes occidant, quid illi efficerent ſi intra corpus tuum eſſent? quid igitur mali non efficiet ſerpens ille antiquus ſi intrà te commoretur?

Quamuis autem tot mala corporibus Energumenorum inferant, rectè tamen notat Thyręus in eorum animas nihil aut parum poſſe; quod inductione probat. Et primò nunquam poſſunt eas viribus, & facultatibus ipſis congenitis & ingeneratis priuare; vſque adeò altas illę in animabus & firmas radices egerunt, vt propemodum tam ſit difficile eas tollere quàm ipſas animas in nihilum redigere: non poſſunt quoque tollere habitus qui in dictis ſunt facultatibus; nequeunt priuare animas diuinis & ſupernaturalibus chariſmatibus, fide, ſpe, & charitate, nec etiam reliquis virtutibus ſiue in voluntate, ſiue in intellectu ſuas ſedes habeant; Deus quippe ſolus in eas ſummum ius habet, non verò aliqua creatura quęcumque illa ſit. Ipſi deniq; non valent renitentes animarum vires ad operandum impellere; & hoc eſt omnibus clarum ac manifeſtum, alioqui enim ad peccatum homines impellerent; contra id quod docet B. Aug. [a] vt alibi diximus: cui ſuffragatur S. Cyrillus Hieroſol. [b] docens animam libero pollere arbitrio, & Diabolum poſſe quidem ad malum incitare, non verò voluntatem cogere; & ſuperaddit: *Is ſubijcit tibi fornicationis cogitationes, ſi vis, probas; ſi nolis, improbas.* Nota tamen quod quamuis hominum voluntates per ſe impellere nequeant, etiam dum poſſident Energumenos, dum tamen in corpora ſęuiunt, animę hęc patiuntur detrimenta, vehementer ac multipliciter poſſunt Dæmones inclinare eorum voluntates, & quaſi quoddam pondus vt malum ſequatur, addere; nunc proponendo obiecta quæ ſenſus tum internos tum externos alliciant, tum intrinſecùs commouendo ſpiritus & humores, atque excitando motus quoſdam quibus facilè ſe voluntas accommodat. Præterea ſi habitus virtutum non tollant, frequenter tamen ita debilitant vt nullam vel exiguam in hominibus functionem habeant, & maximè ſi de intellectualibus ſermo ſit, qui quidem ad ſuos actus exercendos phantaſmatum indigent miniſterio, in quibus Dęmones poſſidentes multùm poſſunt. Deinde quando ſenſuum officio priuant vt ſupra dictum eſt, omnibus quoque com-

Dæmones in Energumenorum animas nihil aut parum poſſunt.

Parte 1. diſput. de Dæmoniac. cap. 4.

a *Serm.* 197.
b *Catech.* 4. *illumin.*

modis priuant quæ ſenſuum beneficio obtinentur.

Dæmones dũ in corpora ſæuiunt, animæ à virtutũ ſtudijs vacant.

Et denique quo tempore in corpora ſæuiunt, animas à virtutum ſtudijs vacare neceſſe eſt; cùm ad illas exercendas corporum miniſterio opus ſit. Et hæc profectò arreptitiorum miſeria non eſt exigua, cùm non ſolùm vt dictum eſt, multa patiantur aduerſa & mala, ſed etiam bonorum ſpiritualium iacturam faciant; ita vt dum actu à Dęmonibus agitantur, vſu Sacramentorum, pręcipuè verò ſanctiſſimæ Euchariſtiæ priuentur, licèt tamen poſtea dum ceſſat vexatio, eis participare valeant, niſi forſan aliquo pacto Dęmon impediat; aut etiam pro quibuſdam rationibus expedire non videatur, & pręſertim ſi vſu rationis careant, de purgatione ſua non curent, vel clericorum monitis obtemperare nolint, ſeſe ad illam ſuſcipiendam diſponendo, cùm quilibet ad eam accedere teneatur, cum debita diſpoſitione ac reuerentia.

Cur Deus Dæmoni permittat vt homines etiam probos poſſideat.

Porrò aliquæ ſunt rationes congruæ cur Deus velit homines etiam probos, in manus truculenti hoſtis Dæmonis tradere vexandos.

Prima, eſt ad inſtructionem hominum circa fidem, cùm enim quędam referunt quę ab ipſis quos inuadunt ſciri nequeunt, ſcimus illa eſſe à Spiritu aliquo, ac proindè vera eſſe quę de ſpiritibus dicuntur contra Saducęos qui eos eſſe negabant; item animarum immortalitatem non eſſe impoſſibilem, ſiquidem reperiuntur quidam Spiritus immortales & infatigabiles in ſuis operibus, quales ſunt Dæmones; & denique cùm in Ieſu Chriſti nomine expelluntur, huius ſanctiſſimi nominis confirmatur fides. Sic S. Cyprianus aduerſùs Demetriadem, & Lactantius contrà gentes.

Secunda, ob oculos proponuntur cruciatus atque tormenta gehennæ, quæ poſt hanc vitam reprobos manent, & quibus ipſe Dæmon vexet damnatos in inferno, vbi nimirum in illos exercere poterit totum ſuum odium, totumque venenum expromere; & vt proindè peccata fugiant homines, propter quæ conſortium Dæmonum eos vexantium in alio ſæculo incurrent, niſi pœnituerint.

Tertia, agnoſcunt etiam homines quantum ſpirituum immundorum erga humanum genus ſit odium, cùm tanta in miſeros homines atque innocentes etiam, barbarie ſęuiant. Quæ meditatio hoc habet emolumenti, vt prorſus animos mortalium (niſi forte deploratæ ſint ſalutis) à ſpiritibus illis malignis auertat, & omnem cum iiſdem ſocietatem atque communionem diſſoluat.

Poſtremo, illa tormenta & vexationes Dæmonum permittit Deus, vt ex his quæ in corporibus hominum faciunt, intelligamus quam-nam in animis tyrannidem ſpiritualiter exerceant & operen-

tur ob perpetrata lethalia peccata; nam quæ in corporibus fiunt, indicia eorum ſunt, quæ in animis accidunt.

SECTIO VIII.

Quæ ſint ſigna quibus dignoſcendi ſunt Dæmoniaci.

HÆc quęſtio eſt maximè difficilis & intricata, & in qua reſoluenda variant Theologi, quia tamen non modicam adfert vtilitatem, & maximè Exorciſtis; ideò nonnulla ſunt impræſentiarum videnda ſigna potiſſima, quibus ipſis innoteſcere Energumeni & Arreptitij poſſunt.

Ipſa ergo ſigna quæ poſſunt inhabitantes Dęmones prodere, multiplicia ſunt; quædam enim aliqualem coniecturam & leuem ſuſpicionem generant; quædam vehementiorem; alia denique habitationis eorum in corporibus maiorem certitudinem: de duobus primis ſignorum generibus præſenti Sectione dicemus; & de alijs poſtea.

Primò generant coniecturam & ſuſpicionem leuē, ferini & agreſtes mores. Sed huiuſmodi non conuincunt Dæmonem inhabitantem, plures enim in ferarum naturam declinarunt qui non fuerunt Dæmoniaci; vt verbi gratiâ barbari valdè & agreſtes fuerunt mores Regum quorundam Turcarum, & tamen Dæmoniacos non fuiſſe certiſſimum eſt.

Signa leuem coniecturam poſſeſſionis generantia ſunt numero, ſex.

Secúndò, ſuſpicionem pariter generant, qui de Dæmone vel ſemper vel vt plurimum loquuntur, qui ſe ei relictò vero Deo conſecrant, illum inuocant atque eius opem implorant: at huiuſmodi etiam non conuincunt inhabitantem Dęmonem, nam nulli hactenus magis Dæmoni ſe conſecrarunt quàm Malefici, Sagæ, & alij huius generis, nec tamen vllus dixit illos eſſe Dæmoniacos. Deinde Sagæ à Iudicibus morti adiudicantur, vbi eis conſtat vel propriâ confeſſione vel teſtium depoſitione, aliquâ notabilia damna rei publicæ intuliſſe, ſunt enim ſuarum actionum Dominæ, at id non fit Dæmoniacis etiamſi vel hunc vel illum aut etiam ſeipſos percuſſerint, aut aliquod aliud malum intulerint, cùm non ſint actu liberi dum à Dęmone agitantur, & eorum actiones à Dæmone tanquam à cauſa principali fiant, & nonniſi vt inſtrumenta ab eo moueantur.

Tertiò, dicunt aliqui diuturnum & grauem ſomnum coniecturam quoque ac ſuſpicionem generare; ſed neque ex eo quis poteſt certò pronuntiari Dæmoniacus, quia conſtat dari aliquas ęgritudines quæ ita infeſtant partes exteriores, & item aliquas ex interioribus, vt grauis ille ſomnus excitetur, & vix reſpiratio cernatur.

Quartò, leuem pariter coniecturam & ſuſpicionem generant, qui ſibi manus inijciunt & mortem intentant; nam certum eſt pleroſque ſibi-ipſis vitam ademiſſe, vt conſtat de Samſone in libro Iudicum; de Razia in libris Machabęorum, & alijs nonnullis, qui tamen non fuerunt Dæmoniaci, computatur quippè Samſon inter Sanctos in Epiſtola ad Hebræos.

Iudic. 8. *Hebr. 11.*

Quintò, illi qui inuocant Dæmones vt ſe arripiant, atque illi qui furia agitantur, leuem etiam tantùm dant de ſeipſis ſuſpicionem quòd ſint Dæmoniaci: nam quoad primum, vt Dæmones aliquos ob blaſphemias, aut alia ſcelera arripiant, & aliò transferant, non opus eſt, vt eorum corpora ingrediantur eaque poſſideant; aliqui enim fuerunt tranſlati vt Sagæ, & Malefici, atque etiam alij qui proptereà Dęmoniaci non ſunt. Et quod ad furioſos ſpectat, quotidiana docet experientia hunc malum effectum in phreneticis reperiri, & quandoque in homine cauſas habere naturales, & aliquando etiam operâ perditorum hominum adlaborantibus Diabolis procurari, ac denique herbarum quarundam virtute, vt docet Thyræus: hi tamen Dæmoniaci non ſunt.

Part. 1. diſp. de Dæmoniacis cap. 22.

Sextò denique, reperiuntur aliqui qui nullo in loco ſunt tuti, & quandoque ſe moleſtantes ſpiritus etiam in corpore ſæuientes experiuntur, ſed annè illi cenſentur Dęmoniaci? nequaquam, etiamſi non minùs graues, immò grauiores etiam quandoque, quàm obſeſſi patiantur moleſtias: hoc ſignum ſiquidem, Dæmonum eſt potiùs aſſiſtentium aut incipientium ingreſſum quàm inhabitantium, vt plerique notant. Fallit ergo ſæpè hoc ſignum ſicut & alia ſupradicta, aliquod tamen indicium faciunt accedentibus alijs, & dant occaſionem inquirendi de alijs, vt benè aduertit Maximilianus ab Eynatten in ſuo Manuali exorciſmorum.

Inſtruct. 2.

Signa quæ vehementiorem generant ſuſpicionem & coniecturam inhabitationis Dęmonum, multa ſunt.

Signa ſex vehementiorem ſuſpicionem poſſeſſionis à Dæmone generantia.

Primum, vires in humano corpore facultatem hominis excedentes: tales ſunt eorum qui facilè quaſlibet veſtes lacerant, vincula diſrumpũt, catenas frangunt, onera etiam ingentia ad quæ hominum robur non ſufficit, geſtant. Hoc ſignum pluſquàm ſuſpicionem generare videtur, & ad illud refero robur illius qui à Nicetio Treui-

renſi Epiſcopo iuſſus è templo extrahi columnam, ita validè apprehendit, vt à decem viris à loco dimoueri non potuerit, & ita nec eijci, donec idem Sanctus Nicetius ſigno Crucis facto, illum Dęmoniacum ſuâ veſte operuit, vt auctores ſunt Gregorius Turonenſis in vita Sancti Nicetij & Baronius anno Domini 530. Ad has vires poteſt quoque referri agilitas & currendi pernicitas humanum ſuperantes robur; Et eo ſigno potuit deprehendi mulier vetula Dæmoniaca, de qua in vita Sancti Bernardi quæ ad S. virum adducta, ſcamnum in quo ipſe ſedebat, tranſiliuit, & dixit ſe quoſcumque pernices equos curſu ęquare poſſe, eorumque dorſa ſine adminiculo tranſilire. Hoc autem & aliud ſimile ſignum quamuis iſti Energumeni fecerint, non tamen ſemper eiuſmodi ſigna infallibiliter ingreſſum Dęmonis produnt; extiterunt enim quidam homines viribus ſuprà hominum credulitatem pollentes; qui tamen minimè Dęmoniaci fuêre; Samſon enim portas ciuitatis Gazæ in altiſſimum montem, & longo interuallo ab eadem vrbe diſtantem tranſtulit, idque nullo alio adiutus auxilio, vt habetur in lib. Iudicum; catenas item quibus erat conſtrictus nullo negotio perfregit, innumeros Philiſtęos enecauit ſolâ aſini mandibulâ ſuffultus, caſtrum in quo excæcatus miſerè & crudeliſſimè detinebatur, facilè deſtruxit ſoloque ęquauit, vt habet caput proximè citatum. Sanctus etiam Hieronymus in vita Hilarionis narrat Marſitam iuuenem Hieroſolymitanum tantis valuiſſe viribus, vt quindecim modios frumenti longè diuque portaret. Refert quoque Sabellicus libro Exemplorum, Maximum Imperatorem qui Alexandro Mammeæ filio ſucceſſit, vires tantas habuiſſe, vt equum pugno percuſſum dentibus nudaret, & maiuſculas arbores manibus diuideret. Celeritatis etiam atque agilitatis ſtupendæ (inquit Thyręus) fuit puer nouem annorum Romæ, quoniam à meridiè ad veſperam perpetuo curſu conficiebat octoginta millia paſſuum. Sic Romæ ſub Cæſaribus inter ſpectacula populo exhibita, productus eſt qui aduerſum parietem felis modo repando ſcanderet. Hi ergo ſicut & alij nonnulli noſtris temporibus, ingentium virium, & ſummæ celeritatis reperti fuerunt; illos tamen eſſe Dęmoniacos nemo dixerit. Mitto Sagarum celerrimam à Dęmone tranſlationem, de qua ſuprà, quæ proindè Dęmoniacæ non iudicantur.

Greg. Turon. *Baron. tom. 7.* *Lib. 1 cap. 4.* *Iudic. 16.* *S. Hieron.* *Lib. 2. cap. 9. Exempl. tom. 4.* *Parte 1. de Dæmon. c. 36.*

Secundum ſignum, vehementiorem Dęmoniacę inhabitationis generans coniecturam, eſt membrorum ſtupor, & omnium ferè vitalium operationum priuatio; talis erat ille Dęmoniacus apud Sanctos Matthęum & Lucam, qui erat ſurdus, mutus, & cæcus: at iſtud non eſt indubitatum ſignum, cùm interdum à morbis caducis & ſi-

Marc. 9. Luc. 9.

milibus tales ſtupores, animi deliquia, ſomnolentia, & vitalium functionum priuatio prouenire ſoleant. Deindè Sagæ, Venefici, & Magi vnguento aliquo ſe aut alios inungentes, reddunt corpora quaſi mortua, ita vt nulla reſpiratio & nullus motus cernatur, vt multis conſtat exemplis à Iacobo Sprengerio in ſuo libro, cui titulus eſt, Malleus Maleficarum, adductis; & propterea tamen illi Malefici aut Sagæ non dicuntur Dęmoniaci. *Sprengerius.*

Tertium ſignum, ſunt perſecutiones, cruciatus, atque extraordinaria torméta quæ quidam patiuntur, vt dum, verbi cauſa, in ignem deijciuntur homines, aliquando in aquam, nunc ex alto & in alia quęuis pericula pręcipites ruunt, nunc ſe cultris lacerant, nunc dentibus ſtrident, ore ſpumant & in terra volutantur, laqueo aut alijs vijs vitam ſibi adimere conantur; huius ſiquidem generis Dæmoniacum habemus apud Sanctos Marcum & Lucam. At hæc & ſimilia, quamuis vehementem generare poſſint Dęmoniacæ inhabitationis ſuſpicionem, quia ſunt hominibus inconſueta & Dæmonibus facilia & exemplum habemus in ſcriptura: attamen non ſunt ſigna certa & indubitata, & ab alijs cauſis & morbis quàm à Dęmonibus prouenire poſſunt; nam ſimiles cruciatus patiuntur qui afficiuntur epilepſia morbo medicis noto; ſaltem vtplurimum ſpumant ore, ſtrident dentibus, & in terra volutantur, vt docet quotidiana experientia, nec tamen propterea licet affirmare eſſe Dæmoniacos. *Marci 9.* *Luc. 9.*

Quartum ſignum, ſunt barbaræ & inſolitæ vociferationes, & vlulatus prorſus belluini; ſæpè autem auditi fuère hi belluini clamores à Dæmonibus excitati, ex quibus nonnulli Energumeni deprehenſi fuère, vt circà annum Domini 517. Chronici ſui meminit Sigisbertus, multos vtriuſque ſexus in Alexandria extitiſſe: at quamuis illi clamores belluini, latentes ſpiritus malignos quandoque prodant, non tamen ſemper; experientiâ quippè quotidianâ conſtat, aliquos naturâ, vel arte ita bene aptatos eſſe, vt in eorum poteſtate ſit repræſentare clamorem vel voces cuiuſlibet animalis, idque non minùs perfectè quàm ipſummet animal irrationale. Vnde videmus nonnullos vt perdices cacabare, aſinorum modo rudere, quaſi vulpes gannire, ad inſtar boum mugire, more porcorum grunnire; alios vt canes latrare, vt equos hinnire. Imò refert Puteanus tractatu de Dęmoniacis, viſam eſſe mulierem in ciuitate Tholoſana, anno 1606. menſe Aprili, quæ & ad inſtar lupi vlularet, & quaſi porcus grunniret; & ego ipſe proprijs auribus audiui quendam iuuenem ſecularem, Pariſijs oriundum, octo circiter & decem annis natum, circa annum 1635. ſi bene memini, qui ferè omnium animalium & auium voces ita perfectè referebat, vt niſi illum audiendo vidiſſem, & in *Sigisbertus.* *Dubio 3.*

campis

campis vel ſyluis extitiſſem, facilè illorum animalium voces eſſe iudicaſſem; nemo autem dicere poſſet vel illum vel alios ſimiles eſſe Dæmoniacos: & de facto ſupradicta illa mulier communi medicorum, & Theologorum ſententiâ, non fuit iudicata Dæmoniaca, & poſteà bene ſe habuit, & turpes illas voces, aut vlulatus ampliùs non edidit. Deinde præfati clamores belluini, prouenire poſſunt aut à phreneſi, aut à Dæmone aſſiſtente & vrgente hominem.

Quintum ſignum eſſe poteſt horribilis & truculentus vultus ſolito terribilior, & dum qui arreptitij exiſtimantur toruis oculis reſpiciunt, quia quales ſunt ipſi Dæmones tales formas arreptitijs affigunt & imprimunt, & ideò cùm truces ſint & crudeles, tales vultus volunt à miſeris Dæmoniacis referri, & ita interdum eos deformant vt ſummum intuentibus horrorem incutiant. Talis vultus prodidit Dæmonem in muliere, eamque Mediolani diuexantem, quem S. Bernardus eiecit, vt habetur in eius vita, ſiquidem ita miſerè vultum illius mulieris deformabat, vt monſtro non homini eſſet ſimilis. Bernardus etiam Iuſtinianus in S. Laurentij Iuſtiniani vita, refert os ſpumans & ſtridorem dentium cuiuſdam Energumeni, ſatis oſtendiſſe latentem in eius corpore Dæmonem, qui poſtea à dicto S. Laurentio Iuſtiniano profligatus fuit ac eiectus: attamen talis vultus truculentia & deformitas, non ſemper inhabitantem Dæmonem indicat, nam certum eſt veneficos & incantatores nedum præſtare vt quis vultum deformem habere videatur, ſed ita horridum vt nullus planè ſit qui huiuſmodi vultus præſentiã ſuſtinere queat, vt colligere licet ex Syluestro in libro de maleficarum, & ſtrigum admirandis; poteſt etiam quis ab infirmitate, aut naturaliter habere vultum horribilem. Inſigne etiam factum narrat de incantationibus: Quidam (inquit) Buſcodunenſis non depoſitâ Cacodæmonis perſonâ quam in fabula paulò ante adumbrauerat, vxorem ſuam cognouit, & illa grauida facta, talem poſteà partum edidit qualem ipſa maritum perſonatum conſpexerat.

Lib. 2. c. 4.
Cap. 8.
Syluestr.
Lib. 1. c. 13.

Sextum ſignum, eſt ingens inquietudo, qualis eſt eorum qui vno in loco conſiſtere & quieſcere nequeunt, & ſolitudines quærunt, ac deſertis oblectantur locis; multos audiuimus ſic à Dæmone vexari: huiuſmodi erant illi Dæmoniaci quorum S. Matthæus meminit, qui ſæui nimis exeuntes de monumentis, vias obſidebant & in prætereuntes graſſabantur: At verò ſignum quoque illud, Dæmonis latentis non eſt certum & indubitatum, nam ſupradicta famliaria ſunt melancholicis, lunaticis, febricitantibus, & huiuſmodi; Medici aſſerunt has prauas habere affectiones qui laborant mobo quem appellant *lycantropiam*, id eſt lupinam inſaniam, præterea qui mania cor-

Matth. 8.

ripiuntur,ſiue phreneſi ita agitantur vt nuſpiam quieſcant. Deinde temporibus primitiuæ Eccleſiæ, correpti à Dæmone aſſiſtente vel graui aliquâ infirmitate, ad ſepulchra Martyrum confugiebant,quatenus beneficium ſanitatis, contactu reliquiarum Sanctorum Martyrum conſequerentur, nec tamen illi omnes fuerunt aut eſſe potuerunt Dęmoniaci.

SECTIO IX.

De ſignis quæ maiorem certitudinem Latentis Dæmonis in aliquo corpore humano, pariunt.

Q. 14. Signa quæ Latentis Dæmonis in humano corpore certitudinem maiorem pariunt, ſunt numero ſex.

P 1. diſput. de Demoniacis, cap. 14.

ILLA ſunt ex Abulenſi deprompta ſuper 8. caput Matthæi; primum iam tetigimus Sect. 1. huius capitis, & illud eſt linguarum peregrinarum ſubitanea ſcientia & earum locutio, extra ſuſpicionem diuini miraculi, quas tamen ipſi Dæmoniaci nec audierunt, didicerunt, aut ſciuerunt: & ita neceſſum eſt dicere à Dęmone inhabitante talem ſcientiam & locutionem proficiſci propter ſubtilitatem ingenij, & ob rerum copioſam agnitionem; nullum eſt enim idioma quod ignorent, aut mox ſcire non valeant Dæmones, inquit Thyræus. Idiomata diſcunt homines conſuetudine eorum cum quibus viuunt, quidni igitur Dæmones diſcerent qui ſemper inter homines verſantur, obſeruant quæ loquuntur, notant quæ agunt? Quemadmodum ergo illi Malefici Spiritus in homine aliquo latentes, membra illius mouent: ita poſſunt impellere linguam & alias partes quę ad vocem formandam ſunt neceſſariæ.

Dæmon vt in homine loquatur debet intus exiſtere.

Aduerte autem talem locutionem à Dæmone in homine aliquo non fieri; ſi ſolùm aſſiſtat & moueat linguam vexati per aërem concitatum, oportet enim ad loquendum vt intus exiſtat, eo quod locutio neceſſariò debet fieri motis organis interioribus, maximè pulmone qui eſt præcipuum inſtrumentum formandarum vocum, eo quod ipſe concitat aërem, & ſubtiliſat, tum vt refrigeret cor, tum vt reddat hominem aptum ad formandas voces, quarum materia non eſt aër tam craſſus ſicut externus: Igitur vt Dæmon loquatur per aliquem Energumenum, neceſſe eſt vt pulmonem moueat, & proindè ſit intra corpus illius.

Sed quia talis locutio ſeu conceptuum expreſſio lingua peregrina, poteſt eſſe à Deo, vel Angelo bono, vel etiam Spiritu Sancto di-

ctante fieri poteſt ab hominibus ipſis, vt conſtat de Apoſtolis qui poſt ipſius Spiritus Sancti ſuſceptionem in die Pentecoſtes, varijs linguis magnalia Dei loquebantur; ideò non ſemper ex linguę peregrinæ locutione, inhabitans malus Spiritus ſatis euidenter deprehendi poteſt. Iſtud fateor, veruntamen facilè agnoſcetur adiunctis alijs ſignis aut ſaltem illorum quibuſdam, de quibus diximus & dicemus: verbi gratiâ, ſi adiungas locutioni in lingua peregrina, loquentem arreptitium pati vehementes cruciatus, ſi blaſphemet contra Deum & Sanctos, aut cum Dei iniuria & contra eius gloriam loquatur, ſi inhoneſta proferat, conuitijs proximum ſine cauſa proſcindat, & verbis ſuis nihil aliud oſtendat quàm interitum hominum quærere, ſi ad tactus rerum ſacrarum fugiat, aut aliud ſimile pręſtet, profectò talis locutio à Dęmone eſt, non à bono Angelo, aut Deo ipſo. Quando autem Apoſtoli varijs loquebantur linguis & proponebant Dei verbum, tum ab ipſis tum ab auditoribus intelligebatur, Energumeni verò nullo modo, quia nec idioma peregrinum norunt, vt ſupponimus, neque quid vocibus ſignificetur intelligunt. Deinde nulla externâ vi cogebantur Apoſtoli vt varijs linguis loquerentur, ſed ſpontaneè id agebant; at arreptitij velint nolint, loquuntur linguâ peregrinâ, cogi enim poſſunt haud rarò ab Exorciſtis latentes in ipſis Dæmones, vt etiam inuiti loquantur: eſt itaque ſignum quaſi infallibile ad dignoſcendum inhabitantem Dæmonem, loqui peregrinis linguis, ſi adiungas cętera quæ modò commemorauimus. Hoc ſigno iampridem & noſtris temporibus ſæpius, Dæmones in corporibus latentes deprehenduntur, vt notat Thyræus. Deprehenſus eſt eodem ſigno olim, ille (inquit) qui candidatum quendam Conſtantij Imperatoris poſſedit, vt refert S. Hieronymus; quamuis enim candidatus ille linguam tantùm Latinam & Francam noſſet, tamen quo ſermone ipſum interrogabat S. Hilario Syrus, ei reſpondebat; & quidem ita perfectè, ait S. Hieron. vt non ſtridor, non aſpiratio, non idioma aliquod Palęſtini deeſſet eloquij. Sic Dęmon mulierem Mediolanenſem inhabitans deprehenſus eſt, quia mulier illa nunc Italicâ nunc Iberâ linguâ loquebatur, vt in vita S. Bernardi legitur. Vnum etiam mirabile narrat Sigiſbertus accidiſſe circa annum Domini 1122. Sancto namque Norberto Præmonſtratenſi apud Ningellam verbum Dei prædicante, & puellam Dæmoniacam coràm adductam exorciſante, Dæmon irridens, cantica canticorum à principio vſque ad finem per os puellæ edidit, & ad verbum in Romana, deinde in Teutonica lingua interpretatus eſt.

Parte 2 diſp. 2. de Dæmon. cap. 24.

S. Hieron. in vita Hilarionis.

Lib. 2. cap 4.

Quod dixi de locutione in peregrina lingua, dicendum eſt de

ſcientia legendi, ſcribendi, & artificioſè cantandi; Etenim quando aliqui hæc antea nullo ſtudio & labore ſibi compararint, & poſtea tamen ac ſi per multos annos in eis verſati eſſent, in eis faciles ſe præbent, ſigna ſunt inhabitantis Dęmonis, non minùs quàm loqui peregrinâ linguâ, cuius cognitio ſine ſtudio non habetur; & nec Deum nec bonos Angelos authores habet, vt dictum eſt.

Loco citato. Secundum ſignum ad cognoſcendum Dæmonem inhabitantem notat Abulenſis, ſi aliqui voce conſuetâ loquantur, ſed de rebus altiſſimis aut de profundiſſimis fidei noſtræ myſterijs & Sacris Scripturis (& de eo iam quidpiam diximus hoc cap. Sect. 1.) quas non didicerunt, Et quæ eorum captum excedunt, tunc enim ita diſertè de ijs loqui non poſſunt, niſi ſint arreptitij, & in eorum corporibus inhabitent Spiritus mali: hoc autem ſignum videtur certum ſi adiungas quæ pro prioris ſigni antecedentis certitudine, notauimus, videlicet internos cruciatus, blaſphemias, & alia ſimilia.

Tertium ſignum maligni ſpiritus inhabitantis iam dicta Sect. 1. huius capitis paucis tactum eſt, videlicet ſi qui de rebus ſecretis quæ hominibus abſconditæ & occultæ ſunt, loquantur, eaſque reuelent, vt ſunt occulta peccata, aut quædam referunt quæ locis diſtantibus fiunt, quia tamen multa ſecreta & occulta pręterita, pręſentia & futura ex diuina reuelatione, aut etiam bonorum Angelorum cognoſci & propagari poſſunt, imò etiam & à Prophetis dictante Spiritu *2. Petri 1.* Sancto iuxta illud S. Petri: *Spiritu Sancto inſpirati loquuti ſunt Sancti Dei homines.* Ideò vt hoc ſignum certum ſit latentis Dæmonis in aliquo homine: ſunt alia præfata ſigna, aut eorum nonnulla adiungenda, vt verbi gratiâ aduertendum, ſi ea quæ reuelantur, cedant in Dei contumeliam, aut proximi iniuriam & detrimentum; tunc enim facilè eſſet colligere talem ſecretorum & occultorum reuelationem, nonniſi à maligno ſpiritu inhabitante prouenire poſſe; ſicut enim hæc cauent diligenter boni Spiritus, ita ſtudioſè quærunt ſpiritus mali. Ad hoc etiam vt indubitatum ſit illud ſignum, debet abeſſe ſuſpicio pacti cum Dæmone quod habent diuinatores qui ſimilia produnt, & tamen poſſeſſi non ſunt.

Talis occultorum reuelatio prodidit inhabitantem Dæmonem Treuiris, vt refert Gregorius Turonenſis [a], & poſt Baronius [b], cùm enim Magneticus Treuirorum Epiſcopus Theodorum Maſſilienſem Epiſcopum quem Gunteranus Rex captiuum adducere cupiebat, Treuiros aduenisse intellexiſſet; ad templum S. Maximini ſe contulit, pro fratris Epiſcopi libertate Deum precaturus, ſed cùm ab oratione ſurgeret, ei mox Dæmoniaca occurrit, altâ voce exclamans: *O ſcelesṫe & inueterate dierum! Pro inimico noſtro Theodoro oratio*

a *Lib. 8. hiſt. ca. 12.*
b *Tom 7. anno Dom. 588.*

nem ad Deum fundis, nos quotidie laboramus, & quibus rationibus eum Galliâ pellamus ſolliciti ſumus, & tamen eundem in Gallia ſeruare contendis. Eſt autem hic ſedulò aduertendum ex Loyaetis quòd dum ſecreta reuelant Energumeni, id alio modo faciunt quàm Arioli aut diuinatores qui Dęmonem de ſecretis conſulunt, hi enim ſciunt & intelligunt quæ loquuntur; arreptitij verò non intelligunt quid dicant, nec tam ipſi ſunt qui loquuntur quàm Dæmones per ipſos, vtitur enim ipſis tanquam inſtrumentis, & ideò reuelatio ſecretorum quæ fit per Energumenos, ſine peccato eorum qui Energumeni ſunt, fit: ſed diuinatio Ariolorum, qui Dæmone vtuntur inſtructore & pręceptore, non fit ſine graui crimine hominis diuinantis. Quò fit vt deterior ſit conditio Ariolorum Sagarum, Maleficorum, quàm obſeſſorum, quia peius eſt malum operari quàm malum pati. Hinc iuſta ſunt quæ de Sagis & Ariolis ſumuntur ſupplicia, iniuſta autem forent, ſi de arreptitijs ſumerentur. *Loyaetis Dom. 3. Quad.*

Quartum ſignum latentis Dæmonis eſt, ſi poſtquam ceſſauit vexari Energumenus, & ſibi reſtituatur, mira & occulta quę reuelauit & captum hominum ſuperant, ita obliuioni tradiderit vt de his reſpondere neſciat, hoc ſigno conſtat non tam ipſum quàm Dęmonem per ipſum fuiſſe loquutum. Si autem dicat quis fallere quandoque poſſe hoc ſignum, nam plurimi laborantes phreneſi, aut alijs capitis infirmitatibus reperiuntur, qui multa effutiunt, & vix à loquacitate cohiberi poſſunt, poſtquam autem priſtinæ ſanitati reſtituuntur, non recordantur ampliùs eorum quæ in actuali infirmitate detenti dixerunt. Reſpondemus, quæ dixerunt inania eſſe & non ita certa, & à vi ipſius morbi ex forti imaginatione proceſſiſſe. Et ideò ſupradictum ſignum ſi eo modo quo expoſitum eſt intelligatur, ſatis certum & indubitatum Dęmonis inhabitantis videtur. Deinde hæc locutio occultorum non eſt à Deo, neque à bono Angelo, cùm vterque quàndo aliquid homini reuelat, quid reuelet, edocet, illuminat mentem, & ita memoriam confortat vt homo non obliuiſcatur reuelatorum. Si itaque, vt ſupponimus, eorum quæ dixit Energumenus, ſibi reſtitutus obliuiſcatur, talis locutio non poteſt eſſe niſi à Dæmone, non quidem exteriùs docente, vt ſolet docere Magos qui reuelata obliuioni non tradunt, ſed memoriâ retinent; ſuprà enim diximus Dęmones non poſſe per inſtrumenta ad loquendum apta loqui, niſi intùs exiſtant. Deinde ſi in aliquo hoc ſignum fallere videretur, ſemper certum eſſet adiunctis alijs quę ſuprà notauimus adiungenda.

Quintum ſignum inhabitantis Dęmonis eſt, ſi Energumenus flagellis plagatus ac prohibitus ne loquatur, à loquacitate prohiberi non

valeat. Illud autem ſignum non videtur ſatis certum niſi alia ei quoque adiungantur; nam poteſt quis tam ingenti morbo laborare vt à locutione cohiberi non valeat, vt ſæpè ipſamet docet experientia, & idem effectus poteſt eſſe à Deo, vel bono Angelo.

Poſtremum ſignum Dęmonis inhabitantis, ſumitur ex vſu rerum ſacrarum; vt ſi iuſſi Energumeni inuocare Dei nomen aut alicuius Sancti, & potiſſimùm ſacratiſſimum Ieſu nomen proferre, aut verba ſacra audire, id facere nolint vel nec poſſint; ſi recitare non poſſint pſalmum, aut deuotam aliquam orationem; ſi concutiantur, terreantur, impatientes fiant, blaſphement, ſtrideant dentibus, horreant adhibitis Sanctorum reliquijs, aut agno Dei, cereo benedicto, cruce fronti impreſſâ, aut aquâ luſtrali aſperſo corpore, aut ſanctiſſimâ Euchariſtiâ adhibitâ; ſi nolint Sanctorum imagines præſertim crucifixi aſpicere aut Dei; ſimiliter ſi in aurem inſuſurratum fuerit illud Cantici Moyſi; *Deum qui te genuit, dereliquiſti, & oblitus es Domini creatoris tui*: ſi exorciſmos impatienter ferant, ſeu clamores & vlulatus edant, ac in furioſos motus prorumpant; ſi tandem ad ingreſſum Eccleſiæ tumultuentur, & ſtatim inde fugiant, & Euangelium audire, & diuinis intereſſe officijs, & potiſſimùm Sanctiſſimo Miſſæ ſacrificio; hęc enim omnia & ſimilia opera, ad Dęmones inhabitantes referenda ſunt, non ad miſeros arreptitios, tunc enim Dęmones eis vt inſtrumentis paſſiuè ſe habentibus abutuntur, quando enim mentis compotes ſunt, optant, & fatentur ſe velle hęc præſtare, & ſacris intereſſe, & ſacrarum rerum auxilium deſiderare, ſed eſſe quidpiam in ipſis quod eos impediat. His igitur ſignis ſe latentes produnt Dęmones; non enim veriſimile eſt aliquos homines tam deploratæ ſalutis reperiri poſſe, qui hæc omnia vel eorum aliqua fingere aut exequi vellent, vt ſe Dęmoniacos oſtendant vel ſimulent; imò qui hæc audiendo non exhorreſcant. Et quamuis aliqui ita perditi & malitioſi reperirentur, qui ex his aliqua fingerent aut efficerent, ſicut de facto narratur de quadam muliere, quæ vt tegeret aliquod vitium finxit ſe eſſe Dæmoniacam, ſe per lutum volutans, ore ſpumans &c. multa tamen alia ſigna recenſuimus, quæ non homines ſed ſolùm Dæmones pręſtare poſſunt. Illis itaque omnibus adiunctis, facilè Dęmones inhabitantes deprehenduntur. Plura non deſunt exempla, quibus conſtat hoc poſtremo ſigno Dęmones latentes deprehenſos fuiſſe; Solùm quatuor afferemus, cum quibuſdam alijs ſignis, quibus Dæmon humanum corpus inhabitans, ſe prodit.

Deut. 32.

SECTIO X.

Exemplis præfatum ſignum poſtremum confirmatur: & alia quædam ſigna quibus Dæmon latens ſe prodidit adferuntur.

EXemplũ primum ſumitur ex Surio in vita S. Ber. Ipſe refert quendam Patrem filium ſuum adhuc puerum adduxiſſe ad S. virum, eique ſignificaſſe ipſum grauiter torqueri quotieſcumque vel Eccleſiam ingrederetur, vel aquâ benedictâ aſpergeretur, vel Cruce ſignaretur, vel Euangelium audire compelleretur, aut denique diuinis cogeretur adeſſe Sacramentis. Aſtabat tunc fortè viro Sancto B. Gerardus, qui volens experiri ſi verum eſſet, quod à patre dicebatur, occultè puerum ipſum in dorſo ſigno Crucis ſignauit, & mox puer infremuit, & inhabitans Dæmon deprehenſus eſt. *Tom. 4. in vita S. Bernard. lib 2. cap. 3.* *Exempla inhabitantis Dæmonis in humano corpore.*

Aliud exemplum refert idem Surius in vita Hugonis Linconienſis Epiſcopi, quòd videlicet ex arreptitio quodam Dæmonem eiecerit, recitando initium Euangelij S. Ioannis. *Tom. 4.*

Sanctus etiam Germanus Epiſcopus Pariſienſis manum imponendo puellæ, de qua vtrum eſſet poſſeſſa dubitabatur, eo quod templum ingredi non valeret, mox latens ſpiritus ſe prodidit, prout in eius vita refert Fortunatus Pictauorum Epiſcopus. *Fortunatus.*

Poſtremum exemplum eſt ex Ruperto Tuitienſi in vita S Heriberti Colonienſis Epiſcopi: Refert ergo accidiſſe Dæmoniacum quendam per variorum Sanctorum loca, recuperandæ priſtinæ incolumitatis cauſa, circumductum fuiſſe, ſed fruſtra; tandem ad S. Heribertum adductus, iubetur adeſſe ſupplicationi quæ in ſolemni die Palmarum apud Catholicos peragitur, in qua cùm Antiphona de Chriſti triumpho contra Diabolum decantaretur, Dæmoniacus clamare & vociferari cœpit, iubet Antiphonam repeti Antiſtes, ſed repetitam non ferens Dæmon poſſeſſum hominem reliquit. Et hactenus de his ſignis, ex quibus vtplurimum Dęmones deprehenduntur. His tamen addenda nonnulla quibus Dæmon latens ſe prodidit, vt notat ab Eynatten in ſuo Manuali Exorciſmorum. Non rarò (inquit) Dęmon in aliqua parte corporis palpitando ſicut piſcis aut formica, aut aliâ formâ ſentitur, aliquando areptitij ſentiunt per totum corpus inter carnem & pellem diſcurrentes quaſi formicas; in *Rupertus.* *Inſtruct. 2.* *Signa alia quibus Dæmon latens ſe prodidit.*

aliquibus totum corpus quaſi continuis aculeis pungitur; vel velut flatus à capite ad pedes deſcendit, & iterum aſcendit; interdum veſicula in lingua excitatur, quæ confeſtim diſparet; vel plures apparent minutis granis. Quibuſdam ad guttur Diabolus aſcẽdit, & illud extraordinariè tremefacit, & ſiccam tuſſiculam excitat, vel linguam extorquet miris modis, vel eandem exerit ingenti oris hiatu. Hæc & alia plura ſigna facit in corporibus poſſeſſis, quibus haberi poteſt certitudo de veritate rei, præſertim ſi plura ſigna ſimul concurrant. Notant prætereà aliqui, Dęmones ſe inhabitantes prodidiſſe, dum nonniſi per ſanctos homines eſſe à corporibus egreſſuros dixerunt, vel ſanctorum hominum præſentiam ferre non potuerunt, de quibus tamen nihil ipſis Dęmoniacis innotuit. Primum exemplum eſt de illo Dęmone qui Gordiani Imperatoris filiam poſſidebat, & nonniſi per Sanctum Triphonem ſe eijciendum affirmabat, vt refert Metaphraſtes. Surius quoque in vita Sancti Cyriaci, refert Dæmonem quendam per Artemiam filiam Diocletiani Imperatoris, & per Tobiam filiam Saporis Imperatoris Perſarum, clamaſſe vnum eſſe Cyriacum cui cedere cogeretur. Prætereà Hincmarus in vita S. Remigij, narrat Dęmonem Romæ cedere noluiſſe ad imperium S. Benedicti, ſed ad Remigium Remenſem Epiſcopum quaſi appellaſſe, & ideò S. Benedictum remiſiſſe arreptitium illum ad Sanctum Remigium, vt ab eo curaretur. Marcellinus etiam in vita Sancti Humberti cuiuſdam Dęmonis tyrannidem deſcribit, dicitque quòd cùm à Paganis vrgeretur vt diſcederet, tum ſe diſceſſurum affirmauit, quando Humbertus Werdenſis Epiſcopus exitum imperaret. Denique Surius refert quòd cùm Sancta Genoueſa Turonem ingrederetur, Dæmon per poſſeſſum clamare cœpit gemino ſe incendio torqueri. Dum itaque ſimilia accidunt, ſignum eſt Dęmonis inhabitantis.

Metaphraſt. 1. Februarij.

Surius tom. 4.

Surius tom. 1.

Eſt autem hîc aduertendum quoſdam ſanctos homines, potuiſſe aliunde poſſidentes Dæmones deprehendere quàm à ſupradictis ſignis, videlicet diuinâ reuelatione. Refert enim Metaphraſtes de S. Parthenio 7. Februarij quòd cùm quidam ipſum tranſeundo ſalutaſſet, ſalutantem non reſalutarit, eo quòd in ipſo occultum cognoſceret malum latere ſpiritum; & quomodo id agnoſcere valebat niſi diuinitùs ſibi facta reuelatione? Sic Georgius Preſbyter in vita Theodori Archimandritę apud Surium, narrat quòd ille ſemel rogatus vt Principis cuiuſdam filiam quæ 28. annis ex graui morbo decumbebat, iuuaret, diuinâ reuelatione declarauit malum illud à latente Cacodæmone illatum eſſe, deinde ei ſanitatem, profligato ſpiritu reſtituit.

Quidam homines ſancti, Diuina reuelatione, Dæmones poſſidẽtes deprehenderunt.

Apud Surium tom. 1.

Forſitan.

Forſitan etiam Sanctus Paulus diuinâ reuelatione agnouit malignum ſpiritum in puella, quæ quęſtum magnum pręſtabat dominis ſuis, diuinando; nam ſola confeſſio eius qua Apoſtolum Apoſtolique ſocium: *Dei ſeruos qui viam ſalutis annuntiarent*, confitebatur, ſufficiens ſignum ſpiritus poſſidentis eſſe potuit.

CAPVT XIV.

De Poteſtate curandi Dæmoniacos.

SECTIO I.

An in Eccleſia ſit poteſtas çoërcendi & abigendi Dæmones.

RESPONSIO eſt affirmatiua, & de fide. Probatur I. ex eo quòd S. Lucas refert de Apoſtolis Chriſto dicentibus: *Domine etiam Dæmonia ſubijciuntur nobis in nomine tuo*, Chriſtus quaſi renouans & confirmans poteſtatem ab ipſo collatam apud S. Matthæum ſubdidit: *Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper Serpentes & Scorpiones & ſuper omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit.* Per Serpentes & Scorpiones Dæmones intelligit, vt communiter omnes, & ſupra oſtendimus hæc nomina eis conuenire; per virtutem verò inimici exercitum Dæmoniorum & eorum ſatellites intelligunt, vel multiplices Dæmonis tentationes, vt aiunt Euthimius, Caietanus, & alij. Quidquid autem ſit de his expoſitionibus, in hoc omnes conueniunt, vt eo in loco data ſit eis poteſtas ad cohibendos & profligandos Dæmones ne nobis noceant; & idem colligitur ex S. Marco: *In nomine meo Dæmonia eijcient, &c.*

Eccleſia coërcendi Dæmonis poteſtatem habet. *Luc. 10.* *Matth. 10.* *Marci vlt.*

Probatur etiam ampliùs ex multis miraculis quæ circà Dæmoniorum eiectionem patrarunt Apoſtoli. In Actis Apoſtolorum legimus à S. Paulo eiectum eſſe ſpiritum Pythonem ex puella, & in ijſdem Actis attactu ſudarij Apoſtolici expulſi ſunt Dæmones.

Act. 16. *Act. 19.*

Voluit etiam Deus initio naſcentis Eccleſiæ, hanc poteſtatem eſſe penès alios fideles, vt colligitur ex dicto loco S. Marci: *Signa autem eos qui crediderint hæc ſequentur. In nomine meo Dæmonia eijcient, &c.* Vnde Tertull. libro de Corona militis, ait milites expuliſſe Dęmones: Et idem de idololatria, ait parentes Chriſtianos ſolitos

Tertul. de cor. mil. cap. 11. *Tertul. de idolol. cap. 11.*

exorcizare proprios filios, ſi contigiſſet eos à Dæmone torqueri; ita Iuſtinus Martyr, Epiphanius, Lactantius, &c. docent non ſolùm Apoſtolis, ſed alijs qui crediderunt hanc eſſe collatam poteſtatem, vt ſic pluribus argumentis veritas fidei Chriſtianæ, & doctrinæ Chriſti quæ mundo tanquam noua lux inferebatur, & quaſi tenellum arbuſtum creſcebat, commendaretur, confirmaretur, & augeretur, atque intelligerent homines Dęmonum regnum, Chriſti aduentu diſſolui, & omnino neceſſitatem ſibi incumbere, deſertâ infidelitate fidem complectendi Chriſtianam, fuiſſe tamen peculiare munus Apoſtolorum & ordinis Eccleſiaſtici ad hoc opus inſtituti, ſatis eſt Sanctorum Patrum aſſertione exploratum, & maximè S. Ignatij, qui inter cæteros Eccleſiaſticos ordines & officia recenſet Exorciſtas, quibus ex officio hæc poteſtas coërcendi Dæmones conuenit. Ita Romanum Concilium ſub Syluestro, & Carthaginenſe quartum, inter Eccleſiaſticos ordines numerant Exorciſtas, & Concilium Laodicenum vetat, ne qui non ſunt ab Epiſcopis ordinati, tam in Eccleſijs quàm in domibus exorcizare præſumant, dum enim ordinantur, illis ab ordinante dicitur: *Habeto poteſtatem imponendi manus ſuper Energumenos, ſiue baptizatum, ſiue Catechumenum.* Ita habetur in Præfato Concilio Carthag. 4. & in antiquis Eccleſiæ Ritualibus, vt fuſius Sect. ſequente dicetur.

Iuſtin. Epiph. Lactant. &c. — *Cap. 7.*

Fauet autem ratio, quia quilibet ordo ordinatur in certum aliquem finem, vti & quodlibet Sacramentum: at non poteſt dici quis ſit finis exorciſtatus niſi Dæmones expellere, fuit autem ordo hic in lege veteri, vt conſtat ex Ioſepho, & ex Actis Apoſtolorum.

Ioſephus lib. 8. antiq. Iud. cap. 2. Act. 9.

Aduerte autem quòd quemadmodum poteſtas Dæmones eijciendi Apoſtolis conceſſa, non erat cum illis interitura, ſed vſque ad noſtra tempora & futura debet permanere; ſimiliter hæc poteſtas apud Laïcos initio naſcentis Eccleſiæ, poſt fidei propagationem per totum orbem, non fuit ampliùs omnibus fidelibus neceſſaria, & proindè nec conceſſa, attamen poſterioribus ſæculis illâ eâdem non caruerunt, quia ſaltem eſt quibuſdam etiam ſacris ordinibus non initiatis tributa in ſignum ſanctitatis vitę; imò etiam pręclaris fœminis in quibus ſacer ordo locum non habet; Nam Surius refert S. Brigittam, quendam iudicem ſæcularem, deinde eius curſorem, & tertiò quandam fœminam, ab infeſtatione Dęmoniaca liberaſſe. Ita S. Catharina Senenſis teſte Raimundo in eius vita, ſigno crucis Dæmonem expulit. Ita S. Genoueſa plurimos curauit, & ipſi Dęmones teſtati ſunt eius præſentiam, grauem eis adferre torturam, vt narrat Surius [a] in Ianuario; qui pariter [b] refert Anatoliam Virginem Energumenum Aſanianum nomine, Diodori viri conſularis filium

Surius tom. 4. — *a Surius tom. 1.* — *b Idem tom. 4.*

qui ſe eius precibus incendi clamabat, afflaſſe & à Dæmone liberaſſe. De pluribus quoque alijs conſtat. Vt autem id magis eluceſcat, eſt ſedulò aduertendum poteſtatem adiurandi Dæmones eis præcipiendo exire, nudâ ac ſimplici adiuratione, nulli hominum generi, nulli ſtatui aut ſexui, alligatã eſſe, ſed per omnes vagari, vt conſtat ex vſu fidelium qui oblata occaſione, indifferenter adiuratione armantur contrà eos, tanquam remedio ſibi à Deo relicto, quo vtuntur licitè ad ſui defenſionem: At verò poteſtas illos adiurandi ſolemniter, ſolis initiatis ordine Exorciſtarum competit, qui ex vi ſuæ ordinationis habent aſſiſtentiam diuinam paratam, ac diſponentem & præparantem eos vt gratiam fugandi Dęmones, quę eſt donum actuale, recipiant, quando & ſicut oportuerit, iuxta diuinæ prouidentiæ regulas. Nonnulli vlterius ad faciliorem prædictorum intelligentiam, docent duplicem eſſe in Eccleſia ad Dęmones expellendos poteſtatem, ordinariam videlicet & extraordinariam: Illa eſt quæ ex diuina inſtitutione per Exorciſmos exercetur, & in cunctis Eccleſiæ Euangelicæ ſæculis, executioni demandata fuit: hæc verò ad miraculorum ordinem refertur, & nulli ordini aut officio Eccleſiaſtico eſt annexa, ſed quibus Deo placet, communicatur, imò etiam fœminis eximiæ ſanctitatis, vt ex allatis hiſtorijs conſtat; & iſta ad infidelium conuerſionem quandoque requiritur, & in vſu fuit maximè in primitiua Eccleſia. Si autem quærat quis, quid ſit & in quo conſiſtat hæc potentia eiectiua Dæmonum: Dicimus eſſe virtutem quandam inſtrumentalem à Deo tanquam à principali agente hominibus communicatam, per quam fiunt potentes in actu primo ad ipſos Dæmones fugandos, quod eſt opus vires naturæ exuperans, & ideo vt alij volunt, illa eorum actio qua ſic Dæmones eijciunt, motione & excitatione quâdam diuinâ & ſupernaturali ad hunc effectum, eleuatur.

Poteſtas adiurandi Dæmones multis ſumitur modis.

SECTIO II.

De diuerſis medijs quibus Dæmones ab Energumenis pelluntur, & primò de Exorciſmo, nomine Ieſu, & Cruce.

QVEMADMODVM ad res omnes arduas perficiendas, multa neceſſaria ſunt; ita cùm magnum & arduum ſit opus, Dæmones ex humanis corporibus eijcere, non pauca ab his requiruntur qui

illa ab ipſis liberare tentant. Si vrbes eſſent expugnandæ, aut arces, tormenta bellica adhiberi poſſent; ſi è regno pellendus tyrannus aliquis, militum copiâ opus eſſet; verùm quoniam hic non arces expugnandæ, nec tyranni qui ſub aſpectum veniant, pellendi, ſed cum ſpiritibus potentiſſimis bellum ſuſcipitur, aliæ ſunt adhibendæ machinæ, alia tormenta quàm quibus muri quatiuntur, aut tyranni pelluntur: ſed tamen hoc cum illis commune habere debent machinæ quæ ad profligandos Dæmones adhibentur, vt hoſti ſint aduerſæ & contrariæ, vt hic etiam locum habeat quod dicitur; *Contraria contrarijs pelluntur.* Machinæ autem illæ ſunt remedia Eccleſiaſtica, quę aduerſùs tantorum hoſtium impoſturas Dei auxilio pollent, & eos fugant, multóque magis eorum opera diſſoluunt, eoſque ab humanis corporibus expellunt. Iam capite 12. huius tractatus de quibuſdam horum remediorum diſſeruimus, in quantum maximè valent ad Dęmonis tentationes & ſuggeſtiones repellendas; nunc de iiſdem dicendum, in quantum his mirificè Dęmones poſſunt à Dæmoniacis ſeu Energumenis expelli, & de his quædam ſubijcienda veniunt exempla. Recurrę tamen ad præfatum caput 12.

Eccleſiaſtica media ad Dæmones pellendos

Exorciſmo pelluntur Dæmones.

Prima itaque machina ſeu primum medium pellendi Dæmones, eſt Exorciſmus, ipſo ſiquidem maximè exercetur poteſtas eos abigendi collata à Chriſto, de quâ præcedenti ſectione egimus. *Exorciſmus* Græcè adiuratio Latinè dicitur. Exorcizare itaque ſeu coniurare Dæmones eſt illis imperare per obteſtationem alicuius rei ſacræ, ne hominibus mala inferant, & vt à corporibus humanis quos vexant, egrediantur. Vnde S. Auguſtinus: *Exorcizare* (inquit) *nihil aliud eſt quàm per diuinam virtutem immundum ſpiritum adiurando expellere.* Huius adiurationis per Exorciſmos meminit S. Cyprianus; *Adiurantur* (inquit) *à nobis, & torquentur ſpiritualibus flagris, & verborum tormentis de obſeſſorum corporibus eijciuntur Dæmones.* Hęc autem exorcizandi poteſtas confertur per ordinem Eccleſiaſticum, omnibuſque confertur tam bonis quàm malis hunc ordinem ſuſcipientibus (inquit Loyaerts) fuitque in Concilio Laodiceno conſtitutum, ne qui ab Epiſcopis ordinati non ſunt, exorcizare præſumant, neque in Eccleſijs publicè, neque in domibus priuatim: & ne quid ſuperſtitionis in Exorciſmos irreperet conſtitutum fuit vt ordinandus Exorciſta, de manu Epiſcopi libellum arriperet, in quo ſcripti eſſent Exorciſmi ſub certa verborum forma, debetque Exorciſta præſcriptam adiurationum formulam in exorcizando ſequi, qua per fiduciam poteſtatis quam Chriſtus in Eccleſia reliquit, increpetur Diabolus, & tanquam victus per Chriſtum imperioſè iubetur diſcedere. Aduertit autem idem Loyaerts quandoque

Exorciſmus & Exorcizare quid.

Lib. 2. de vita Beata.

Cypr. ad Demetrianum Proconſ.

Loyaerts in Dom. 3. Quadr.

per preces eijci poſſe Dæmones, dum videlicet aliqui toto corde ad Deum conuerſi, humiliter ſupplicant vt ſuæ virtutis potentia, Dęmonem reprimat & repellat; cuiuſmodi forma Sancto Antonio & alijs quibuſdam pietate præſtantibus familiaris fuit. Hîc autem potiſſimùm de poteſtate eijciendi Dęmones per Exorciſmos loquimur.

Fiunt autem ipſi Exorciſmi per Sacramenta, per inuocationem Beatiſſimæ Virginis, atque etiam Sanctorum Angelorum, & Sanctorum Dei, flexis genibus recitando Litanias cum orationibus illis adiunctis, de quibus vide Manuale Exorciſmorum Maximiliani ab Eynatten & alios quos in fine huius tractatus recenſemus.

Ordinatio Exorciſtæ quibus verbis fit.

Cúm autem ordinatur quis Exorciſta, ei ab Epiſcopo dicitur; *Accipe, & commenda memoriæ, & habeto poteſtatem imponendi manus ſuper Energumenum, ſiue batizatum, ſiue Catechumenum*, nam conceptis verbis conferebantur Exorciſmi, vt ait Minutius Fœlix, inter quæ præcipua vt non fierent orationes per concluſionem: *Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, &c.* Quæ alijs Eccleſiaſticis ſubijcitur precibus, ſed: *Per eum qui venturus eſt iudicare ſæculum per ignem.* Vt inde in memoriam Dæmonum, ſupplicium proprium reducatur, vt ait Micrologus. Aduerte tamen non eſſe de eſſentia adiurationis imperium confirmare per aliquid diuinum, vel rem ſacram; & ratio eſt quia abſoluta poteſtas fuit hominibus collata calcandi Dæmones ac eijciendi; Ergo non eſt cur limitetur, & neceſſariò debeat fieri per obteſtationem alicuius rei ſacræ. Deindè multi viri ſanctitate inſignes, ſolo imperio Dęmones ejecerunt, vt Parthenus, prout refert Metaphraſtes. Idem de Sancto Remigio narrat Hincmarus in vita eius. Et de Sancta Anatolia ait Surius primò afflaſſe Dęmoniacum, & ad Dæmonem conuerſam ei dixiſſe; *Exi ab homine*, & ſtatim diſceſſit. Nihilominùs tamen quia Exorciſmus eſt religionis actus valdè efficax ad Dæmones pellendos, debet neceſſariò fieri per obteſtationem alicuius rei ſacræ, ſolum enim imperium non videtur eſſe actus religionis & cultus; vnde modus vſitatus adiurandi Dæmones tempore primitiuæ Eccleſiæ, per inuocationem Sacri Nominis Ieſu perficiebatur, vt ipſemet Chriſtus dixerat apud S. Marcum: *In nomine meo Dæmonia eijcient*, & iſto adiurandi modo vſi ſunt Apoſtoli, & Patres eorum coætanei; præcedenti enim Sectione notauimus ex S. Luca, Apoſtolos miſſos à Chriſto ad prędicandum, cum gaudio reuertentes dixiſſe: *Domine etiam Dæmonia ſubijciuntur nobis in nomine tuo.* Et poſteà S. Paulus in Actibus, eijciens ſpiritum immundum à puella ait; *Præcipio tibi in nomine Ieſu Chriſti exire ab ea:* & alibi in ijſdem Actibus, quidam Iudæi leguntur adiuraſſe Dæmones per nomen Ieſu quem Paulus

Metaphraſtes 7. Febr.
Hincmarus in vita S. Remigij.
Surius tom. 4.
Exorciſmus ordinariè fit per obteſtationem alicuius rei ſacræ, vt Nominis Ieſu S. Crucis, &c.
Marci vlt.
Luc. 10.
Act. 16.
Act. 19.

prędicabat, nimirum quia videbant Paulum eodem nomine vti in Dæmonibus pellendis. Sic legitur Ioannem Euangeliſtam, Dæmonem è Dianæ templo qui iam ducentis & quadraginta nouē annis ibi habitauerat, propulſaſſe his verbis: *Interdico tibi in nomine Ieſu Chriſti Nazareni, ne vltrà hic habites*, & confeſtim reliquit locum. Vnde & Sanctus Iuſtinus Martyr Apoſtolorum coætaneus: *Nominis Ieſu*, inquit, *potentiam Dæmones tremunt & reformidant, & hodie quoque illi per nomen Ieſu Chriſti crucifixi adiurati, nobis parent.* Et paulo poſt: *Per nomen iſtius ipſius filij Dei, & primogeniti creaturæ omnis, Dæmonium omne adiuratur, vincitur, & in ditionem redigitur.* Et ſic Chriſti fidelibus qui vexillum & partes victoris ſequuntur Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui eum in regenerationis lauacro induerunt, qui habent ſcutum fidei, gladium verbi Dei (inquit Gregorius Toloſanus) iſtæ Dæmoniacæ poteſtates in hoc nomine Domini ſubijciuntur, ab illis exſibilantur, exorcizantur, ligantur, deijciuntur inuiti, iuxta id quod Tertull. dixit; *Dæmones non tantum reſpuimus, verùm & reuincimus, & quotidie traducimus, & de hominibus expellimus.* Vnde Sanctus Bernardus ſolebat illos virtute ſanctiſſimi huius nominis expellere. Legimus quoque in vita S. Dominici, ſanctū illum virum, cùm concionaretur & audiret Dæmoniacam exclamare, & auditores perturbare, pręcepiſſe Dęmoni in nomine Ieſu Chriſti facto Crucis ſigno, vt miſeram relinqueret, eamque confeſtim reliquit, & ſanata eſt.

In Dialog cū Tryphone. — *Comment in lib. 7. Artis mirab c. 10.* — *Lib. ad Scap. cap. 2.* — *Lib. 2. cap 9.*

Audoenus Rothomagenſis in vita S. Eligij Nouiomenſis Epiſcopi, narrat quòd cùm quidam Dęmoniacus ſancto illi Epiſcopo diceret quid agis? ille mox reſpondit: *In nomine Ieſu Chriſti obmuteſce, & exi ab homine*; vix verbum protulerat, & Dæmon euolarat. Denique teſtatur Sanctus Athanaſius in vita S. Antonij, ipſum ſanctum in eiuſdem nominis inuocatione Dæmonia eieciſſe. De Sancto Bernardo in eius vita habetur: *Expulerat ille ſecundò à Dæmoniaca quadam ſpiritum nequam, quia verò verebatur ne ſe diſcedente rurſus miſeram ingrederetur, hunc ipſius collo affixit exorciſmum, in Nomine Domini Noſtri Ieſu Chriſti præcipio tibi Dæmon ne hanc mulierem ingrediaris*; nihil enim ita Dæmones terret ac ſanctiſſimum illud nomen, ſecundùm quod Vates Regius prædixit: *Sanctum & terribile nomen eius.* Et quod magis mirandum venit, etiam peccatores in nomine Ieſu Diabolo ſunt terrori: Illud confirmat Origenes ex ipſorummet peccatorum teſtimonio, qui in extremo iudicio dicent: *Domine, Domine, nonne in nomine tuo Dæmonia eiecimus?* Sed quia inuocando Ieſu nomen ſolemus, nos ſigno Crucis munire, vel illud ſuper aliquid effingimus: ideò de hoc ſancto nomine

Lib. 1. cap. 11. — *Lib. 2. cap. 4.* — *Pſalm. 110.* — *Lib. 1. contrà Celſum.* — *Matth. 7.*

tanquam efficaci medio ad Dæmones abigendos, ſermonem inſtituentes, de Crucis quoque ſigno tanquam de medio adhuc validiſſimo, nonnihil dicendum.

Epiphanius hęreſi 30. ſcribit Ioſephum quendam nondum Chriſtianum, Cruce Chriſti Dęmonia eieciſſe, & deinde Chriſtianum effectum, eâdem Iudæorũ incautationes deſtruxiſſe. Gregorius Turonenſis in vita Patrum refert Gregorium Lingonicum Epiſcopum, ex Energumenis ad ſe adductis, facto ſigno Crucis iuſſiſſe Dæmonia diſcedere. Et Vincentius narrat Albinum Andegauenſem Epiſcopum, eodem ſigno Dæmonem à quadam muliere eieciſſe.

Epiphan. hereſi 30.
Greg Turon. cap. 7.
Vincentius. Lib. 23. cap. 143.

Fortunatus Pictauorum Epiſcopus in vita Sancti Germani Pariſiorum Epiſcopi, refert de quodam Dæmone occultè puellam poſſidente, qui poſt impreſſam puellæ Crucem, per nares in ſpecie muſcæ egreſſus eſt. Idem Fortunatus in vita Sancti Maurillij Epiſcopi Andegauenſis, narrat ipſum eodem Crucis ſigno Dęmoniacam liberaſſe, quam neceſſe erat ob ferocientem ſpiritum vinculis conſtringere. Sic teſtatur Gregorius Turonenſis in vita Patrocli, ipſum ſanctum virum Eremi cultorem, plurimos Dæmoniacos ſigno Crucis curaſſe. Ita legitur in vita Sancti Laurentij Archiepiſcopi Dublinenſis, illum ſanctum virum pectori cuiuſdam Dęmoniacæ Crucis ſignum impreſſiſſe, & ori eius aquam benedictam infudiſſe, & poſt vtrumque, ad orationem conuerſum, Dæmonium eieciſſe. Vides eum tribus medijs & armis ſpiritualibus de quibus ſupradictum eſt, Dæmonium profligaſſe.

Fortunatus.
Cap. 9.
Cap 28. apud Suriũ tom. 6.

Lactantius præclarâ ſimilitudine id oſtendit: Sicut ipſe (Chriſtus) cùm inter homines ageret, vniuerſos Dæmones verbo fugabat, horumque mentes emolliebat, & malis incurſibus feriatas in ſenſus priſtinos reponebat: ita nunc ſectatores eius eoſdem ſpiritus inquinatos, de hominibus & nomine magiſtri ſui & ſigno Paſſionis excluduns. Vide alia quędam exempla apud Thyræum [a]. Porrò rectè aduertit Loyaerts [b] ſigno Crucis in ſe conſiderato, non ſic ineſſe virtutem fugandi Dæmones, ſicut herbis ineſt virtus ſanandi morbos, ſed ei ineſſe virtutem inuiſibilem ipſius Chriſti: ita vt Dęmones viſo illo ſacro ſigno fugiant, memores ſuæ ignominiæ quam per crucem ſuſtinuerunt & paſſi ſunt. Et hoc modo ſigno Crucis expreſſo, tanquam gladio exerto, Diabolo reſiſtimus, non ſolùm vt ab eius impetitione maneamus illæſi, verumetiam vt aduersùs eius furores inſurgere audeamus, eumque inſectari, & ab alijs quos violenter affligendos vel poſſidendos ſuſcepit, expellere, quemadmodum Chriſtus ait: *Signa eos qui crediderint, hæc ſequentur, in nomine meo Dæmonia eijcient.*

Lib. 4. cap. 2.
a Part. 3. de Dæmon. c. 44.
b Dominica 3. Quadr.
Marci 16.

SECTIO III.

Oratione, Ieiunio, Vigilijs, Flagellis, Pœnitentiæ operibus, & mortificationibus, potiſſimùm verò Miſſæ ſacrificio Dæmones expelluntur.

Oratione Dæmones expelluntur.

Lib. 1. Dial. cap. 10.

S. Hieron.

Lib. 2. c. 4.

QVOD primò ad orationem ſpectat, nonnulla habemus exempla: Sanctus enim Gregorius de Fortunato Tudertinæ Eccleſiæ Epiſcopo, refert Oratione Dæmonia à corporibus Energumenorum expellere ſolitum. Et Sanctus Hieronymus in vita Hilarionis narrat ducentos propemodum, partim viros, partim mulieres oratione à Dæmonis vexatione liberaſſe. Sic Bernardus Bonæuallenſis in vita Sancti Bernardi, refert Sanctum illum virum oratione à Dæmonio liberaſſe puerum quendam, qui ad eum adductus fuerat, poſtquam vnam manum capiti ipſius pueri impoſuiſſet, & alteram eiuſdem pectori admouiſſet. Surius quoque in vita Sanctæ Genoueſæ, teſtatur Turoni quos Energumenos curauit, oratione ad Deum factâ id præſtitiſſe. Eâdem oratione vſi ſunt quamplures alij à Thyræo relati.

Surius tom. 1.

Parte 2. diſp. de Dæmon. c. 46.

Ieiunium & oratio ſimul Dæmones abigunt.

Marci 9.

Quod attinet ad ieiunium & orationem ſimul, docuit Chriſtus hæc arma ſpiritualia, ad abigendos ſæuiores præcipuè & fortiores Dæmones eſſe neceſſaria, cùm enim eius diſcipuli quoddam Dæmonium eijcere non potuiſſent, ſciſcitati ſunt ab eo rationem huius impotentiæ, qui dixit eis: *Hoc genus in nullo poteſt exire niſi in oratione, & ieiunio.*

Dæmones abigũtur mortificationibus, vt vigilijs, flagellis, &c.

Sunt etiam cum Orationibus, Ieiunijs, & abſtinentijs, adhibendæ aliæ mortificationes, vt vigiliæ, flagella, &c. vt de Sancto Martino legimus, ipſe enim manebat in ſuo Monaſterio, vigilijs, & abſtinentijs intendens; inde ingenti fortitudine & ſpiritu munitus, ad Eccleſiam proficiſcebatur ad Dæmones expugnandos, qui multorum corpora poſſidebant; quo egrediente è Monaſterio, non minori terrore Dæmones afficiebantur, quàm rei cùm iudicis aduentum à quo ſe morti adiudicandos, timent, præſentiunt, ita vt Clerici qui nihil de ſui Epiſcopi aduentu cogitabant, illum aduenientem ex Dæmonũ tremendis vocibus manifeſtè cognoſcerent. Idipſum videre licet in multis Sanctis, qui ex orationibus, ieiunijs, flagellis, vigilijs & alijs mortificationibus, ingentes vires ad abigendos Dæmones traxerunt;

traxerunt; explorata enim erat illis S. Ambroſij ſententia: *Ieiuna ſi vis vincere.* His armis monet ſuos diſcipulos S. Antonius Dæmones eijcere debere, vt habet S. Athanaſius in eius vitâ: *Mihi credite* (dicebat) *fratres, pertimeſcit Sathanas piorum vigilias, orationes, ieiunia voluntariâ, paupertatem, miſericordiam & humilitatem, maximè verò ardentem amorem in Chriſtum Dominum, cuius vnico Sanctiſſimæ Crucis ſigno debilitatus aufugit.* His armis idem Sanctus Antonius plurimos à Dæmonum infeſtatione liberauit.

Lib. 4. in Luc.

Si verò tantùm valent oratio & ieiunium, aliaque ſupradicta remedia ad Dæmones è corporibus humanis expellendos, quis dubitat quin Miſſę ſacrificium, & ſacratiſſima Euchariſtia maioris longè ſint virtutis? pauca ſolùm hîc referimus exempla.

Sacrâ Euchariſtiâ & Miſſæ Sacrificio Dæmones expelluntur.

Proſper Aquitanicus narrat, ſuo tempore Miſſæ ſacrificium fructuoſè pro ſalute Dęmoniacæ oblatum, illam à Dęmonio liberaſſe, & proindè poſtea fuiſſe oblatum pro gratiarum actione. Et S. Chryſoſtomus docet olim in more atque conſuetudine fuiſſe, vt tempore diuinorum officiorum ad ipſum ſacrificium adducerentur Dæmoniaci, qui ſanabantur. Legimus etiam in vita S. Bernardi, ipſum credidiſſe haud parum præſidij in miſſâ aut in auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento poſitum eſſe, nam cùm Mediolani mulier quædam quam Spiritus nequam diuexabat, ad eum adducta fuiſſet; cœpit vir ſanctus preces pręſentis populi pro obſeſſa poſtulare, & Miſſæ ſacrificium in eius ſubſidium offerre, & tùm ſacram hoſtiam patinæ imponens, his verbis Dæmonem affatus eſt; *Adeſt iudex tuus, adeſt ſumma poteſtas, iam reſiſte ſi potes, adeſt ille qui pro ſalute mundi paſſurus inquit: Nunc Princeps huius mundi eijcietur foras; in eius igitur poteſtate, præcipio tibi vt ab hac eius ancilla egrediaris.* Tandem ergo ſupradicto adhibito Exorciſmo, poſt Orationem Dominicam in ſacrificio recitatam; eundem profligauit atque expulit. Vnde olim ijs qui immundis ſpiritibus torquebantur Sacra Euchariſtia communicari conſueuit, quam Dæmones reuerentes, ab Energumenis quam ocyſſimè recedebant. Quod Serenus Abbas apud Caſſianum teſtatur, vbi de ipſis Energumenis loquens ait: *Communionem eis Sacro-Sanctam à ſenioribus noſtris nunquam meminimus interdictam. Quinimò ſi poſſibile eſſet, etiam quotidie eis impertiri eam debere cenſebant.* Et paulò pòſt: *Quæ ab homine percepta, eum qui in membris eius inſidet Spiritum, ſeu in ipſis latitare cognoſcitur, velut quoddam exurens fugat incendium.* Quod Abbatis Andronici plerumque aliorum experimentis confirmat, à quibus percepta Euchariſtia malignos ſpiritus quibus agitabantur, protinùs expulit & effugauit. Denique quàm trepident, fugiant, & euaneſcant Dęmones ex pręſentia Sa-

Lib. de prædict. cap. 6.

Hom. 4. contra Armenios.

Lib. 2. c. 4.

Collat. 7. cap. 30.

Lib 6. magic. cap. 1. Sect. 3. in 2. cro-Sanctę Euchariſtiæ, ex multis patet hiſtorijs, in quibus referendis ne immoremur, conſulatur Delrius. Vide etiam quæ de ieiunio, & oratione Cap. 12. Sect. 1. diximus.

SECTIO IIII.

Sanctorum Reliquijs & alijs rebus Sacris, Dæmones expelluntur.

Act. 19. *Sanctorum Reliquijs Dęmones expelluntur.* HOc primò conſtat ex Actibus Apoſtolorum vbi legimus attactu ſemicinctiorum & ſudariorum S. Pauli Dæmones pulſos fuiſſe, ait enim S. Lucas: *Virtutes non quaſlibet faciebat Deus per manum Pauli, ita vt etiam ſuper languidos deferrentur à corpore eius ſudaria ſemicinctia, & recedebant ab ijs languores, & ſpiritus nequam egrediebantur.* *Act. 5.* Et in eodem libro Actorum non obſcurè inſinuatur per vmbram Sancti Petri vim Dęmonibus eſſe allatam. *Lib. 24. cap. 88.* Et Vincentius & Chronicum Saxoniæ, referunt plura Dæmonia fuiſſe eiecta per catenas quibus idem S. Petrus vinctus fuerat. Plurima quoque per eiuſdem S. Petri catenam eſſe eiecta teſtantur hiſtoriæ. Anno ſalutis 900, accidit, vt quidam Comes Othonis Imperatoris familiaris, occupatus ab immundo ſpiritu, ſeipſum dentibus dilaniaret; iuſſu autem Imperatoris ad Ioannem Pontificem ductus, vt ſacram catenam attigit, erumpens nefarius ſpiritus hominem liberum reliquit, vt ſupradictus Vincentius optimè notat. *Surius tom 4.* Sanctus Gregorius Nyſſenus in vita S. Gregorij Thaumaturgi apud Surium, narrat ſanctum illum virum anhelitu oris ſui velum afflaſſe, & illo ſuper Dęmoniacum poſito, Dęmonem expuliſſe. *Orat. 19.* Sanctus Gregorius Nazianzenus tanquam rem cunctis manifeſtam relinquit, Dæmones ad S. *Lib. 3.* Cypriani Martyris ſepulchrum eiectos fuiſſe. Beda in hiſtoria Anglorum, inſigne exemplum refert de vno Dæmoniaco in quodam Monaſterio exiſtente, qui cùm multùm à Dæmone vexaretur, inclamaret, dentibus frenderet, ſpumaret, & diuerſis motibus membra torqueret, nec ab vllo teneri vel ligari poſſet: Abbatiſſa à miniſtro monita, venit ad locum virorum cum vna ſanctimoniali, & euocans Præſbyterum rogauit vt Dæmonem exorcizaret, cùm autem tunc nihil proficeret, iuſſit ire miniſtram, & illi adferre capſellam, in qua erat de cineribus S. Oſuualdi Martyris, & cum intraret atrium domus cum ipſa capſella, conticuit Dæmon, & paulo-poſt

qui vexabatur, ſuſpirans ait, modò ſanum ſapio, recepi ſenſum animi mei: at illi ſedulò ſciſcitabantur quomodo hoc contigiſſet, quibus ille; mox vt virgo hæc cum capſella quam portabat, appropinquauit atrio domus huius, diſceſſerunt omnes qui me premebant ſpiritus maligni, & me relicto nuſquam comparuerunt: *Hæc Beda.* Lupus in vita Sancti Maximini apud Surium, refert Regem Pipinum Caroli Magni parentem, Sanctarum Reliquiarum virtutem agnouiſſe; cùm enim Clericus ſuus, qui Brunco vocabatur, eſſet Dæmoniacus, & cuperet à Dæmonis tyrannide abſolui, ad Sanctorum Reliquias ipſum deſtinauit, nec ſpes fefellit, mox ſiquidem vt limina Eccleſiæ Sancti Maximini Treuirenſis Epiſcopi attigit, liberatus eſt. Idem Lupus aduertit quoque vno eodemque die Sancti Maximini ſacro, triginta ſeptem earundem Reliquiarum beneficio, à Dæmonibus eſſe liberatos, in eorumque numero fuiſſe fœminam quam ſpiritus malignus quadraginta ſeptē annis vexauerat, ſulphure, odore in egreſſu ſuo templum replens: ſequenti item anno eodem S. Maximini ſacro die curati ſunt viginti duo, & tertio anno tredecim. *Surius tom. 3.*

Surius refert quòd cùm anno 836. corpus S. Liborij Cenomanenſis Epiſcopi è tumba leuaretur Badelbornam transferendum, Diaconus quidam quem multis annis Dæmon vexauerat, ab eius tyrannide liberatus fuit; in itinere verò cùm ad eiuſdem ſacra pignora mulier Dæmoniaca adduceretur, cœpit Dæmon mugire, ſibilare, atque alias ferarum voces edere, vt autem feretrum attigit, mox egredi à corpore, & diſcedere coactus eſt. *Tomo 4.*

In vita Ioannis & Pauli per Terentianum Prętoriæ cohorti Præfectum ſcriptâ, teſte Baronio & alijs, refertur quòd poſtquam ipſe dictos Sanctos morti adiudicauit, & eorum clam abſcindi capita ne populus commoueretur, iuſſit; Dæmon qui poſſidere & vexare cœpit eius filium, ſicut alij etiam immundi Spiritus qui multorum corpora vexabant, eorum mortem peruulgarunt; at eius filius ad Martyrum ſepulchrum perductus, liberatus eſt; quo miraculo viſo Terentianus ipſe ſicut eius Filius in Chriſtum crediderunt. Vide alia exempla apud Thyræum qui etiam de multis alijs miraculis attactu & virtute ſanctarum Reliquiarum editis, refert; Deus enim illis tanquam inſtrumento vtitur, non ſolùm ad Dæmones profligandos ſicut per ignem eos torquet & punit, verumetiam ad alia patranda miracula: vt conſtat de homine mortuo, qui vbi in ſepulchrum Elizæi fuit coniectus & oſſa Prophetę attigit, reſurrexit. Et S. Ambroſius ſermone de SS. Geruaſio & Prothaſio, refert cœcum eſſe viſui reſtitutum ad contactum feretri, quo reliquiæ illorum SS. Martyrum portaban- *Baronius & alij.* *P. 3. diſp. de Dæmon. cap. 43.* *4. Reg. 13.* *S. Ambr. ſ.*

Lib 22. de Ciuit. Dei cap. 8.

tur. Et S. Auguſtinus ait tot eſſe facta miracula breuiſſimo tempore ad reliquias S. Stephani, vt multi libri ſcribendi eſſent, ſi omnia forent recenſenda. Ita his temporibus multa facta ſunt miracula per Sanctorum reliquias & ipſorum inuocationem.

Rebus ſacris ſeu ſacratis vtpote oleo, aquâ & pane benedictis, pelluntur Dæmones.

Sicut autem Sanctorum reliquijs pelluntur Dæmones: ita & rebus ſacris ſeu ſacratis & ab Eccleſia ex antiquiſſima ipſius conſuetudine benedictis, profligantur & expelluntur. Oleo benedicto Theodorus Archimandrita (vt ſcribit in eius vita Presbyter Georgius) expulit Dęmonem qui vehementem cruciatum & tremorem membris cuiuſdam Dęmoniaci nautæ afferebat. Ita teſtatur Ratherius Veronenſis in vita Vſmari, Sanctum illum virum eieciſſe Dęmonem à quadam moniali oleo benedicto, liniendo os, oculos, & nares eius.

Lib. 2. cap. 20.

Audoenus Rothomagenſis Epiſcopus in vita S. Eligij Nouiomenſis Epiſcopi, narrat Sanctum illum virum quoſdam numerò pluſquam quinquaginta (vt olim S. Paulus) tradidiſſe Sathanæ in interitum carnis, vt eorum Spiritus ſaluus fieret, eo quod aliquas ſuperſtitiones deſerere nolebant, imò eius monitiones & conciones nihili pendebant, eumque iniurijs afficiebant, poſtquam autem anno integro egerunt pœnitentiam, eorum amicis pro eis deprçcantibus, aquę benedictæ aſperſione à ſpiritibus malignis liberauit.

Cap. 11. tom. 7.

Ita narrat Surius in hiſtoria Inuentionis S. Celſi, Sanctum Eucharium aquam benedictam bibendam cuidam Dæmoniaco tradidiſſe, & ita Dæmonem expuliſſe.

Liſiardus.

Lib 2. cap. 3.

Refert pariter Liſiardus Sueſſionenſis Epiſcopus in vita Arnulphi eiuſdem loci etiam Epiſcopi, Energumenum quendam aquæ benedictæ aſperſione fuiſſe liberatum. Legimus item in vita S. Bernardi, ipſum etiam Dæmoniacum quendam ipſâ eâdem aquæ benedictæ aſperſione ſanaſſe. Sic de Sancto Laurentio Dublinenſi Archiepiſcopo, & Maltonio Epiſcopo refert Surius ipſos aquâ benedictâ ad Dæmones è corporibus humanis pellendos fuiſſe vſos. Eandem virtutem habuit panis benedictus, vt refert Iacobus Spirenſis in vita Sanctæ Elizabeth Vngariæ Reginę 3. ordinis S. P. Franciſci; mox enim vt puella quędam ad eam adducta quæ ad malam parentum imprecationem Dęmonis torturam patiebatur, *parum panis & ſacræ vndæ hauſit*, priſtinæ ſanitati reſtituta fuit: hinc in ipſius panis communi benedictione, requirimus vt contra vniuerſas inimicorum inſidias ſit tutamen.

Surius tom. 6.

Cap. 30.

Alia quædam media quibus Dæmones pelluntur.

Et hęc de numero mediorum quibus Dęmones abiguntur, & à corporibus humanis expelluntur; nam ſi quæ ſint alia, ad iam relata reduci debent, verbi gratiâ manuum impoſitio ſuper Energumenos, quâ B. Germanus Pariſienſis Epiſcopus plurimos Dęmoniacos libe-

rauit, vt ait Fortunatus Pictauorum Epiſcopus, ad vſum reliquiarum reducitur. Idem dicendum de digitorum immiſſione in os ipſorum Energumenorum, qua curauit quamdam Dæmoniacam S. Clarus Abbas, vt notat Surius in eius vita. Idem etiam de crucifixi imagine dicendum. Miſſę autem ſacrificium nonnulli ad rerum ſacratarum vſum reducunt. Superaddunt adhuc aliqui exſufflationem cauſa inferendę Dęmoni ignominiæ, & ad exprobrandam ei ſuam vilitatem, vt qui tanquam res leuiſſima & veluti ſpuma, flatu diſpellendus ſit, & per iuſtam contumeliam exſufflandus, in quos enim inſufflamus eos vilipendimus: ſiue id fiat cauſa myſterij hoc noſtro flatu ei præſignificantes flatum Dei quo ſuccendit ignem inferni, à quo horret Dæmon, cuius apud Iſaiam meminit ſcriptura: *Præparata eſt*, inquit, *ab heri Tophet, & Spiritus Domini, velut torrens Sulphuris ſuccendens eam.*

Fortunatus. *Surius tom. 1.* *Iſaie 30.*

SECTIO V.

De efficacia exorciſmorum, & rerum Sacrarum, & cur non ſemper ſuos effectus producant.

AN autem efficacia quam dicimus eſſe in exorciſmis & alijs medijs quibus Eccleſia vtitur ad pellendos Dæmones, ſit phyſica inſtrumentalis, an verò duntaxat moralis, non eſt hîc noſtrum diſputare, ſed Scholaſticorum. Qui efficientiam phyſicam Sacramentis attribuunt, eandem quoque his medijs attribuere tentant: qui ſolùm moralem, etiam his moralem attribuere ſolent: nobis verò hanc moralem efficientiam eis attribuere faciliùs eſt quàm phyſicam, nam tota efficacitas horum mediorum ad ipſos Dæmones fugandos, fundatur in inſtitutione & impetratione Eccleſiæ, quæ inſtituit exorciſmos ac res quaſdam ſacrauit, ac petijt à Deo eis virtutem conferri ad eoſdem fugandos Dæmones; vt patet ex formulis quibus ipſa Eccleſia vtitur in rerum quarundam ſacratione aut benedictione: ergo non poteſt eſſe virtus hęc inſtrumentalis phyſica, ſed ſolùm moralis. Alias res omittimus, quia ad ipſam Scolaſticam Theologiam ſpectant: ſed quidquid ſit, multorum eſt ſententia eſſe veriſimile in ſacratione aut benedictione ſupradictarum rerum, quæ ad abigendos Dæmones ordinantur, orantem Eccleſiam pro earum efficacitate Deum infallibiliter exaudire, vt quando oportuerit efficaces ſint ad prædictum effectum. Alij tamen & forſitan veriùs, do-

Exorciſmorum & rerum Sacrarum efficacia quænam ſit.

Qq iij

cent quòd quamuis exorciſmi multum polleant, non tamen ſemper effectus ſperatos producunt, nam eorum non ea ratio eſt quæ ſacramentorum; Sacramenta enim ſuos conſequuntur effectus neceſſariò, modò obex non ſit ex parte ea ſuſcipientium, eo quod ex diuina inſtitutione certa & efficacia ſint ſigna gratiæ cœleſtis: at hanc promiſſionem non fecit Deus exorciſmis; quo fit vt non ſemper quantas Sacramenta vires habeant, Dæmoneſque pellant, & quantumuis adhibeantur quandoque exorciſmorum inuocationes, orationes, & ieiunia; ad hæc tamen omnia ſurdus in poſſeſſo corpore Dæmon permanet, tolerabiliùs ferens exorciſtarum pœnas & adhibita ſibi inuocatione tormenta, quàm diſcedere ab homine quem cum tanta malitia poſſidet. Exorciſtarum etiam conditio interdum obſtat: id ſuo exemplo Apoſtoli teſtantur, qui ſi ſe priùs ieiunio & *Matth. 17.* oratione armaſſent, procul-dubio (vt ait Chriſtus apud S. Matth.), eiecissent Dæmonium quod ſine iſtis præſidijs eijcere nequiuerant, vt iam pluries notauimus. Aliquando etiam propter ipſorum exorcizantium peccata, non vult Deus hoc admirabile opus per eorum exorciſmos perficere. Quandoque etiam ſine vlla eorum culpa, ſed in ſui profectum, vt ſcilicet non ſuperbiant de mirabili hâc Dæmoniorum profligatione, vel propter quid ſimile. Aliquando etiam propter ipſamet exorcizandorum peccata non liberantur à Dæmo- *Li. 2. cap. 10.* num vexatione; hinc Audoenus in vita Sancti Eligij Nouiomenſis Epiſcopi, teſtatur ſanctum illum virum noluiſſe quinquaginta viris à Dæmone vexatis ſubuenire, quamuis rogaretur vt id præſtaret, vt experirentur quantum ſit malum peccato ſeruire, præuidebat quippè exorciſmos ob eorum peccata non eſſe illis profuturos. Ita demùm (inquiũt alij) nullis aliquando præcedentibus peccatis, neque ex parte exorcizantium neque ex parte exorcizatorum, Deus non vult exorciſmis & alijs ſignis efficaciam pellendi Dæmones tribuere; his quidem præbens occaſiones patientiæ & meritorum augendorum in medio tam terribilis calamitatis; illis verò ablationis arrogantiæ, & & extollentiæ oculorum. Non deſunt Deo iuſtiſſimæ aliæ cauſæ, & rationes quas mortalibus ſcrutari non licet.

Et porrò hic ſedulò aduertendum, quòd multæ in exorciſtis conditiones requiruntur ſi ſuo officio fœliciter fungi velint; vt viua & indubitata fides cum magna in Deum fiducia, non enim ſuis viribus, aut ſapientiæ confidere debent; puriſſima conſcientia, & per veram contritionem ac confeſſionem Sacramentalem emundata: vera humilitas, quæ omnem vanam gloriam excludat: Dæmones ſiquidem humiles ferre non valent, vt patet de Sancto Paulo ſimplici, cuius humilitate confuſus Dæmon diſceſſit, clamans ſe ſimplicitate & hu-

militate Pauli coactum fugere. Debent præterea mentem reuocare à curis & negotijs ſęcularibus, ieiunio incumbere, & orationi vacare: iuxtà ſuprà allatum Chriſti teſtimonium. Debent inſuper magnâ pollere patientiâ & perſeuerantia non mediocri, in coniuratione ad quam ſe accingunt; niſi enim his & alijs virtutum armis ſint inſtructi, & præſertim flagranti Dei amore, non ſatis ſecurè & intrepidè opus hoc arduum aggredientur, & hoſtem communem debellaturi accedent. Porrò ille qui exorcizandi Dęmonis poteſtatem habet, actionem ſuam ſic inſtituat (inquit Loyaerts) vt aſſumpto habitu Eccleſiaſtico, vt minimùm ſuperpelliceo & ſtola, etiam afflicti collum altera ſtola obuoluat, per quam quaſi in tutelam eum aſſumat & ſibi iungat, vt in maiorem fiduciam erigatur. Porrò cùm Dęmon exorcizatur, non cùm eo iocandum, neque multis verbis agendum, ſed neceſſaria duntaxat dicenda, vt fortiùs ipſe prematur: licet ei præcipere, vt nomen ſuum prodat, licet vrgere vt ſocios indicet, vt ſciat ipſe exorcizans cum quot & quibus hoſtibus ſit illi congrediendum: poteſt enim fieri vt vno expulſo reliqui maneant, qui enim ſunt altioris ordinis & maioris virtutis ægrius pelluntur: licet interrogare cauſam ingreſſus in hominem, vt ea remota ſi modo tolli poſſit, faciliùs pellatur Dæmon: licet indicium diſceſſus poſtulare, vt conſtet de Dæmonis expulſione: licet in infernum eos amandare, quod hic locus ſit eis paratus, quem etiam maximè oderunt & timent. Hinc illi clamabant: *Quid nobis & tibi Fili Dei, veniſti huc ante tempus torquere nos?* metuebant enim præcipitari in infernum, non tum propter pœnam, quam in hoc ſæculo patiuntur, etiam dum homines poſſident & torquent, ſed incarcerari nolunt, hic diuagari & homines vexare malunt: *Hæc Loyaerts loco citato.*

Loyaerts Dominic. 3. Quadrag.

Matth. 8.

Et hæc ſatis de vexationibus Dæmonum ab intrinſeco, & de poteſtate curandi Dæmoniacos: Plura de ipſorum Dæmonum afflictionibus ab extrinſeco dicere poſſemus: ſed de iis videantur authores qui accuratè agunt de Maleficis & Sagis. De alijs autem praxim exorciſtarum circa Dæmoniacos concernentibus, nihil à nobis eſſe hic dicendum iudicauimus, nam tot & tanti Doctores de huiuſmodi latè diſſeruerunt, vt diutiùs in his immorari eſſet actum agere. Multùm proderit ſexdecim aduertentias à Patre Raphaële de la Torre notare, in ſuo Tractatu, *de poteſtate Eccleſiæ coërcendi Dæmones, &c. diſp.* 27. Atque etiam non pœnitebit legere ea quæ habet Thyræus in ſuis Diſputationibus de Dæmoniacis. Et pro integra praxi, & precibus, atque adiurationibus, ſufficiet manibus terere Manua-

le exorciſmorum R. D. Maximiliani ab Eynatten Antuerpiæ typis mandatum 1619. Vel etiam Sacerdotale ſeu Sacerdotum theſaurum Franciſci Samarini 1. parte, vbi agit de exorciſmo contra Dęmoniacos.

Huic itaque Tractatui finem imponimus, & cum omni animi ſubmiſſione Deum Opt. Max. interceſſionibus Beatiſſimæ Virginis, B. P. Noſtri Franciſci, & omnium Sanctorum precamur, vt ab inſidijs quas nobis ſtruunt ipſi Dęmones infenſiſſimi noſtri hoſtes, de quibus ſatis fusè, ſicut de eorum conſortibus ſermonem inſtituimus, tandem præſeruare ac liberare dignetur; cui ſit gloria & honor in ſæcula ſæculorum. Amen.

Omniaque in hoc Tractatu ſicut in reliquis continentur, pedibus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & Sacræ Facultatis Theologicæ Pariſienſis ſubmiſſa ſunto.

INDEX ALPHABETICVS RERVM MEMORABILIVM QVÆ IN HOC Tractatu de Dæmonibus reperiuntur. Numerus paginam indicat.

A.

ADORARI latriâ Dæmon à Chriſto exigebat. pag.135
Adoratio multiplex. 136
Adorari nunc vult Dæmon,& quomodo. ibidem
Adorant aliqui Dæmonem, & propter quid. 138
Affectio duplex in voluntate,commodi ſcilicet & iuſtitiæ. 17
Amor duplex,amicitiæ,& concupiſcētiæ. 6
Angelus potuit peccare in primo inſtanti ſui eſſe. 5
Angeli alij à Lucifero quomodo viderunt eius determinationem. 4
Angelorum tertia pars cecidit. 4.5.& 86
Angeli quomodo peccauerunt,& ad peccandum homines inducunt. 6
Angelus appetiit Dei æqualitatem, & nulli ſubeſſe voluit. 3.10
Angelus potuit appetere Dei æqualitatem inefficaci volitione. 10.11
Angelus peccauit appetendo Dei æqualitatem,etiamſi inefficaciter appetierit. 12
Angelus non errauit in ſimplici apprehenſione æqualitatis Dei. 13
Angelum appetiiſſe Dei æqualitatem ſecundùm naturam probabile eſt. 15
An Angelus appetierit vnionem hypoſtaticam. 15
Angelus peccauit appetendo immoderatè beatitudinem ſupernaturalem, potuitque tripliciter peccare. 15.17
Angeli boni plures ſunt quàm Dęmones. 30
Angelorum peccatum nec ex infirmitate nec ex ignorantia commiſſum. 48
Angelus malus vocatur Dęmon, Diabolus, Sathan, & tentator. 77.78.140
Angeli boni Chriſto miniſtrarunt in deſerto cibum & potum. 148.149
Angelorum Chriſto miniſtrantium concentus. 149
Angelos habemus protectores aduersùs dęmones. 160
Angeli boni quandóque Dei permiſſione cedunt dęmonibus. 161
Angeli boni ſicut pios in Cœlum ducunt,ſta mali impios in infernum. 164
Angeli boni in corporibus quæ aſſumunt diſcernuntur à dęmonibus. 167
Animæ cibus eſt verbum Dei. 115
Animæ valor,& æſtimatio. 132
Apparitiones dęmonum in diuerſis formis. 170.171.175
Arma ſpiritualia quibus dæmonum tentationes propulſantur quænam ſint.136.&c.
Auarorum miſeria. 138

B.

BLaſphemia & infidelitas Dæmonū. 24
Bona elicit Deus ex Dæmonum & hominum malis. 50
Bona omnia mundi oſtendit Dæmon Chriſto. 125
Bono & vtilitati hominis conſuluit Deus relinquendo Dæmones in mundo. 75

C.

CAlliditas quid ſit. 94
Cœleſtia ſunt humanis pręferenda. 132
Chriſtianos tentat Dæmon. 150
Chriſti Paſſio, Incarnatio, &c. quanti valoris. 50
Chriſtus appellatur Diaboli interfector. 66
Chriſto inuidit Dæmon ab initio, illumque interimere tentauit. 109
Chriſtū non perfectè cognouit dæmon. 110

Chriſtus de quibuſnam fuerit tentatus à Dæmone. 111
Chriſti tentationes à Dæmonio illatæ quibuſnam comparentur. ibid.
Chriſto offert lapides Dæmon ſub nomine panis. 112
Chriſtus noſtram eſurit conuerſionem. ibid.
Chriſtus ſterili ficulneæ maledicens quid intendebat. ibid.
Chriſtus quid reſpondit primæ tentationi Dæmonis. 114
Chriſtum portauit Dæmon nemine vidēte, ſuam ad totum corpus applicando virtutem. 116
Chriſtum tentat Dæmon tertiò, & quomodo. 124
Chriſtus Sathanam expulit. 139
Chriſtus dum Dæmonem vocauit Sathanā, ſumma illum affecit ignominia. 140
Chriſtus poſt baptiſmum, à Dæmone fuit tentatus, ita & nos. 150
Chriſtus aduersùs Dæmonem protector noſter eſt. 159
Chriſtus eſt piſcator, & quomodo. 130
Circuire quid in Scriptura denotet. 180
Cognitio Dæmonum quænam ſit. 31
Cognitio naturalis remanſit in Dęmonibus, ſupernaturalis minuta fuit. ibid.
Concordia & ordo non eſt inter Dæmones niſi ad hominum perniciem. 17
Conueniunt Dæmones inter ſe, vt noceant hominibus. ibid.
Corona inſignis debetur inſigni merito, ſicut grauis pœna grauiori culpæ. 49
Corpora etiam aſpectabilia aſſumere poſſunt Dæmones, & quæ, & ad quid. 166
In corporibus quæ aſſumunt Dæmones diſcernuntur à bonis Angelis. 167
Corpora non aſſumunt Dæmones ad vnionem naturalem aut hypoſtaticam. ibid.
Corpora à Dæmonibus aſſumpta ſunt vera & realia, non phantaſtica. 158
In corporibus quæ aſſumunt Dæmones nō exercent vitæ opera. 169
Cruce Chriſti & eius vulneribus vitantur Dæmonum tentationes. 241. 242. &c.
Crudelitas, malitia, & aſtutia Dæmonis quanta. 188

D.

DÆmones exiſtunt in rerum natura. 1
Dęmones fuerūt creati liberi, & proinde peccabiles. 2
Dæmonum inobedientia. 24
Dæmones eſſe impatientes quomodo intelligatur. ibid.
Dæmones non poſſunt laborare peccato acediæ. 25
Dæmones ex diuerſis ordinibus corruerunt. 19
Dæmones pauciores ſunt quàm boni Angeli. 30
Dæmones non poſſunt reſipiſcere à peccatis. 32
Dæmones conquerendi de Deo non habent vllam cauſam. 40
Dęmones veniam quare non ſint aſſecuti. 49
Dæmones Principes ad diuerſa inducentes flagitia, quinam ſint. 56
Dæmones quo ſunt ſuperiores, eo grauiores ſubeunt cruciatus. 58
Dæmonis definitio ac deſcriptio explicatur. 59
Dæmon comparatur fabro, & cur. 63
Dæmon erat proſternendus ab homine vili. 68
Dæmones circundant hominem, vt ille ſibi proſpiciat. 70
Dæmonum metu oportet nos perſeuerare in operibus bonis. 71
Dęmones relicti ſunt in mundo ne homines de ſua virtute inflentur. 74
Dęmones relicti ſūt in mūdo vt homines eos debellarent & vincerent ac coronarētur. 75
Dæmonum tentantium quàm innumera ſit multitudo. 86
Dæmonis diligentia, vigilantia, & potentia ad nocendum. 90 &c.
Dæmon ſuo habitu res viles reddit ſplendentes. 97
Dæmon vtitur arte & modo ad tentandum. 99
Dæmon filios Iſraël eorumque Reges ad idololatriam induxit. 107
Dęmon plura facinora olim ſuggeſſit. 107
Dęmoni minùs permittitur infeſtare fideles, quàm infideles. 109

Dæmon duo petebat à Chriſto, quæ Deo propria ſunt. 113
Dæmon & Magi non poſſunt rerum naturam tranſmutare. 114
Dæmon Chriſtum intulit ſupra montem, & quis ille mons. 124
Dæmon oſtendit Chriſto mundi regna, & quomodo. 125
Dæmon oſtendit Chriſto mundi honores, ſed non dolores & afflictiones. ibid.
Dæmon in momento oſtẽdit Chriſto regna mundi, quid hoc denotet. 127
Dęmones aſſiſtebant Principi Dęmonum, cùm tentaret Chriſtum. 128
Dęmones ſuo Principi reuerentiam exhibent. ibid.
Dæmones efformarunt regnorum mundi ſimulachra, & quomodo, vt Chriſto oſtenderentur. ibid.
Dæmonis dilemma. 129
Dæmonis mendacia quamplura in ſuis promiſſis. ibid.
Dæmon cuncta ad ſe pertinere ait, etiamſi de facto nihil poſſit elargiri pręter dolores, pœnas, &c. ibid. & 131
Dæmon non intendebat Chriſto dare quod ei promittebat, nec etiam poterat. 131
Dæmon quędam pollicetur, vt adoretur. 134
Dæmon ſe ſupra altiſſimum extollere voluit. 137
Dæmonis quinque vitia tentando Chriſtum. 139
Ad Dæmonem expellendum vis quædam in Dauidis Cythara, & quænam. 141
Dæmonis eiulatus dum à Chriſto expulſus fugit. 142
Dęmon per omnia tentationum genera vagatur. 143
Dæmon in diuerſis figuris Chriſtum tentauit. 144
Dęmon ad tempus hominem deſerit, ſed poſtea rediit cum aliis ſpiritibus nequioribus ſe iterùm præliaturus. 145. 146
Dæmon ſanctiores acriùs aggreditur quàm impios. 152
Dæmon eſt mare malitiarum. 158
Dæmon eſt ventus validus. ibid.
Dæmon alligatur, ne noceat quantum vellet, &c. 159
Dæmon aſſiſtit morientibus, & conatur omnia bona opera deſtruere. 161. 163
Quiſnam Dæmon potiſſimùm moribundo appareat. 163
Dæmones quidam incubi & ſuccubi, & an generare poſſint. 169
Dæmones in diuerſis figuris apparuerũt. 170
Dæmones apparuiſſe plures in humana forma multis hiſtoriis oſtenditur. 171
Dæmones in aliis formis quàm humanis pluriès apparuerunt. 175
Dæmoni attribui quorundam animalium nomina fusè oſtenditur. 178
Dæmon aui comparatur, & cur. 178
Dæmon vocatur Aquila, accipiter, miluus, merula, vultur, coruus. 179. 181. 182
Dæmon iniquitatem non repręſentat nudam, ſed fucatam & ornatam. 183
Dæmon vocatur leo ob multas leonis proprietates quę ei conueniunt. 184
Dęmon pardo comparatur. 189
Dæmon tigridi lupo, pardali, onocentauro, & tauro comparatur. 190. 191. 192
Dæmon Behemoth, boui, & vitulo comparatur. 192. 193 &c.
Dęmon equo, mulo, aſino, hirco, cani, cerbero, lepori muri, cato vel feli comparatur. 195. 196. &c.
Dæmon vulpi, Harpyię, & Hyænæ comparatur. 199. 201
Dæmon Simię, Herinaceo, & Chamæleonti comparatur. 201. 202. &c.
Dæmon dicitur ſerpens. 204
Dæmon dicitur Draco in Cœlo viſus. 206. 209
Dæmon crocodilo, aſpidi, & baſiliſco ſeu regulo comparatur. 210. 211
Dæmon ceraſti, ſcorpioni, ſalamandræ, lamiæ & ſyrtio comparatur. 213. 214. &c.
Dæmoni nomina piſcis ac etiam ceti ſeu balænæ aut leuiathan accommodantur. 216. 217. &c.
Dæmoni conueniunt nomina Belial, Bel, Baal, Baalin, Beelzebub & Baalberith. 222. 223. &c.
Dæmon vocatur Zabulus, Aſmodæus, venator, & piſcator. 227. 228. &c.

Dæmon vocatur Abadon, malleus vniuerſæ terræ, & Princeps mundi. 231.232
Dæmon vocatur pirata, tortor & carnifex, impius, malus, nequiſſimus, malignus, & inimicus. 233.234.235
Dæmonum tentationes Spiritus Sancti aſſiſtentiâ, ieiunio, & oratione propulſantur. 237.238. &c.
Dæmoniaci vel Energumeni nonnulli reperiuntur. 164
Dæmones non ita ingreſſum in brutorum corpora appetunt ac hominum. 270
Dæmones an ex ingreſſu in hominum corpora aliquod gaudium percipiant. ibid.
Dæmones poteſt Deus immittere in humana corpora, ſiue ob peccata, ſiue ob alias rationes. 271.272.&c.
Dæmones in humana corpora immittere poſſunt viri iuſti. 275
Dæmones in humana corpora poſſunt à Magis & Sagis immitti. 276
Dæmones ſuperiores poſſunt inferiores immittere in humana corpora. 276
Dæmones ex omni ordine humana poſſunt corpora poſſidere, &c. 278
Multi Dæmones poſſunt vnum, & idem hominis corpus ingredi. 279
Dæmoniacus vt quis dicatur, quid requiritur. 280
Dæmoniaci multa mala à Dæmone patiũtur, & quænam potiſſima ſint. 280.281.282
Dæmones in Energumenorum animas nihil aut parum poſſunt. 218.289
Dæmones voluntatem non cogunt. ibid.
Dæmones dum in corpora ſæuiunt, animæ à virtutum ſtudiis vacant. 284
Dæmones Deo permittente homines etiam probos quandoque poſſident. ibid.
Dæmon vt in homine poſſeſſo loquatur, debet intus exiſtere. 290
Dæmonis corpus humanum inhabitantis exempla. 295
Dæmones poſſidentes fuerunt à quibuſdam ſanctis hominibus diuina reuelatione deprehenſi. 296
Dæmones adiurandi poteſtas multis ſumitur modis. 299
Dæmones oratione, ieiunio, vigiliis, flagellis, pœnitentiæ operibus & mortificationibus, potiſſimùm verò Miſſæ ſacrificio expelluntur. 304.305
Dæmones Sanctorum reliquijs & aliis rebus Sacris, ſeu ſacratis, vt potè oleo, aquâ, & pane benedictis expelluntur. 305.306.&c.
Dei æquitas in eius verbis & actionibus. 43
Deus non indiget obſequiis aut laudibus creaturarum. 49
Deus elicit bona ex malis Dæmonum. 50
Deus plures Dæmones reliquit in mundo, & cur. 67
Deus maximo amore homines proſequitur. 63
Deus voluit filios Iſraël egredi ex Ægypto. & cur. 106
Deus multos nutrit abſque pane. 115
Dei verbum eſt animæ cibus. ibid.
Dei Verbi effectus. ibid.
Dei eſt ad ſuperna conſcendere, & hominis ad ima deſcendere. 117
Deus ſolus eſt omnium bonorum author & largitor. 131
Deus eſt bonus Medicus, & quomodo. 157
Deus poteſt immittere Dæmones in humana corpora, & ob quid. 271.&c.
Deuorare, & comedere differunt. 188
Diabolus à Chriſto receſſit vſque ad tempus Paſſionis 144
Ex Draconis cerebro lapis dracunites dictus extrahitur. 207

E.

Eccleſiam impugnant Hæretici veluti Dæmones. 57
Eccleſia coërcendi Dæmones poteſtatem habet. 297
Eccleſiaſtica media ad pellendos Dæmones. 300
Effectus verbi Dei. 115
Exorciſmo pelluntur Dæmones. 300.
Exorciſmus & exorcizare, quid ſit. ibid.
Exorciſtæ ordinatio quibus verbis fiat. 301
Exorciſmus ordinariè fit per obteſtationem alicuius rei ſacræ, vt nominis Ieſu, Sanctæ Crucis. ibid.
Exorciſmorum & rerum ſacrarum efficacia quænam ſit. 309.310. &c.

F.

Fideles minus infeſtantur à Dæmone quã infideles. 109
Ficulneæ maledictio facta à Chriſto quid denotet. 102
Filij Iſraël fuerunt tentati à Dęmone etiam in ſolitudine. 106
Fortitudo & conſtantia Sancti Iob in perferendo dolores. 104
Fortis Dæmon debebat proſterni ab homine vili ac debili. 68
Finis mundi finem dabit prelationi Dæmonum. 56

G.

Gladium Dæmonis applicat Deus, & quomodo. 156
Gloria vana quid. 21
Gloria inanis fuit ſecunda tentatio Chriſti à Diabolo. 117
Gloria inanis vnde excitatur. ibid.
Grauiſſima fuit tentatio S. Iob. 102

H.

Hæretici inter ſe diſcordes conueniunt, vt Eccleſiam impugnent 57
Hæreticis fidelior videtur Dęmon. 113
Homines qui damnantur, grauiùs debent puniri quàm Dęmones. 53
Hominum ruinam moliuntur omnes Dæmones ſimul iuncti. 58
Homines, certando & vincendo Dęmones, coronantur. 35
Homines quàm ſubitò eſſe deſinant. 127
Hominis deſcriptio explicatur. 59. &c.
Hominis nouiſſima quæ. 256

I.

INfernus eſt carcer deteſtabilis & ſubterraneus. 34
Inferni nomen retinent diuerſa loca in corde terræ. 35
Infernum perhorreſcunt Dęmones, & quare. ibidem
Infernalis ignis qualis ſit. 36
Infernalis ignis eſt corporeus & materialis, non metaphoricus. ibid.
Inferni ignis quomodo cruciet ſpiritus, phyſicè, vel moraliter, explanatur. 37
Infidelitas Dęmonum, & illorum blaſphemia. 24
Iniuriæ propriæ ſuſtinendæ, non autẽ Deo illatæ. 132
Inquirere curioſè non debemus cur Deus hoc vel illud faciat. 44
Inuidia & odium quid ſint. 22
Inuidus fuit Lucifer, & quomodo. ibid.
Iob fuit grauiſſimè tentatus. 102
Iob radebat ſaniem teſtâ, & cur. 124
Ira & iniuſtitia Dęmonis. 23
Iuſti & Sancti viri poſſunt immittere Dęmones in humana corpora. 275
Iuſtitia diuina an ſit ſeuera non parcens Angelis. 42
Iuſtitiæ diuinæ ipſius Dei ſeueritatem non repugnare, probant nonnullæ rationes, & obiectiones in contrarium diluuntur. 42. 43. 44. 45

L.

LEgem dedit Moyſi Deus, & cur. 108
Legem Moyſi traditam deſtruere nitebatur Dęmon. ibidem
Leonis nomen Chriſto & Dęmoni diuerſimodè competit. 184
Leonis nomen Dæmoni conuenit, & cur. ibidem.
Locum dare Diabolo, quid ſit. 119
Lucifer erat primus omnium Angelorum. 3. 4. & 27.
Lucifer quoſdam alios Angelos ad peccandum pertraxit. 4
Lucifer & eius complices multis peccatis fœdati ſunt. 20
Lucifer peccato auaritiæ fœdatus eſt, & quomodo. 21
Lucifer inuidus fuit, cur & quomodo. 22
Lucifer & eius complices expulſi ſunt è cœlo à S. Michaële. 26
Lucifer & eius complices manſerunt obſtinati. 27
Lucifer eſt mancipatus in Inferno vſque ad tempora Antichriſti. ibidem
Lucifer cur Draco magnus in cœlo viſus vocetur. 28. 206. 209
Lucifero iunxerunt ſe voluntariè Dæmones ad hominum ruinam. 58
Lucifer aſſignat tentatores Dæmones cuilibet homini, Prouincijs, Ciuitatibus, &c. 80. 81. 82.

Lucifer ſoluetur tempore Antichriſti. 109
Lucifer eſt principium viarum Domini. 156

M.

MAgi & Sagæ fruſtra à Dęmone ſperant diuitias, &c. 134
Magi & Sagæ poſſunt immittere Dæmones in humana corpora. 276.277
Maledictio ficulneæ à Chriſto quid denotet 112
Malitia, crudelitas, & aſtutia Dæmonis quanta. 188
Medicus bonus Deus eſt, & quomodo. 157
Merito inſigni debetur corona inſignis, & grauiori culpæ grauis pœna. 49
Morientibus aſſiſtit Dæmon. 161
Multitudo delinquentium non minuit eorum pœnam, ſed auget. 47

N.

NObilitas Angelorum non minuit illorum ſcelus 46
Nomina Angeli mali ſunt quatuor præcipua. 77. &c.
Nomina quorundam animalium, videlicet auium, quadrupedum, piſcium, & reptilium Dæmoni attribuuntur. 177.178.&c.
Nomina Idolorũ, vt Belial, Bel, Beelzebub, &c. atque nonnulla alia nomina Dæmoni accommodantur. 222.223.&c.
Vide verbo Dæmon.
Vt noceant hominibus Dæmones, conueniunt inter ſe, etiamſi odio ſe proſequantur. 57
Nouiſſima hominis quæ. 156

O.

OBediunt Dæmones Lucifero tanquam ſuo Principi. 55
In operibus bonis perſeuerare oportet, propter metum Dæmonum. 71
Opus bonum exercere non poſſunt Dæmones. 32
Odium & inuidia quid ſint. 28
Odium Dæmonis erga Deum & homines. 23. 63.
Odium quo ſe proſequuntur Dæmones, non obſtat quin conueniant, vt noceant. 57
Ordo duplex, naturalis & moralis inter Dæmones reperitur. 54. 55
Ordo & concordia non eſt inter Dæmones niſi ad hominum perniciem. 57

P.

PActum inijt Deus cum Angelis in initio, & quodnam. 3
Peccarunt Angeli, & ad peccandum homines inducunt. 6
Peccatum Angelorum non minuitur propter illorum nobilitatem. 46
Peccantium multitudo non minuit eorum pœnam, ſed auget. 47
Peccatum aliquod etiamſi fuerit primum, cur veniam non mereatur. 48
Peccati veniam conſecutus eſt homo, non Angelus, & cur. 51
Peccator deorſum ſe mittit, dum peccat. 118
Peccatores ſeſe præcipites dant, cuiuſcumque ſint generis. 121
Peccatores Deo bellum inferunt. 147
Peccandi occaſiones & tentationum loca vitare debemus. 258
Pinnaculum vbi portatus fuit Chriſtus, quid ſit. 117
Pœnæ Dæmonum diuerſæ. 31
Pœna Dæmonum circa voluntatem quænam ſit. 32
Pœna duplex, damni & ſenſus, & in quo conſiſtant. 34
Pœnæ Dęmonum accidentariæ, quęnam ſint. 37
Poſſeſſionis Dæmonum ſigna leuem coniecturam generantia, ſunt numero ſex. 285
Poſſeſſionis à Dęmone ſigna vehementiorem ſuſpicionem generantia, ſunt numero ſex. 286
Poſſeſſionis à Dęmone ſigna quæ certitudinem maiorem pariunt, ſunt numero ſex. 290.
Poteſtas adiurandi Dęmones multis ſumitur modis. 299
Pręlati & Principes ſeu Superiores aliqui reperiuntur inter Dæmones. 53
Prælatio inter Dæmones euacuabitur in fine mundi. 56
Prælium factum eſſe in Cœlo duplici modo intelligendum eſt. 28
Primi Parentes cur ex lapſu Dæmonum non fuerunt cautiores. 50

Primi Parentes decepti ſunt nonobſtante illorum ſapientia. 95

R.

Redemptus eſt homo, non Angelus, & cur. 51

Reliquiæ Sanctæ & res aliæ ſacratæ aut benedictæ remedium ſunt aduerſus Dæmonum ſuggeſtiones. 245.246

Rerum naturas non poſſunt tranſmutare Magi, nec Dæmones. 114

Reſipiſcere à peccatis dæmones non poſſunt. 32

Reſponſio Chriſti ad primam dæmonis tentationem 114

Reſiſtendum dæmoni, & quomodo, & ab eo fugiendum. 253

S.

Sacramentorum frequentia aduersùs dæmones multùm valet. 150

Sathanæ quid exprobrandum vt fugiat. 141

Scripturam allegat dæmon vt Chriſtum ad præcipitium inducat. 110

Scripturæ allegatio facta à Dæmone Chriſto, quàm inepta. ibid.

Scriptura opponenda dæmoni. 122

Scripturæ armis vincendus dæmon. 143

Scrutinium quid ſit. 180

In ſerpentis forma dæmon tentauit Primos Parentes. 93

Serpentis natura ante peccatum. 94

Serpens ante peccatum erat homini mitis & familiaris. ibidem

Serpentis nomen dæmoni aptatur. 204.205

Dictio *ſolus*, quid excludat. 136

Spiritus mali ſuperbiæ, inuidiæ, iracundiæ &c. in articulo mortis adſunt. 162

Superbiæ peccatum quid ſit. 16

Superiores & prælati ſunt inter dæmones. 54.

T.

Ad tendandum homines quandoque egrediuntur ab inferno dæmones, & illuc retruduntur. 27

Tentatores dæmones aſſignantur à ſupremo dæmone vnicuique homini, atque perſonis publicis, Prouincijs, Ciuitatibus, &c. 80.81.82

Tentationes variæ dæmonum, Carnis, & Mundi exponuntur. 83.&c.

Tentando dæmon protoparentes tres iniurias Deo intulit. 95

Tentauit dæmon plures homines in Lege naturæ & ſcripta. 100

Tentatio S. Iob fuit grauiſſima. 105

Tentationes variæ dæmonis in Lege ſcripta. ibid.

Tentati variè fuerunt filij Iſraël in ſolitudine. 106

Tentauit dæmon filios Iſraël ad vitulum extruendum & adorandum. 107

Tentabat dæmon infeſtiùs in Lege antiqua, quàm in noua. 108

Tentauit Chriſtum dæmon eo modo quo Primos Parentes. 110

Tentationes Chriſti expanduntur. 112

Tentando Chriſtum dæmon quid intendebat. ibid.

Tentauit Chriſtum dæmon de inani gloria. 117.

Tentat dæmon homines vt à virtute deſiſtant. 122

Tentare Deum quid ſit, & quomodo illum homines tentant. ibid.

A tentatione ceſſat quandoque dæmon, Deo ita volente. 141

Tentat Dæmon, & quomodo. 151

Tentationes Dæmonum armis & medijs quibuſdam ſpiritualibus propulſantur. 236.

Tentationes & ſuggeſtiones Dæmonũ aquâ benedicta, oleo benedicto & chriſmate, cereis benedictis, cineribus, & palmis benedictis, atque pane benedicto vitantur, & ijs Dæmones fugantur. 247.248.249

Tentationes Dæmonum Sacramentorum frequentatione propulſantur. 250.251.252

Tentationes & ſuggeſtiones Dæmonum reſiſtentiâ & fugâ vitari debent. 253.254.255

Tentationes Diabolicæ nouiſſimorum meditatione, videlicet mortis, iudicij, inferni, & Beatitudinis refelluntur. 256.257

Tentationum loca & peccandi occaſiones vitare debemus. 258

Contra tentationes aptiſſimum remedium

eſt refugium ad B. Virginem, & Sanctorum patrocinium. 261. 262
Tranſmutationes diuerſæ, & opiniones circa eaſdem. 114

V.

Verbum Dei eſt animæ cibus. 115
Ad Victoriam omnimodam tres congreſſus ſtatuuntur. 144
Videre Chriſtum nullus potuit, cùm portaretur à Diabolo. 116
Vigilandum ad euitandas Diaboli inſidias. 187.
Vitulus conflatilis fuit Diaboli impulſu à filijs Iſraël extructus & adoratus. 107
Voluntate inordinata ſolùm & non aliter aliquis vult non eſſe. 14

Finis Indicis Tractatus ſecundi.

ERRATA QVÆ IN TRACTATV DE DAEMONIBVS irrepſerunt.

Pagina 59. in Definitione Dæmonis lege *idolis.*
Pag. 62. lin. 4. lege *niſus.*
Et in eadem pag. lin. 20. lege *contumelioſum.*
Pag 82. lin. 6. lege *proſequatur.*
Pag. 86. lin. 10. lege *infima.*
Pag. 104. lin. 24. lege *præpollenti.*
Pag. 170. dele 4.
Pag. 183. lin. 19. lege *omnibus.*
Pag 196 lin 27. lege *ſtatuet.*
Pag. 200. lin. 25. lege *fugiet.*
Pag. 243 lin. 19. lege *quem cani antea comparauimus.*
Pag. 305. lin. 38. lege *plerumque.*

Si quæ alia errata occurrant Lectori, illa facilè per ſeipſum poterit corrigere.

eſt refugium ad B. Virginem, & Sanctorum patrocinium. 261. 262
Tranſmutationes diuerſæ, & opiniones circa eaſdem. 114

V.

VErbum Dei eſt animæ cibus. 115
Ad Victoriam omnimodam tres congreſſus ſtatuuntur. 144
Videre Chriſtum nullus potuit, cùm portaretur à Diabolo. 116
Vigilandum ad euitandas Diaboli inſidias. 187.
Vitulus conflatilis fuit Diaboli impulſu à filijs Iſraël extructus & adoratus. 107
Voluntate inordinata ſolùm & non aliter aliquis vult non eſſe. 14

Finis Indicis Tractatus ſecundi.

ERRATA QVÆ IN TRACTATV DE DAEMONIBVS irrepſerunt.

Pagina 59 in Definitione Dæmonis lege *idolis.*
Pag. 62. lin. 4. lege *niſus.*
Et in eadem pag lin. 20. lege *contumelioſius.*
Pag 82. lin. 6. lege *proſequatur.*
Pag. 86. lin. 10. lege *infima.*
Pag. 105. lin. 24. lege *præpollenti.*
Pag. 170. dele 4.
Pag. 183. lin. 19. lege *omnibus.*
Pag 196 lin 27. lege *ſtatuet.*
Pag. 200. lin. 25. lege *fugiet.*
Pag. 243 lin. 19. lege *quem cani antea comparauimus.*
Pag. 305. lin. 38. lege *plurimumque.*

Si quæ alia errata occurrant Lectori, illa facilè per ſeipſum poterit corrigere.